ACTA
SANCTAE SEDIS

IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA ET ILLUSTRATATA

STUDIO ET CURA

VICTORII PIAZZESI

IURIS UTRIUSQUE DOCTORIS

SEU

Acta iuridica et solemniore ex Sapremo Romano Pontifice immediate dimanantia : acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa, et alia huiusmodi ; praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes. in compendium diligenti studio redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis , vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant

Volumen XXIX.

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

1896-97.

Reprinted with the permission of Libreria Editrice Vaticana

JOHNSON REPEINT CORPORATION
111 Fifth Avenue, New York, N.Y. 10003

JOHNSON REPRINT COMPANY LTD.
Berkeley Square House, London, W1X6BA

First reprinting 1969, Johnson Reprint Corporation
Pnnted in the United States of America

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

LUBLINEN. SEU VARSAVIEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 7 Septembris 1895.

Sess. 24, cap. 5 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Maria Helena, vigesimum aetatis suae annum nondum praetergressa, sub die 16 Iunii anni 1888, matrimoniali foedere coram proprio parocho in *Sancti Aleœandri* Ecclesia, Varsaviensis civitatis, cum Gregorio Iuliano quadragenario, rite iuncta est. Haud felicem huiusmodi coniugium sortitum est exitum. Quamvis enim sponsi tertia a nuptiis die atque deinceps fere quotidie, iteratis conatibus, per plures menses rei uxoriae operam dederint, tamen, si fides eorum assertioni danda est, matrimonium consummare non valuerunt. Quo factum est ut coniugum mutuus amor languesceret eo magis quia ex abnormi contubernio, ut ipsi asserunt, eorum valetudo periclitaretur; quamobrem Helena maritalem domum, viro ipso consentiente, mense Maio subsequentis anni 1889 deseruit, atque ad matrem se recepit.

Aliquibus deinde transactis mensibus, Helena Lublinensem Episcopum, in cuius dioecesi sponsi domicilium habebant, adiit causamque instituit super nullitate matrimonii ob impotentiam physicam, sin minus relativam, mariti. Tunc Iudex ad tramites SS. Canonum, Constitutionis Benedictinae - *Dei miseratione* - et *Instructionis S. C. C. anno 1840* editae, inquisitionem instituit, dieque 18 mensis Iunii 1892 sententiam edidit, matrimonium Gregorium inter et Mariam, utpote cum impedimento impotentiae relativae contractum, nullum atque irritum esse declarans.

Ex officio appellatione apud Metropolitanum Tribunal Varsaviae interposita, sententia prodiit quae decisionem Lublinensis Iudicii rescidit, permittens vero actrici, ut ad San-

etani Sedem pro obtinenda dispensatione a matrimonio rato et non consummato confugeret.

Disceptatio Synoptica

DEFEXNTSIO MULIERIS. Actricis patroni contendunt in casa de matrimonii non consummatione evidentissime constare, si iuratae coniugum depositiones, testimonio septimae manus confirmatae, atque physica corporis mulieris inspectio attendantur.

Quod autem, animadvertunt oratores, sponsorum depositionibus plena fides praestanda sit, attenta eorum honestate ac religione invicte, probatur a septimae manus testimonio.

Sed frustra, pergunt inconsummationis propugnatores, congererentur testimonia, quum obstetrices et medici, qui Mariae corpus, servatis iuris praescriptionibus, inspexerunt, eam uno ore virginem proclament.

Quapropter, animadvertunt advocati, quaecumque fuerit causa, ob quam inter coniuges eosdem copula non intercessit, fuerit moralis, fuerit physica, parum refert cum pro dispensatione obtinenda decertetur. Ex omnibus enim argumentis absolute constat, matrimonium non fuisse consummatum : quod tum Lublinensis, tum Varsaviensis validitatis tutor admittere coactus est, et ipsum Varsaviense Metropolitanum Tribunal recognovit; dum enim sententiam Iudicii Lublinensis de matrimonii nullitate ob relativam physicam impotentiam rescidit, « evicta de cetero virginitate actricis,» coniugibus permisit, ut ad Sanctam Sedem recurrerent.

Nec deesse volunt patroni graves causas ad matrimonium dispensandum, quarum primam inveniunt in probabili nuptiarum nullitate ob coniugum relativam physicam impotentiam .

Revera Maria iudicialiter exponens causas, quibus ipsa tribuebat suam cum viro coeundi impotentiam, affirmat : « Novi in quonam consistat consummatio matrimonii, atque ab initio intellexi copulam nostram non esse completam, id quod

attribuo debilitati mariti, me autem ipsam habilem reputo ad officium uxoris, prout hoc determinaverunt medici ; sed matrimonio functa non sum ». Quamvis diversimode eam explicans, suam tamen cum uxore virilem insufficientiam fassus est ipse Iulianus; nam ait : « Impotentiam coeundi attribuo peculiari affectioni erga uxorem; nam ante contactum membrum meum erigebatur, et eiecto semine languescebat, vel non erigebatur sufficienter. Reputo me habilem ad officium mariti ».

Quae coniugum impotentia, observant oratores, nonnullis quoque testibus nota erat.

Sed, prosequuntur actricis defensores, quum quaestio agitetur de physica impotentia, medici sunt veri iudices. Iamvero trium medicorum qui corpora coniugum eorumdem inspexerunt, una est mens, matrimonium inter eos inconsummatum permansisse, neque in posterum consummari posse ob genitalium asymetriam atque ob nimiam irritabilitatem, imo vaginismum quo, praesertim post iteratos inutiliter conatus copulae perficiendae, mulier laborat.

Nec, substinent patroni, peritorum scientia destruitur, eo quod sponsi alias matrimonii inconsummationis causas indigitaverint, nam ipsi artis medicae ignari poterunt se decipere.

Si autem, concludunt Mariae defensores, aliquis adhuc dubius haereret circa coniugum impotentiam, certe relatae medicorum conclusiones saltem positivum de impotentia dubium ingerunt, quod unanimiter a doctoribus honesta ratio et iustitiae consona habetur, ut Apostolica concedatur Dispensatio.

Aliam dispensationis causam patroni facile inveniunt in coniugum aversione absque reconciliationis spe.

Oratores denique pro ultima dispensationis causa, grave periculum incontinentiae actricis memorant, ut ipse Archiepiscopus Varsaviensis ad Pontificem scribit: « . . . . . Actricem commendo quae, quum in flore aetatis incontinentiae periculis exponatur, in novis opportunis contrahendis nuptiis

congruum saluti animae consulendi remedium reperire poterit, si praesentis connubii dissolutionem impetraverit ».

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. Vinculi defensor e converso observat inquisitionem peractam fuisse, non sub respectu inconsummationis matrimonii ostendendae, sed üt iudicare tur de valore vel nullitate coniugii. At methodus ista utendi inquisitione ad alium finem multis periculis ac fraudibus obnoxia est. Nec a praesenti causa collusionis suspicio abest.

Etenim Maria assertam coeundi impotentiam ita in iudicio definivit : « Fueritne veretrum mariti sufficienter erectum nescio; certe intra corpus meum non penetravit, dolorem nullum sensi. Defluxerit semen mariti nescio. De impotentia consummandae copulae perfectae loquebar marito, qui se debilitatum esse ¡perhibebat ». Et Gregorius ait: « Matrimonium non consummavi propter insufficientem erectionem penis, qui non intravit in partes pudendas uxoris. Impotentiam coeundi attribuo peculiari affectioni erga uxorem: nam ante contactum, membrum meum erigebatur, et, eiecto semine, languescebat, vel non erigebatur sufficienter ».

Cum iis autem pugnant quae habent medici cognitores. Gustavus Dolinski, quaerenti iudici « Potestne Gregorius consummare matrimonium cum uxore sua? reponit : Cum uxore ille inhabilis est ad coitum propter disproportioném in dimensione genitalium ». Item respondit medicus Mauritius Cieconski : « Cum uxore matrimonium consummare non valet propter asymetriam genitalium, cum enim ipse praeditus sit robustis pudendis, muliebria uxoris sunt infra iustam ac legitimam dimensionem, in mulieribus solitam, unde oritur disproportio physica quae est origo impotentiae relativae ». Quibus consonat archiater Ioseph Ulanowki.

Nec dicatur, ait orator, nil referre, si medici et coniuges in iis dissentiant, quae impotentiam relativam respiciunt, cum in casu agatur solummodo de matrimonii inconsummatione; nam inquisitio non de matrimonii inconsummatione facta est, sed de impotentia coniugum. Quapropter,

si coniuges aut medici veritati vim intulerunt in iis quae inquisitionis obiectum principale constituebant, credere non debemus eos veritati obsecutos, dum de inconsummatione matrimonii loquuntur, qua de re tum quaerebatur solum per accidens.

Huc accedit, prosequitur sacramenti assertor, quod ipsae obstetrices, quae Mariae corpus recognoverant, inter se e diametro pugnent.

Quapropter, inquit orator, intelligitur studium partium, quo medici cognitores abripiunt, dum venditant impotentiam relativam propter disproportionem in dimensione genitalium. Ii enim arripiunt obstetricis Teophilae Szatowska verba: « Muliebria Mariae sunt débiliter evoluta », ac taciti praetereunt clara aliarum obstetricum verba : « Maria conformata est bene, imo etiam valide... pelvis est lata ».

Insuper obstetrices commemorant quandam Mariae irritabilitatem, medici autem statim appingunt Mariae vaginismum. Frustra affirmant obstetrices : « Instabilitas genitalium in actrice, ut omnino apud virgines, notabilis, non tamen morbosa »; « Sensibilitas eiusmodi in ostio vaginae est magna, qualis fere occurrit in virginibus ».

Dolet praeterea ligaminis propugnatori, quod ad examen adducti non sint testes domestici, praesertim famulae, quae in huiusmodi iudiciis locupletissimae sunt.

Neque dici in praesenti potest, concludit defensor, coniugibus fidem praestandam esse, quia ita credunt testes ab ipsis inducti. Nam, praeterquam quod experientia docet, parum fidendum esse in septimae manus testibus, praesto est Felix Ceren, qui ad quaestionem : « Existimasne, Mariam esse personam honestam, religiosam, mendacii et periurii committendi incapacem ? » reponit : « De moribus actricis nihil statuere possum, praeterquamquod in loquendo plus aequo indulgebat procacitati ».

Quibus praenotatis, propositum fuit diluendum

Dubium

An consulendam sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 7 Septembris 1895, censuit respondere: *Affirmative.*

PARISIEN.

NULLITATIS MATRIMONII

Die 25 Ianuarii 1895.

Sess. 24, cap. 5 de ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Comes Caietanus in gallico exercitu dux, cum praeesset militiis in Burdigalensi civitate degentibus, decursu anni 1877 agere coepit de matrimonio ineundo inter unicam suam filiam Aloysiam et iuvenem Franciscum.

Huiusmodi nuptiae valde Corniti Caietano arridebant, quippe sponsus admodum dives erat et in paroecia *La Cornuaille* Andegavensis Dioecesis com morabatur, prope pagum *Loire* eiusdem Dioecesis, ubi Comes avitum possidebat Castellum in quo sperabat sponsos commoraturos esse. E contra Aloysia primo respuit, ut ipsa refert, hoc coniugium, maxime ex sua erga Franciscum aversione ; tamen firmae patris voluntati diu resistere non valuit.

Interea Dux Caietanus ratione aetatis militare deposuit imperium ac circa medietatem mensis *Martii 1878* Burdigala discedens, ad nativum Castellum cum suis universaque familia se recepit, uti actrix aliique testes affirmant, atque ibi filiae coniugium iniri statuerat.

Postea vero Comes Ceietanus animo reputans, non absque incommodo plures propinquos et amicos, nuptiis in Castello adsistere potuisse, praesertim praeclaros matrimonii testes, nimirum Ducem d'Aumale et Ducem militum Ducrot, Parisiis commorantes, constituit, sicut nonnuli testes deponunt, quod Parisiis Aloysiae matrimonium....celebraretur. Quapropter Caietanus *die 22* vel *23 Martii 1888* Parisios cum filia se

contulit, per aliquot dies in Diversorio *des Ministres* commoratus, deinde in illo ampliori *du P alais * Cours la Reine, 28;* posito in parochia *S. Petri de Chaillot.*

Aloysia postquam simul cum patre per mensem circiter commorata fuerit in Diversorio *du Palais, die 7 Maii 1878*> vix quadrilustris, iuncta est matrimonio Francisco 25 annos nato a sacerdote Perdreau ex licentia parochi S. Petri *de Chaillot;* absque delegatione, ut nunc asseritur, parochi *de Loire,* vel *de La Cornu aille* > aut Andegaven. Antistitis. Sponsi eadem coniugii die voluptuarium iter susceperunt, quo peracto, ad Oastellum Vallière lares fìxerunt, ubi etiam Aloysiae pater rediit.

Hae nuptiae haud faustum sortitae sunt exitum ; animorum concordia parum aut numquam extitit; vir enim fovisse videtur inhonestas relationes cum alia muliere. Tandem post 12 cohabitationis annos Franciscus dereliquit uxorem, eo quia ipsa noluit amice tractare atque invisere illam mulierem, quae ab omnibus dicebatur eius amasia.

Reconciliatione postea frustra tentata Aloysia sub anno 1891 petiit ac facile obtinuit a gubernio civili corporum bonorumque separationem. Denique *die 22 Aprilis 1894* supplicem porrexit libellum Emo Archiepiscopo Parisien., enixe postulans ut suum matrimonium nullum ac irritum declararetur ob clandestinitatis impedimentum et gravem metum reverentialem a patre incussum.

Parisien. Curia processum statim inchoavit; atque praeter sponsos et Comitem Caietanum, excussi fuere sub iuramento viginti et unus testes, sive ab actrice inducti, sive ex officio vocati. Ac denique, iudiciali inquisitione ea qua par erat diligentia completa, Iudex delegatus *die 28 mensis Martii 1895* sententiam protulit, declarans constare de nullitate matrimonii propter defectum formae Tridentinae.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO XMULIERIS. Aloysiae patronus in duo dispexit capita suam thesim ac primo in capite ostendere sategit : vi-

rum domicilium habuisse in paroecia de *La Cornuaille;* mulierem autem in illa de *L^oirè, Andegaven. dioeceseos,* cum anno 1878 Parisios ambo petiere, unice nuptias ini turi in paroecia S. Petri de *Chaillot,* quin antea saltem quasi domicilium alteruter acquisierit.

Quod vir nuptiarum tempore, ait orator, domicilium habuisset in paroecia de *La Cornuaille,* et nec quasi domicilium sibi Parisiis comparasset evidens est, et nec ab adversariis in discrimen adducitur. Praeter enim coniugum depositiones, plures alii testes idipsum fatentur.

Nec minori evidentia patet, pergit advocatus, sponsum Parisios petiisse nuptias unice contracturum in paroecia S. Petri, paucos dies permansisse et eadem nuptiarum die cum sponsa discessisse, ita ut nec quasi domicilium ibidem acquirere potuerit.

Quoad mulieris domicilium orator observat quomodo .ex lege liberorum domicilia in eo loco censeantur, in quo paterfamilias lares habet. At de Aloysiae patris domicilio, nuptiarum tempore, in castello *VaJHère,* paroecia *de Loire,* Andegaven. dioecesis, nullum dubium adesse potest.

Nec, ait procurator, dici potest Caietanum amisisse domicilium ex eo quod saepe e loco sui nativi domicilii discedebat ; nam iuxta Card. D'Annibale, *Summula par. I,* §§ *83 et 84, not. 14 et 23,* domicilium semel quaesitum quis non amittit, nisi cum discedat non amplius reversurus ex *LJ. 20 Ad Munie, et L. 7 Cod. De Incoi.;* retinet vero si discedat, licet ad longum tempus, sed reversurus, quia tunc nec discessisse videris, *ex LJ. 27, § Celsus, Ad Municipi L. 27 De Inst. leg. et L. 29 de Reg. Iur.* Ideo non sufficit discessisse, si animum revertendi habeat. Atqui, ex pluribus hac super re percontatis testibus, nec unus fassus est, actricis patrem, ab avito castello discedendo, animum habuisse non amplius revertendi, vel domicilium nativum relinquendi ; sed omnes deponunt, illum semper abiisse cum proposito redeundi, vix facultas illi foret, et reapse saepe inveniebatet per tempus haud breve morabatur.

Licet quae hucusque explicata sunt, iuxta oratorem, satis demonstrent, Caietanum nuptiarum tempore domicilium in avito castello *V allier e* habuisse, praesto etiam alia sunt argumenta, quae idipsum evidentius ostendunt.

Cum mense Martio 1878 Dux stipendia faciendi tempus expleverit, narrat Advocatus, statim Burdigala discedens, non amplius reversurus, ad suum castellum cum universa familia suisque rebus directe se contulit et illud reiiciendum curavit. Ne vero contingeret quod ab unica filia disiungeretur, sategit, nuptias ei proponere cum Francisco, proximi pagi *Comuaille*, qui annuebat in uxoris domo habitare. Hinc quibusdam sub conditionibus, ac parte sibi reservata, castellum filiae dono dedit, qui donationis contractus per publicum notarium in dicto pago *Loire*, paucis ante nuptias diebus peractus fuit. Demum, etiam matrimonium in paroeciali ecclesia *de Loire* celebrari debebat ; sed Caietanus nolens cogere Ducem d'Aumale, et Ducem militum Ducrot, sacramentales testes, ad longum iter suscipiendum, simulque perpendens, non posse eosdem, propinquos aliosque in castello, uti decebat, excipere, statuit nuptias Parisiis contracturas fore, ac reapse filiam illuc perduxit et in ecclesia S. Petri illa matrimonium iniit, quin ipsa vel vir saltem quasi domicilium sibi comparasset. Haec omnia, unanimi plurium testium depositione, demonstrat patronus.

Notat insuper procurator, quod Caietanus, percontatus de suo domicilio a Ministro belli, Martio 1878, refert: «Je m'empressai de l'informer, qu'il eût à m'adresser ses ordres au château de Vallière »; et ipsemet Minister declarat : «Vous m'y indiquiez votre adresse à Paris, et je sais personnellement qu'à ce moment vous étiez installé au château de Vallière ». Et reapse post filiae nuptias, Parisiis discedens, ad avitum castellum se contulit ac ibidem usque ad hodiernam diem commoratur.

Quoniam vero aliquis ex adversariis asseruit, Caietanum uti vagum Parisiis esse habendum, ad id ref Litandum patronus affert doctrinam Card. D'Annibale, *Summula par. 1,*

§ 84. « Qui nullibi fixum domicilium habens, incertis utitur sedibus ; vel relicto suo domicilio, quaerit quo se conferat, atque ubi consistat, is proprio nomine dicitur vagus ». At nemo sanae mentis, observat orator, affirmare potest, Caietanum reliquisse domicilium oppidi *Loiré,* si tantum perpendat, I°. e suo castello discessisse cum animo quantocius revertendi, comitandi gratia Parisios filiam nuptias ini turam, et ibidem in diversorio habitasse; 2°. ipsum triduo post nuptias, filiam autem cum sponso, post nuptiarum iter, illuc rediisse.

Adducitur ab advocato etiam aliud argumentum pro actricis domicilio in loco *Ljoirë.* Cum enim pater optaret quod filia continuam moram ibidem faceret, paucis ante nuptias diebus in forma iuris valida, castellum eidem dono dedit, sibi parte reservata, ut ibi cum sponso degeret. Hinc Aloysia, nuptias iniens, larem fortunarumque suarum summam in suo castello habebat cum animo perpetuo manendi, et reapse post nuptiarum iter illuc cum viro rediit. Cum igitur, observat Aloysiae defensor, habeantur in casu animus et factum ad domicilium acquirendum requisita, Card. D'Annibale *Summula par. I, §84,* evidenter patet, actricem, seposito parumper patris domicilio, domicilium vel saltem quasi domicilium in loco *Loire* ante nuptias sibi comparasse.

Nec dici potest, contendit advocatus, actricis patrem nuptiarum tempore retinuisse domicilium in pago *Loire,* sed acquisivisse quasi domicilium in paroecia S. Petri de Chaillot, cum ibidem ultra mensem ipse permansisset. Nam uti docet Card. D'Annibale *Summula par. I,* § *84,* « quasi domicilium acquiritur, perinde ac domicilium, voluntate et facto ; voluntate manendi alicubi maiorem saltem, et non tantum notabilem, anni partem; quamobrem si (quis) aliquo venerit, quasi viator; vel litis aut negotii expediendi gratia, his expeditis, discessurus ; quamvis praeter opinionem immorari eo loco, vel per annum contigerit, quasi domicilium eo non acquiri verius est ». Atqui ex testium depositionibus constat, actricem cum patre Parisios et paroeciam S. Petri pe-

tiisse unice ad nuptias celebrandas, quibus initis illico discessisse; repugnat itaque quasi domicilium ibidem acquiri potuisse, arguit Orator.

Qui insuper concludit casui nostro ad rem facere resolutionem S. O. C. diei 22 Februarii 1631. - « S. Concilii Congr. censuit dandam esse declarationem in abstracto in forma sequenti : - Vir et mulier a loco suae habitationis, absque animo illam relinquendi, discedentes, et ad locum alterius parochiae solo animo illic matrimonium celebrandi, non autem domicilium contrahendi, se transferentes, ibi coram parocho illius loci matrimonium inter se contraxerant. Supplicatio per S. C. declarari, an huiusmodi matrimonium sit nullum vel validum. - Die 22 Februari 1631. Sacra etc., *secundum ea quae proponuntur censuit esse nullum* ».

Ad secundum orationis caput advocatus descendens probare contendit, nullam delegationem datam fuisse a Parocho alterutrius sponsi, vel ab Ordinario Andegaven.

Ipse praemittit quomodo hoc in casu non praesumatur delegationem concessam fuisse, sed probari debeat. Atque etiam, uti orator vult, attendendum est in Archidioecesi Parisien, morem invaluisse, ut a parochis matrimonialia negotia, quasi iure proprio, primo Vicario committantur; quem morem confirmat Vicarius Generalis Parisien, litteris Emo Card, Praefecto transmissis, scribens: « in hac Dioecesi mos invaluit, ut negotia matrimonialia saepe saepius exclusive et quasi iure proprio tractentur non a parocho, sed a primo Vicario ».

Hisce praemissis, notat actricis defensor, ad ostendendum nullam delegationem impertitam fuisse a parocho alterutrius sponsi, sufficeret depositio Canonici Perdreau, qui nuptias benedixit, et Sacerdotis Sabatier, qui nuptiarum tempore (uti et in praesentiarum) in paroecia S. Petri primi Vicarii munere fungebatur. Siquidem absolute repugnat, datam licentiam utrumque latuisse. Iamvero C. Perdreau fatetur, se licentiam assistendi matrimonio a Parocho S. Petri petiisse ac obtinuisse, idque confirmat Sac. Sabatier, qui

omnia matrimonialia negotia curabat: « M. Perdreau a été délégué, ait, par M. le Curé lui-même, ou, s'il avait été absent, j'aurais moi-même délégué M. Perdreau ».

Nec serio, observat patronus, obiici potest fortasse Parochum S. Petri delegatum fuisse vel a parocho aut Ordinario Burdigalen., vel a parocho sponsae, aut a parocho sponsi, vel tandem ab Ordinario Andegaven., nam, saltem in dubio, pro valore matrimonii standum est.

Prae primis enim, ait advocatus, notandum est, Sacerdotem Sabatier, primum Vicarium S. Petri fateri : « Je ne sais pas qu'ils, parochi vel Ordinarius proprius, aient donné aucune délégation : du reste les registres ne constatent rien et je marque toujours une délégation. J'affirme n'avoir reçu aucune délégation ». Et rogatus a Iudice : « Avez-vous fait part de vos inquiétudes à ce sujet, soit à M. le Curé de St. Pierre, soit aux parents ou aux amis de la future ou du futur? » Reposuit: « Je n'ais rien eu à dire, puisque je n'ai pas eu ni doute ni crainte et que je croyais à un réel domicile à l'adresse indiquée ». Et si parochus S. Petri licentiam ab aliquo parocho vel Ordinario contrahentium proprio recepisset, suo primo Vicario procul dubio significare debuisset, et repugnat, illum altum tenuisse silentium, ac in matrimoniorum libro nihil prorsus ac de re notasse.

Accedit, pergit orator, quod nedum sponsi, sed nec actricis pater, vidua de la Moricière, comitissa de la Ferronays, quae de matrimonio egerunt, et alii omnes testes nunquam audiverunt delegationem saltem petitam fuisse.

Praeterea, urget procurator, nec ex parte illorum, qui delegationem impertire potuissent, ullum indicium adest, saltem ab uno datam revera fuisse. Sane Parochus Cathedralis et Ordinarius Burdigalen, non amplius erant proprii, quia pater actricis Burdigala discesserat, non amplius reversurus: ideoque, si quasi domicilium ibidem acquisierat, iam amiserat ; sed insuper negant, se licentiam concessisse. Illam non dedisse parochum sponsae, evidenter constat ex depositione sacerdotis Soulard, nuptiarum tempore Vicarii de

Loire, qui, si delegatio reapse data fuisset a parocho, nunc defuncto, id scire omnino debuisset, et tamen fatetur nullam licentiam concessam fuisse, et tum se, tum parochum tunc persuasos, Parisien, parochum esse proprium. Nec eam tribuisse parochum sponsi, patet, quia, si eam dedisset, vir id certe scivisset, qui tamen affirmat, id omnino nescire. Demum Sacerdos Rocher, anno 1878 vicarius parochi de La Cornuaille, fatetur, se prorsus id ignorare, et tamen si revera a parocho huiusmodi licentia data fuisset, id vicarium Rocher latere non potuisset.

Etiam actuales parochi *de Loire* et *de La Cornuaille* affirmant, nunquam audivisse licentiam fuisse concessam, nec in paroeciae tabulario indicium aliquod adesse. Tandem dedisse delegationem Episcopum Andegaven. id ignorat etiam Vicarius Generalis. Quare actualis parochus S. Petri, hisce omnibus perpensis, fatetur : « Aucune délégation n'a été donnée. Il n'y a pas de trace de délégation dans l'acte; et c'est trop important pour qu'on ne la mentionne pas dans l'acte, surtout M. Sabatier, qui est premier Vicaire depuis très longs temps ».

Cum autem, exclamat advocatus, matrimonii nullitas meridiana luce pateat, miramur illius validitatem Andegaven. Episcopum tueri. Hic die 30 Iulii 1895 per telegraphicas litteras rogavit Emum Congr. C. Praefectum, ut controversiae resolutio differretur « ob novas et gravissimas causas, quas litteris proxime secuturis evolvam ». At huiusmodi novae et gravissimae causae nullius sunt momenti iuxta patronum.

Siquidem prae primis, notat orator, haud intelligitur qua ratione Episcopus asserere valeat, scandalum oriturum ex declaratione nullitatis huius matrimonii : cum quisque facillime percipiat discrimen quod intercedit inter sententiam nullitatis matrimonii ab ecclesiastica auctoritate editam, et illam divortii a civili tribunali prolatam. Ecclesia enim non solvit coniugale vinculum, sed declarat illud unquam extitisse. Quod si reapse fideles in tanta ignorantia detinerentur, Episcopi et Parochorum foret eos docere.

Episcopus dein addit: «Ces sont les impressions, scandali, de toutes les classes de la société Angevine, même des proches parents de M. Louise qui, à très peu d'exceptions, ont cessé de la voir et la jugent avec une extrême sévérité ».

Contra huiusmodi affirmationem patronus refert protestationem tribuni militum Gibert a maiori parte actricis consanguineorum approbatam, quae sequentis est tenoris : « Nous protestons avec indignation contre cette accusation la plus grave qu'on puisse oser porter contre une femme. - Nous voyons et entourons notre nièce; mes sœurs et cousines n'ont jamais cessé de l'aimer, de la plaindre, de l'estimer, de la recevoir, lui confiant leurs filles et ayant pour sa tenue, sa conduite, sa moralité, l'estime qu'elle mérite, et pas un de nous ne s'est permis de la blâmer de s'être dans ses conditions adressée avec confiance à l'Eglise____La société toute entière lui a su gré de s'être mise au dessus des attaques calomnieuses, que certaines personnes, mues par de graves questions d'argent, avaient intérêts à porter contre elle ». Insuper fere omnes actricis consanguinei, duas litteras Emo Cardinali Praefecto transmissas subscriben tes, proclamant: « Aucun membre de sa famille, actricis, n'a cessé de la voir, et n'a eu a déplorer la vie de désordre à laquelle il (Episcopus) a fait allusion. - Monseigneur a dû être induit en erreur et sa bonne foi surprise ».

Episcopus admittit uti probabile, concludit tandem Aloisiae defensor, quod Archiepiscopus Burdigalen, delegationem dederit, eo vel magis, quia dicit : « Le Général de Rochebouët était particulièrement lié » cum illo. Sed cum debita reverentia erga Episcopum animadvertit, esse elementare iuris principium, quod quis domicilium statim amittit, cum ex aliquo loco discedit non reversurus. Iamvero Dux, cum filia nupsit, a duobus abhinc mensibus Burdigalâ abierat cum animo non amplius redeundi.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. Sacri vinculi defensor e contra totis viribus contendit, servatam fuisse for-

mam a Conc. Tridentino praescriptam. Forma enim a patribus Concilii inducta *Sess. XXIV cap. L de reform, matr.* sic iacet : « Qui aliter, quam praesente parocho, vel sacerdote, de ipsius parochi seu ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere atfentabunt, eos sancta synodus, ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullai ». Nil aliud, quod praesentem controversiam vel leviter attingere possit, habet *littera* celebris Decreti « *Tametsi* ».

Verum, ait sacramenti tutor, si patrum Concilii *mentem* tuto assequi volumus, sufficit attente perlegere disputationes inter patres ad rem habitas, quae dilucide referuntur a Card. Pallavicino *Istoria dei Conc. di Trento, Uh. 22, n. 17.*

At Patrum Conc. Trid. *mens,* per sententiam Iudicis parisiensis, qui praesens matrimonium clandestinum proclamat, vim patitur iuxta oratorem; bene vero exponitur ab Episcopo Andegavensi , qui nuptias , quas iuvenes Aloisia et Franciscus, suffragantibus nupturientium parentibus, viris opibus et dignitate praestantibus, posteaquam per sex menses egerant de matrimonio, Lutetiae Parisiorum in templo Sancti Petri de Chaillot die 7 maii 1878 celebrarent, Galliae proceribus, quos inter regali etiam sanguine cretis, praesentibus et subscribentibus, recensere recusat in catalogo nuptiarum clandestinarum.

Ut autem velut ictu oculi perspici possit quantum sit a veritate devia Iudicis Parisien, sententia, facta refert ligaminis vindex, quibus sententia innititur, quae facta Iudex ipse ita enarrat: « Attendentes, tempore matrimonii in ecclesia S. Petri de Chaillot contracti, Franciscum in parochia de Cornuailles, Aloysiam vero in paroecia Loire, Dioecesis Andegavensis, domicilium habere ; Aloysiam quidem in territorio paroeciae S. Petri simplici gaudere habitatione, sed ad modum viatoris transeuntis, cum animo non manendi, ideoque neutrum sponsorum in praedicta S. Petri paroecia tunc temporis sive domicilium sive quasi domicilium acqui-

sivisse. Attendentes demum nullam in ordine ad hoc matrimonium sive ab Ordinario sive saltem ab alterutro sponsorum Parocho adfuisse delegationem ».

Igitur observat orator, fundamenta parisien, sententiae haec sunt : - I. Aloisiam seu patrem eius, tempore initi matrimonii, domicilium *habitationis* habuisse in paroecia *Loire :* - II. Franciscum domicilium pariter *iiahitationis* tunc temporis habuisse in parochia *de Cornuaille :* - III. Concilium tridentinum, *sess. XXIV cap. 1 de reform, matr.* impedimento fuisse quominus parochus ecclesiae sancti Petri *de Chaillot* licite et valide matrimonialem Aloisiae et Francisci consensum absque delegatione parochi *de Ljoiré* vel *de Cornuaille* vel ordinarii andegavensis exciperet: - IV. demum delegationem praedictam desiderari. Huiusmodi autem Iudicis Parisien, columnae, ait sacramenti tutor, vitreae omnino sunt.

Reque vera a prima incipiendo statim infringitur : nam nemo negat Caietanum, cuius domicilium sequebatur Aloisia, domicilium politicum, seu *electoral,* in avito castello, vulgo *Vallière,* pagi *Ljoiré* habuisse. *Ai* domicilium politicum a domicilio sive quasi-domicilio *Iiahitationis,* quod in praesenti attenditur et non aliud, distat quantum finitum ab infinito. Passim namque usuvenit, ut quis aliquo in oppido bona, instructam domum possideat, solvat tributa, politicis in electionibus ius eligendi aliaque exerceat, non tamen *Iiahitationis* domicilium, nec quasi-domicilium inibi habeat. At nihil magis praedicatum in iure est, quam quod ille in huiusmodi locis minime sortiatur parochum, coram quo matrimonium valide contrahere queat.

Age modo, urget defensor : Caietanus, generalis militum imperator, tota vita sua militiam coluit, et proinde *Iiahitationis* domicilium modo in una, modo in alia civitate, ratione muneris, nunquam tamen in pago *Loire,* nactus est. Speciminis ergo : quando Aloisia nata est, pater Bellovaci versabatur. Iudiciali enim in libello prostat : « Ipsa (Aloisia) nata est in Dioecesi Bellovacensi ». Nec certe in pago *Loire*

domicilio *Iiahitationis* fruebatur cum belli gubernacula tenuit et cum per quatuor annos Burdigalae usque ad diem 15 martii 1878 praefuit militibus. Quo vero ad Aloisiam ipsamet testatur : « Je n'ai jamais quitté la maison paternelle depuis ma sortie du couvent du Toule en 1875. J'ai quitté Bordeaux avec mon père le 16 ou le 17 du mois de mars 1878 ».

Nec potest obiici, notat vinculi defensor, quod duobus mensibus ante matrimonii celebrationem militaribus negotiis Caietanus nuncium dedisset, et statim domicilium *habitationis* in pago Loire constituisset. Id ipsiusmet prohibet voluntas. Nemo enim credet virum, qui summis totius Galliae honoribus perfunctus erat, « ancien Président du Conseil des Ministres, ancien « Ministre de la Guerre » qui Lutetiae Parisiorum habebat antiquos sodales, omnes amicos atque propinquos, qui per tot annos consueverat magnis in urbibus vitam agere, constitutum in aetate annorum sex supra sexaginta voluisse in pagum secedere, in quo nescio an ipse in tenella aetate domicilium *habitationis* habuerit, vitam acturum solitariam atque commoditatibus, quibus assueverat, destitutam. Ceterum *animo* et *facto* domicilium constituitur. Quocirca duo haec attendenda sedulo sunt, si veritatem assequi volumus.

Enimvero, pergit orator, quod ad animum attinet, monumenta publica eum nitide demonstrant. Porro a Belli Ministerio Caietanus die 15 martii 1895 responsum tulit: « Il ressort de l'enquête faite que d'après votre demande signée à Bordeaux le 15 mars 1878, vous avez désigné Paris pour y recevoir le traitement affecté à votre nouvelle position ». In codice civilium publicationum matrimonii Burdigalae habitarum legitur : « Mlle. . . . Louise domiciliée à Paris, avec son père, cours la' Reine 28, avant à Bordeaux »; in Parisiensi codice civilium pariter publicationum prostat : « . . . . . Louise... demeurant avec son père à Paris, Cours la Reine 28, avant à Bordeaux » : in civili matrimonii codice scriptum est : «____. Louise née à Beau vais, demeurant à Paris, Cours la Reine 28, avant à Bordeaux, chez son père ». Parochialis

demum matrimonii liber haec continet : « . . . . Louise demeurant Cours la Reine 28, de cette paroisse, et précédemment à Bordeaux ».

Haec, exclamat sacramenti propugnator, ineluctabilia sunt : attamen Caietanus declarationem domicilii apud Belli Ministerium emissam enervare pertentans, ait: « Les sous-officiers et soldats sont astreints à déclarer un domicile, relevant d'un bureau de recrutement ; des peines disciplinaires leur sont appliquées, s'ils changent leur domicile sans en avertir l'autorité. Toute autre chose est la situation des officiers. Lorsqu'un Général passe au cadre de réserve, le Ministre lui demande où il désire dorénavant que son traitement lui soit versé. Ceci est une simple formalité financière ». At ipsemet Caietanus, adiieit : « Le Ministre, ayant jugé nécessaire de connaître mon domicile pour me transmettre ses instructions, en cas de mobilisation, me fit alors demander hiérarchiquement où dorénavant il devait m'écrire ». Ex hisce, observat orator, liquet legem denuntiandi domicilium generales militum duces afficere non minus quam Ínfimos milites. Et ita tenendum est, nisi asserta Ministri epistola et responsio a Caietano data, contrarium suadeant.

Ast, urget vinculi tutor, facta verbis sunt eloquentiora. Iam vero in antenuptiali contractu, non solum legitur : « Louise, demeurant chez Mr. le Général Comte son père ci-après nommé à Paris et domiciliée à Paris », verum etiam ex testimonio ipsius Comitis prostat aviti castelli vulgo Vaìlière, cessio a Caietano facta nupturientibus. Contractus iste obtinuit statim ac Caietanus Burdigala discessu, idest duobus ante matrimonii celebrationem mensibus, coram domino Caron « notaire a Candé-Maine et Loire ». Quod autem Comes Caietanus servaverit sibi cubiculum ; imo etiam « une partie de la terre du Château de Vallière » bene, ait orator, componi potest cum politico, minime vero cum habitationis domicilio. Dolet etiam defensori, quod Aloisia exemplar huiusce contractus non ex integro, at prooemium tantum exhibuerit suppressis articulis. In articulis enim

pretiosa multa et circa cessionem castelli et futurum nupturientium ac ipsius comitis Caietani domicilium forsan continentur.

At sustinet sacramenti vindex, Caietanum a die 16 martii 1878, quo Burdigalae valedixit, usque adhuc habitualiter incoluisse non in pago Loire, sed Lutetiae Parisiorum. Parisiis non solum Comes, sed etiam coniuges incoluerunt atque incolunt. Testis Alphridus de Rorthays iurat : « Mr. le General devait habiter avec ses enfans, Aloisia et Francisco, et il n'avait pas voulu arrêter cet appartement avant le mariage, afin de le choisir au goût de tous. C'est au commencement de la saison de Paris, vers l'automne, que cet appartement situé rue de Ponthieu a dû être arrêté ». Insuper Emus Parisien. Archiep. dum inquisitionem instituit, Aloysiam nostrae dioecesis nuncupat ; Aloysia in iudiciali examine ad quaestionem de domicilio reponit: « 70 rue de Ponthieu », et Caietanus in sua ad tribunal epistola habet : « Paris, le 4 février 1895 ».

Clarissimum aliud argumentum, prosequitur vinculi propugnator, habetur a parochiali matrimoniorum codice in quo legitur: « L'an 1878, le 7 Mai, après la publication,d'un ban faite en cette église, en celle de la Cornuaille, diocèse d'Angers, et en celle de St. André, diocèse de Bordeaux, vu la dispense de deux autres bans, vu le certificat de l'Officier de l'état civil etc. » At de publicationibus in paroecia Loire nullum vestigium. Verisimile autem non est, observat orator, parochum sancti Petri de Chaillot, Iosephum Sabatier, antiquiorem ex vicariis, ad matrimonia specialiter destinatum, defecisse in re tam obvia, et publicationes matrimonii in omnibus exegisse parochiis, paroecia excepta Loire, in qua Aloisia habuisset domicilium habitationis.

Cum tot ac gravibus argumentis, quae praetensum actricis domicilium habitationis excludunt, spernendi omnino sunt, ait vinculi defensor, illi omnes testes, qui Aloisiae domicilium in parochia Loire appingunt. Isti omnes generalibus verbis domicilium affirmant, seu iudices, potius quam testes

agunt : cum testium sit referre facta cum singulis circumstantiis atque adiunctis ; solius autem iudicis proprium sit aestimare facta eorumque iuridicum valorem definire. Deinde, tanta in iure confusio est domicilii, quasi-domicilii, domicilii politici, domicilii civilis, domicilii ad tramites iuris romani, ad tramites iuris canonici et in sensu vulgari, ut quisque testis pro lubitu facile possit mille vel nullum cuique domicilium ascribere.

Accedit insuper, continuat orator, quod dux militum Caietanus per quatuor integros menses, in paroecia sancti Petri de Chaillot diversatus sit. Ipsa Aloisia enim iurat: « Nous sommes revenus à Paris le 23 Mars ». Et Maria Roch, Diversorii *da Palais* domina testificat : « Mr. le Général nous a quitté le 23 Juillet 1878 pour ne plus revenir ». Quisquis autem videt moram duorum ferme mensium ante et amplius duobus post matrimonii celebrationem quam maxime faciendam esse, si, ait defensor, prae oculis habeatur declaratio Benedicti XIV ad Archiepiscopum Goanum, statuentis ad quasi domicilium adipiscendum relate ad validum matrimonium contrahendum, requiri'- spatium saltem unius mensis.

Hinc, prosequitur sacramenti vindex, congruenter ad Benedictinam doctrinam Ioannes Perrone *De matrim. Christian, lib. 2 sect.i cap. 6 art. 5 p. 278,* et Petrus Gury, in *Theolog. moral, tract, de matrim, n. 846,* docent moram unius mensis sufficere ad matrimonium valide contrahendum.

Dici etiam posset, contendit orator, Aloisiam quando matrimonium contraxit, nullum habuisse parochum proprium. Nam domicilium habitationis tunc non habebat in paroecia *Loire;* nec ipsa retinebat domicilium in burdigalénsi parochia S. Andreae, quia discesserat animo non amplius redeundi. Ea propter valide ac licite matrimonium coram quocunque parocho contrahere potuit.

Nec defensor movetur a testimonio parochi S. Petri de Chaillot, dum inquit : « Evidemment non, on n'a pas pensé que Mr. le Comte Général et Mademoiselle sa fille pouvaient être vagi, sinon on aurait demandé une délégation ». Nam

praeter quod licentia Ordinarii in matrimonio vagorum praescripta haud est sub poena nullitatis matrimonii, ceu videre est apud Sánchez *De matrim, lib. 3. disput. 2~), n. 17,* otiosa est, quando nupturientes non sunt vere vagantes et incertas habentes sedes, sed noti in civitate; uti idem Sánchez docet *loc. cit. n. 8.*

Concludit tandem vinculi propugnator, Parisien. Iudicem supposuisse sponsum coniugii tempore adhuc subiectum fuisse parocho *de La Cornuaille:* ait enim: « Attendentes tempore matrimonii in ecclesia S. Petri de Chaillot contracti, Franciscum in parochia de Cornuaille domicilium habere ». Ast Franciscus amplius mense, antequam iugale foedus iniret, domicilium in paroecia de Cornuaille amisit.

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia Curiae Parisien, sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO Sacra C. C. re disceptata sub die 25 Ianuarii 1896, censuit respondere : *Sententiam esse confirmandam.*

EXPULSUS COLLIGES: I. Domicilium liberorum, pro matrimoniis ineundis, censeri, ex lege, in eo loco, in quo paterfamilias lares habet.

II. Patremfamilias, domicilium semel quaesitum haud amittere, etsi ex loco saepe discedat, etiam ad longum tempus, nisi discedat cum animo amplius non revertendi.

III. Vagis accensendus esse illos tantum, qui relicto suo domicilio, incertis utuntur sedibus, quaerentes quo se conferant atque ubi consistant.

IV. Sponsos in themate habuisse proprium domicilium in quo lares et summam fortunarum suarum habebant, cum animo ibi perpetuo manendi.

V. Quasi domicilium acquiri eadem ratione, qua domicilium ; nempe voluntate et animo ; qua de re si quis aliquem petierit locum, litis aut negotii expediendi gratia, quam-

vis, praeter opinionem, inibi manserit vel per annum, quasi domicilium eo non acquirit.

VI. Hanc esse S. C. Congregationis iurisprudentiam, videlicet, matrimonium valide inire non posse virum et mulierem discedentes a loco suae habitationis absque animo illam relinquendi, et etiam petant paroeciam animo tantum illic matrimonium ineundi.

VII. In themate initum fuisse matrimonium Parisiis a ministro Ecclesiae, nihil cogitans de domicilio acquisito aut sin minus de delegatione a proprio sponsorum parocho aut Episcopo largita; qua de re nulliter actum est.

PRATEN.

TRANSACTIONIS

Die 25 Ianuarii 1896.

Sess 24, cap. 5, De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Postquam Ecclesia Pratensis per Bullam Innocentii Papae X ad dignitatem Ecclesiae Cathedralis evecta fuit, atque Ecclesiae Pistorien, aeque principaliter unita, Episcopus sibi vindicare coepit liberam beneficiorum collationem, quae hactenus collata fuerant, praevia clerici praesentatione, a canonicis Ecclesiae Pratensis collegialibus exhibita. At collegii Praepositus, qui tunc nomine canonicorum, hoc Patronatus ius exclusive exercebat, mordicus restitit, contendens huiusmodi beneficia, quippe huius Ecclesiae aut saltem agri Pratensis fundata bonis, competere iuri Patronatus eiusdem Ecclesiae. Ex adverso instante Episcopo, sibi devolutam esse beneficiorum collationem ob dignitatem Ecclesiae Cathedralis, qua fuerat aucta Ecclesia Praten.; quamobrem non amplius collegii Praeposito, sed sibi immediate subiecta fuerat.

Huiusmodi controversia seminarium extitit discordiarum, ad quas in perpetuum sopiendas consilium captum fuit instaurandae *Transactionis* Episcopum inter et Canonicos Pra-

tenses. - Quam transactionem mature initam fuisse, nimirum ad eamdem deventum esse, praemisso diligenti studio et quaestionis examine argumentum non dubium est, huic contractui ineundo adlaborasse eiusque stipulationi, *sub die 10 Maii 1743,* adfuisse viros sane perillustres ; scilicet Praesulem Ginori, Fesulanum Episcopum et Presbyterum Martini, Internuntium Apostolicum apud Hetruriae Ducem. - Rem nostram quod spectat, in conventione actum fuit, ut nonnulla beneficia nominatim expressa, ab Episcopo libere conferantur, alia non conferrentur, nisi clerici praevia praesentatione a Capitulo facienda, hac tamen sub lege, nempe : « *Roc tamen adiecto pacto, quod personae eligendae et respective praesentandae a.d praedictos canonicatus et cappellanias, tam ab Episcopis, quam a canonicis sunt et esse debeant* Pratenses et originarii dictae civitatis ». Praeterea haec alia adiecta fuit clausula « *salvo tamen et reservato principio medio et fine praesentis instrumenti beneplacito Apostolico, quatenus de iure requiratur, quod non creditur* ». An reapse accesserit vel minus huiusmodi beneplacitum Apostolicum, ex aliquo instrumento non constat : an praesumendum sit accessisse ob longam conventionis observantiam, hoc quaestionis est in themate.

Re quidem vera Episcopus testatur, conventionem observatam fuisse usque ad nostros dies, si quatuor vel quinque demas vices, quibus in postremis 60 annis aliquod beneficium civi non Pratensi collatum fuit; nemine contradicente. Aliqua vero beneficia; in conventione determinata, sublata fuerunt per usurpationem Gubernii civilis. Interim accidit quod vacaverit quoddam beneficium a suo fundatore dictum - *Ser Lelio Buonamici* - quodque cuidam civi non Pratensi conferre statuerat Episcopus.

At huiusmodi collationi se opposuit Robertus Cipriani canonicus, apposito in curia « *N Util trau sent* » simul recurrens ad S. C. C. ut ipsa Transactionis urgeret observantiam, nulla declarando acta contra eamdem posita. Verum S. C C . visum est respondere *die 27 Ianuarii 1894 :* « *Ex deductis*

esse locum lacerationi - nihil transeat - et provisioni canonicatus iuxta votum Episcopi et Capituli ». Episcopus enim, de more, percontatus, responderat, sibi nullam videri Transactionem ob defectum Beneplaciti Pontificii. Capitulum autem rite congregatum, ut suam significaret sententiam hac de re, deliberavit, rationem haberi non posse controversae Transactionis, *novem* ex Capitularibus ita opinantibus, *tribus* contrarium sentientibus.

Iterum institit apud S. C. C. Canonicus Cipriani, ut in examen revocaretur quaestio generalis, an nempe Transactio anni 1743 adhuc valeret, et quatenus valeret an Episcopo et Capitulo integrum esset eidem derogare.

Capitulum rite sciscitatum, ut suas offerret animadversiones, respondit, se nolle in iudicio aliquam partem habere, permittens tamen singulis canonicis eas suggerendi rationes, quibus intentio Capituli iam patefacta probaretur.

Disceptatio Synoptica

CANONICORUM DEFENSIO. Putant isti, Transactionem sustinendam non esse quippe carentem beneplacito Apostolico, quod necessarium in themate videtur. Agitur enim de novo onere imponendo beneficiis rite institutis, contra expressam iuris voluntatem, nempe « *Ut beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur* ».

Necessitas beneplaciti Apostolici repetitur ab Episcopo alio ex capite, nimirum a ratione *alienationis,* quae continetur in *Transactione* prouti docet *Ferraris - Prompt. B ibi. - Alienatio -* art. 4, n. 12. « *Alienatio super rebus Ecclesiasticis nequit fieri sine Beneplacito Apostolico et si fiat, cum reservatione dicti Benep*[1] *aciti, revocari potest adestque locus poenitentiae* ». Nam, instat Episcopus, contrahentes non possunt obligare successores seu ipsam Ecclesiam, nisi Papae accesserit auctoritas, citans haec Ferraris verba *I. cit. n. 22:* « *Transactio personalis super rebus seu iuribus Ecclesiae fit realis et obligat successores si fuerit .a Papa, ex certa scientia confirmata* ».

Hanc conventionem vere nunquam Papam ratam habuisse aut confirmasse desumunt Canonici, non tantum *negative* ex defectu cuiuscumque instrumenti, sed *positive* ex clausula actui adiecta « *reservato... beneplacito Apostolico, quatenus de iure requiratur>* quod non creditur ». Quare explicant factum non secutae approbationis ex satis expressa persuasione, eamdem nempe aestimatam fuisse haud necessariam.

Neque putant, ipsum Internuntium Apostolicum, sua persona, repraesentasse Pontificem, et actum eius nomine firmasse; hoc enim nullibi exprimitur imo aperte excluditur ab adiecta clausula, qua actus subiici debebat approbationi Pontificis, quatenus hoc de iure requireretur.

Demum notat Episcopus, ipsa necessitate cogente postremis temporibus, non semel posthabitam fuisse Transactionis observantiam conferendo beneficia, etiam clericis *non Praten~ sibus et ex hac civitate non originariis,* quia urgebat, in beneficiis instituere digniores et bene de Ecclesia méritos etsi non Pratenses, neque ex hac civitate oriundos. Quare timet Episcopus ne controversa Transactio observanda sit quoad hanc partem ; unde flueret, in tanta Sacerdotum penuria, ut Episcopus allicere non posset Sacerdotes non Pratenses ad graviora sustinenda onera et difficiliora muneris Sacerdotalis, utputa Praeceptoris in Seminario, promittens aliquando se collaturum, in mercedem tot laborum, aliquam praebendam canonicalem. Testatur enim Episcopus «... *come oggi avviene in cui i tre professori più, capaci del Seminario sono quelli che si vorrebbero esclusi dal concorrere alle prebende comprese nella Transazione ».*

Demum Episcopus excludit quamcumque observantiae seu consuetudinis vim; quia « *quod ab initio vitiosum est, tractu temporis conva>*[1] *escere non potest ».*

Ex adverso Canonicus Cipriani contendit pro plena Transactionis observantia nullum deesse requisitum. In primis opinatur non defuisse beneplacitum Apostolicum, quippe Internuntius Apostolicus sua praesentia sufficienter Pontificis auctoritatem repraesentavit. Ipse enim qua talis, pollebat au-

ctoritate et egit de transactione ineunda et conventionis stipili ationi adfuit, expresse in textu contractus nominatus. Unde arbitratur oppositor, ea verba - *(quod non creditur)* - hoc sonare, nempe non credi necessarium ulterius Pontificis beneplacitum, postquam per suum Internuntium, actui adfuerit.

Verum, instat canonicus, postquam haec Transactio in sui favorem habet plus quam centenariam observantiam, eamdem nullo alio indigere beneplacito Papae, quum idem praesumatur prouti reperitur decisum a S. Rota « *in Colonien. 29 ApriHs 1733* » coram Eminentissimo Orescentio, nempe « *Beneplacitum, Apostolicum post lapsum centenariam praesumendum esse in alienatione rei Ecclesiae si conformis subsecuta sit observantia* ».

Observatam vere usque fuisse, huiusmodi Transactionem, notat Actor, in aprico esse, siquidem beneficia adhuc conferuntur partim a Capitulo, partim ab Episcopo ea lege in Conventione, constituta. - Ius vero civium Pratensium aeque recognitum fuit adeo, ut per centum annos huiusmodi beneficia consecuti sint tantum cives Pratenses, hac civitate oriundi. Si postremis 50 annis, quatuor ad summum casus habentur exceptionis, advertit Orator, hos repetendos esse vel a defectu alicuius civis Pratensis, qui beneficio optare valeret, vel a silentio illorum, quorum intererat suum ius tueri.

Item animadvertit, mirum esse non debere, votum Capituli pessumdantis Transactionem ; namque Capitulares, numero plures sunt, qui beneficiis fruuntur in Transactione non comprehensis, quique Transactionis aut minime solliciti sunt, aut eamdem cupiunt aboleri, ut etiam civibus non Pratensibus, canonicatibus pateat aditus.

Demum advertit, a veritate remotum esse Episcopi timorem, ne scilicet ipsi copia sit remunerandi Sacerdotes dioecesis digniores, si huiusmodi beneficia tantum civibus Pratensibus conferenda sunt ; ait enim Actor, alias sane suppetere praebendas vel canonicales et locupletes, quibus

Sacerdotes optime de Dioecesi meriti aequa mercede donentur.

Sed Actor, missis etiam aliis argumentis, instanter, instantius hanc urget animadversionem, nempe in Transactione revera non nova iura constituta esse, nec nova fuisse onera beneficiis imposita, sed iura iampridem statuta, onera iam beneficiis inhaerentia, recognita esse, solemniter firmiterque declarata fuisse. Hinc refert quemdam elenchum *ab an. 1690,* referentem singulos canonicos beneficiorum possessores, ut pateat, in beneficiis, in Transactione comprehensis etiam ante Transactionem, solummodo cives Pratenses, et ex hac civitate oriundos institutos fuisse.

Ex officio autem animadversum fuit in Transactione duas partes distinguere necesse est ; quatenus *'primo* statuitur, cuinam et quomodo spectet aliquorum beneficiorum collatio ; *secando* cuinam conferenda sint. Primam partem quod attinet nulla excitata est controversia, sed sedulo adverti debet ; *indirecte* et hanc impeti ab Episcopo et Canonicis qui Transactionem nullam esse contendunt. Namque hi ut probent civibus Pratensibus ex hac civitate oriundis nullum ius quaesitum esse ex Transactione, aiunt Transactionem beneplacito Pontifìcio carentem, nullam esse.

Iamvero hoc videretur evinci ex necessitate Placiti Apostolici hac in Transactione, qua *nova* onera beneficiis decernuntur. In aperto vero est huius Placiti carentia, eo quia ipsi Transigentes *crediderunt* hoc non requiri, adeo ut nullum extet documentum idem comprobans. Quare non videretur suffragari observantia etiam centenaria, quando certum est, Beneplacitum Apostolicum locum non habuisse ; prouti décisif S. C. C. in *Piacentina diei 23 Sept. 1777.*

Sed e contra non sane *certum,* sed magnopere *dubiam* videtur ex facti specie an Placitum Apostolicum accesserit. Atqui in dubio Beneplacitum Apostolicum praesumitur *post lapsum triginta annorum;* ita Felin. in *cap. Alhericus* « de *test. n. 4,* Rolan, *cons. 99 n. 33 Hb. 2,* S. Rota in *decis. 470 n. 4,* coram Coccino et *decis. 91,* coram Durano ; et in *Ca-*

merinen. Congruae Parochialis, § Contra - die 6 Martii. Et iure quidem merito, ob generalia principia consuetudinis et praescriptionis.

Eo magis valor Transactionis urgendus videtur, quum satis constet non novum onus beneficiis impositum, sed vetus recognitum et *declaratum.* Siquidem eo spectat, suapte natura, Transactio, ut iura dubia et controversa *declarentur ;* uti fuse probat De Luca *De Feudis Disc. 47 § 9,* et docet D' Annibale *II* § *538* aiens « Et verius (Transactio) *declarativa* iuris est, non *translative* ».

Verum Transactionis valor non vetat, quo minus Iudex Ecclesiasticus eamdem vel ex toto vel ex parte rescindât, quando eadem evaserit graviter laedens alterutram partem; uti videre est apud Reiifenstuel, in Tit. De *Transactionibus § 52 seq.* Quamobrem deliberare relictum fuit Emis Patribus an Transactionis vis, ob mutatas temporum conditiones, rescindenda sit, saltem quoad illam partem, qua libertas collationis limitatur, personas promovendorum quod spectat.

Hinc propositum fuit diluendum sequens

Du bin m

An Iransactio anni 1743 servanda sit, tum quoad ius beneficia conferendi ex parte Episcopi et Capituli, tum quoad ius eadem obtinendi ex parte civium Pratensium, in casu.

RESOLUTIO Sacra C. Concilii, re ponderata sub die 25 Ianuarii 1896, censuit respondere: *Affirmative; ita tamen ut attentis peculiaribus circumstantiis., eisque perdurantibus, eligí possint etiam, extranei,, servato, ceteris paribus, iure praefationis favore civium Pratensium, facto verbo cum, SSXw.*

DE SERENA ET S. IACOBI DE CHILE

EXCARDINATIONIS

Die 25 Ianuarii 1896.

Sess. 23, cap. 8, De reform.

COMPENDIUM FACTI. Germanus Donoso, Dioecesis Serenensis Sacerdos, huius controversiae Actor, in urbe S. Iacobi eiusdem Reipublicae Chilenae, anno 1848 natus est, ubi iamdiu parentes suum constituerat domicilium. Mortuo Germani patre, Praesul Donoso, Actoris patruus, et Ecclesiae Serenensis Antistes, secum nepotem adduxit, ut idem in Seminario serenensi, sub propriis oculis suisque impensis, Ecclesiasticis disciplinis imbueretur. - E vivis sublato Praesule Donoso, qui magnam pecuniae vim in bonum Dioecesis impenderat et ex testamento, etiam Seminario plura legavit bona. Germanus ab Episcopo Orrego, successore, sacris ordinibus fuit initiatus, *ratione domicilii* et *titulo servitii Ecclesiae.* - Quare Professor renuntiatus, decem annos hoc munus in Seminario explevit, aliaque "peregit officia, veluti promotoris fìscalis et defensoris Vinculi matrimonialis non semel, pro re nata, functus est munere.

At mortua eius matre, anno 1875, arbitratus Germanus, sibi, ipsa iubente natura, in curam incumbere suae familiae et unius praesertim sororis quae nubilem attigerat aetatem, quaeque S. Iacobi commorabatur, nuntium dedit Seminario et urbi serenensi, et, habita Ordinarii licentia, urbem, Sanctum Iacobum, petiit, ibique viginti iam abhinc annis moratur, totus institutioni iuvenum deditus, insimul consulens victui aliisque necessitatibus propriae familiae. Per id temporis Germanus, neque per unam horam in urbem - *La Serena* - se contulit, quippe redeundi nullum habebat propositum. - Quamobrem ut stabili eius commorationi in civitate S. Iacobi ullum impedimentum nunquam obstaret, petiit ab Ordinario Dioecesis Serenensis indultum *excardinationis,* ut posset clero Archidioecesis S. Iacobi adscribi, quod Archie-

piscopus in votis habebat. At Oratoris instantiae non annuendum esse ratus est Ordinarius Serenensis.

Plures rationes attulit Germanus, et praecipue instabat ob suam male affectam valetudinem, quae in urbe - *La Serena,* - in grave discrimen adduceretur. Praeterea recolebat, se in S. Iacobi Urbe ortum habuisse, ibi suos adhuc commorari, sua opera plurimum indigentes, et praecipue quamdam nuptam sororem, gravi morbo pertentatam, quotidie opem et solatium expostulare ; se vero sacerdotali ministerio incumbere in duobus collegiis cum spirituali alumnorum profectu et Superiorum laude.

Ordinarius Serenae sub die 18 Aprilis 1894 decretum edidit, quo excardinationem denegavit his innixus rationum momentis ; quia Sacerdos Donoso ad ordines sacros promotus est titulo *Se-'vitii Ecclesiae',* quia in Dioecesi multae paroeciae carent titulari pro fidelium servitio ; quia facile est reperire in Dioecesi vastissima partem in qua aeris salubritas non sit inferior illa qua frui possit in Dioecesi S. Iacobi; qua in parte valeat consulere pecunia indigentiae propriae sororis.

At Orator, Ordinarii serenensis non acquiescens decreto, preces obtulit Beatissimo Patri, ut benigne vellet pro sua suprema potestate votis annuere.

Precibus *die 12 Dece i nb. 189.)* de more ablegatis prius Praesuli serenensi, dein Sancti Iacobi Archiepiscopo ; ille, transumptum Decreti transmittens, etiam advertebat « *üb excorporationis litteras aliquibus Sacerdotibus a praedecessoribus meis datas, huic dioecesi damna non spernenda provenisse. . . .* etc. *Denique presbyterum Donoso extra, suam Dioecesim iampridem com inorar i, carni saepe fuerit a suo D rae' ufo arcessitum. declarare debeo* ».

Ea contra Archiepiscopus Sancti Iacobi, postquam sibi constare dixerit, Oratorem ex hac civitate oriundum esse, ubi adhuc eius familia domicilium fovet, ita commendat Oratoris petitionem « *Certum itidem est ex licentia eius Ordinarii et cum facultatibus huius Curiae totum sacerdotale*

ministerium exercendi, in hac urbe commoratam esse per viginti fere annos, quin unquam aliquid, adversum eum visum vel auditum fuerit ».

Disceptatio Synoptica

EXCARDINATIO DENEGANDA VIDETUR. Episcopus serenensis iure merito videtur, ad servitium suae Dioecesis revocare posse Sacerdotem Donoso, quippe titulo *Servitii huius Ecclesiae* ordinatum, eidem arctiore vinculo obligationis devinctum esse, patet. Vis enim tituli *servitii Ecclesiae* tota est in ratione quasi contractus, qua Ecclesia spondit congruam sustentationem clerico, sibi operam suam promittenti, praebentique. Hac tantum de causa S. C. C. non semel probavit *titulum mensae* pro Germania, titulum *servitii dioecesani* pro Hungaria et Gallia et ita porro, quia huiusmodi tituli etsi paulisper remoti a praescriptionibus Concilii Tridentini, tamen suam habent vim, pro congrua clerici sustentatione in obligatione contractuali : sed actum esset de tam salubri dispositione si, pro lubito, alter ex contrahentibus obligationem pessumdaret et impune infringeret.

Praeterea S. C. C. semper praesto fuit suis decretis et sententiis, Episcopis qui clericos compellerent ad aliquod munus sacerdotale amplectendum in sua Ecclesia, cui vi ordinationis adscripti fuerant: ita in una *Nanzien. 22 Augusti 1831.* Eo magis hoc admissus fuit quando Ordinarius testantur de penuria Sacerdotum, prouti in themate deponit Ordinarius Serenensis. In hunc sensum rescripsit S. C. C. in *Tolosana diei 9 Iunii 188-1,* in *Par amisi 17 Ianuarii 1886* et nuper in *Theanen. 8 Iunii 1891.*

EXCARDINATIO CONCEDENDA VIDETUR. EX adverso Oratori sequentes videntur suffragari rationes. Germanus asserit, se Sancti Iacobi civitatem reliquisse a suo Patruo serenensi Praesule invitatum, nunquam vero ab illa civitate animo divertisse. Ceterum, notat Sacerdos^ se suumque patruum in Dioecesi serenensi sane plures annos, non otiose, versatos esse. Memorat enim, se tum in instituendis iuve-

nibus in Seminario, tum aliis in perfungendis muneribus, Ordinario illius temporis, Praesuli Orrego, semper morem gessisse. Suum patruum vero, Antistitem Donoso, ait, suis impensis extruxisse Seminarium, aliaque complura bona et dum in vivis esset, et per testamentum ultro huic Dioecesi contulisse.

Testimonium vero Episcopi serenensis, scilicet « *presbyterum Donoso extra suam Dioecesim iampridem commorari, cum saepe fuerit a suo Praelato arcessitus* » non facile componitur cum attestatione Archiepiscopi Sancti Iacobi affirmantis, Donoso in sua Dioecesi moratum esse « *licentia eius Ordinarii et cum facultatibus huius Curiae* ».

Praeterea Episcopi serenensis intentio in revocando Sacerdote Donoso ea sane est, aperte significata, nempe aut eidem committendi curam parochialem aut munus Praeceptoris in Seminario. Iamvero utrumque officium aperte Sacerdoti Donoso incongruum videtur. Fatetur enim ipse, se parochiali sollicitudini, ex suo ingenio, imparem omnino esse, nullave consuetudine assuetum; officio vero Praeceptoris in Seminario serenensi incumbere non posse, quia aer civitatis serenensis est sibi omnino adversum et valde suo stomacho perniciosum, adeo ut, ex commoratione inibi facta morbum contraxerit a quo se nondum recipere valuerit.

De his omnibus vero aliisque in controversia allatis, testes produxit eosque legitime interrogari iussit, quarum attestationes in actis prostant, adamussim favorabiles intentioni actoris. Testes vero adhibuit omni exceptione maiores ; nimirum Decanum, Archidiaconum et Doctoralem, canonicos e capitulo serenensi, et Praesulem Carter, Episcopum Titularem Antedonen.

Neque rationes Episcopi Decreto suffragantes videntur omnino Sacerdoti adversari. Primo si ad trutinam revocentur decisiones S. C. C. iam citatae adverti debet, has non probare Episcopi serenensis intentionem. Nam, quin singulas facti species enarremus, sufficiat innuere, tunc S. C. C. ita respondisse, quia agebatur de sacerdotibus otiosis, vagis, viribus

pollentibus, qui utile ministerium praebere poterant ubi extrema erat Sacerdotum penuria. E contra Sacerdos Germanus ea non utitur valetudine, ut possit satisfacere Episcopi petitioni; ubi vero in praesentiarum moratur, sacerdotale munus, equidem, explet, quum officio Cappellani fungatur et Praeceptoris, explanando Fidei rudimenta in collegiis saecularibus, scilicet « *Escuela Militar* » - « *Application Practica* » et « *Liceo Amunategui* ».

Si vero Sacerdoti Germano magnopere arridet domicilium Sancti Iacobi, maxime quia ita subvenire facile valet sororis male affectae valetudinis necessitatibus, quae a viro parum habet solatii in longinquis fere semper agente, sane hoc non videtur fratri Sacerdoti succensendum, quasi legi sanguinis nimium indulgeat ; siquidem hoc nullibi clericis vetatur, quando exinde sacerdotalia munia non pessumdent.

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An Episcopi Decretum sustineri debeat in casu.

RESOLUTIO Sacra C C . re disceptata sub die *25* Ianuarii 1896 censuit respondere: *Supplicandum SSmo pro gratia excardinationis Sacerdotis Donoso.*

EX S. CONGREG. EPISC. ET REG.

ROMANA

ADMINISTRATIONIS

Die 13 Februarii 1896.

COMPENDIUM FACTI. Ioseph Bruned sodalis Archisodalitii a Pretiosissimo Sanguine, erecti in ecclesia S. Nicolai ad Carcerem Tullianum, an. 1894 munus obivit Deputati pro tumulatione cadaverum in cappella sepulcrali ad Campum "Veranum, praefato Sodalitio pertinenti. Anno expirato et instituta ratione gestionis sodalis Bruned, creditor evasit erga Archisodalitium in libel. 85, 15 pro expensis in antecessum factis ipsius nomine. Accusatus a nonnullis Superioribus Sodalitii de indebita adiudicatione fere 1000 libellarum, incassum instetit apud Guardianos pro declaratione suae innocentiae et pro confirmatione exhibitae redditionis rationum.

Hac praeclusa via ipse ad obtinendam iustitiam primum se convertit ad Praesidentem Sodalitii qui tamen inutiliter tentavit conciliationis modum, dein ad Primicerium et tandem ad Cardinalem Urbis Vicarium Archisodalitii Pro-Protectorem: ob quem tamen recursum PP. Guardiani, nullo praehabito voto Congñis, ipsum suspenderunt ab albo fratrum sodalitatis usque ad novum ordinem.

Exhaustis omnibus mediis pro habenda compositione Ioseph Bruned per supplicem libellum apud S. Congñem EE. et RR. reclamavit, petens, ut debita summa libell. 85 sibi reddatur, facta competenti amissi honoris reclamatione, nec non ut inflicta suspensionis poena auferatur.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO SODALIS BRUNED EX OFFICIO. Rationum redditio exhibita a dicto Sodali, ad vertebatur ex officio, regularibus est suffulta documentis dati et accepti, et ex his, rationibus

dispunctis clare eruitur reapse ipsum esse creditorem in libellis 85, 15 contra ipsum Sodalitium, quod nihil in contrarium hucusque protulit; quin aliquid officiât declaratio in suis uteris informativis emissa a Secretario, vulgo *delia Banca*, nempe quod sodalis Bruned, praeter libellas 83, varia menstrua mandata a Camerario Sodalitatis exegerit et quod libellas 105 reddere debeat Guardiano Trivelli : nam hae assertiones non probantur, et dein obstat factum quod Congressus *della Banca* iussit solvi expetitam summam, dummodo sodalis Bruned redderet documenta et obiecta confraternitatis, quod acceptavit ipse conditionate, seu praevia retractatione diifamationum, subscribenda a Superioribus Sodalitii.

Quod autem hae diffamationis contra Sodalem Bruned vere intercesserint, nedum constat ex testimonio Canonici Praesidentis Sodalitii, sed etiam evincit depositio ipsa ab officio Deputati ante praefixum a Statutis terminum inflicta, ob facta honorabilitatem personae vulnerantia, et omni destituta fundamento.

Tandem quod motivum temporaneae expulsionis a Sodalitio, fuerit recursus ad Emum. Pro-Protectorem et explicite confessus est ipse Canonicus Praeses et in parte admittitur etiam in epistola qua supradictus Secretarius irrogatam poenam Sodali Bruned communicavit.

Hisce aequa lance libratis, ad propsita

Dubia

I. *An Consilium Officialium, vulgo di Banca Archisodalitatis a Pretiosissimo Sanguine, teneatur restituere Sodali Bruned libellas 85, 15 ab ipso solutas in casui*

II. *An et quomodo ab eodem Consilio honor Sodalis Bruned laesus o[1]) diffamationes contra ipsum evulgatas redintegrandis sit in casu?*

III. *An expulsio Sodalis Bruned ab albo Fratrum ag->gregatorum sustineatur in casu?*

RESOLUTIO. Sacra O. Episcop. et Regul. causa discussa sub die 13 Februarii 1896, rescripsit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Providebitur in tertio.*

Ad III. *Negative et fratrem Bruned esse redintegrandam etiam cum approbatione redditionis rationum.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

BELLICENSIS. Beatificationis et canonizationis ven. Servi Dei Ioannis Baptistae Vianney parochi Vici Ars.

SUPER DUBIO

An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Charitate in Deum et Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?

In Ecclesiae heroas, qui, *forma gregis ex animo facti,* sese, perarduo curionum munere fideliter expleto, potiorem, in modum probarunt, Venerabilem Ioannem Baptistam Vianney apprime referendum nemo unquam detrectavit. Hoc enim expostulabat assiduus pietatis fervor, quo, obscuris sane, sed industriis in religione parentibus ortus, iam inde a puero ad praestantiora sancte olim obeunda se naviter comparavit ; et a quo laboriosis licet curis distentus, ne parumper quidem abduci patiebatur, vel dum, aratri ductu ovibusque advigilantiâ, ruricolis suppetias afferret. Hoc etiam ab aliis potissimum vindicabat eximia sanctitatis ratio, quam ille semel ingressus, nullo aetatis decursu rite excolendam deseruit; sive in Seminarium adscitus litteris operam impenderet, sive, sacerdotio inito rebusque ad exemplum gestis, in vico Ars curionis officio tandem adaugeretur, et praeclarum, supra quam cuique credibile est, sibi a iustitia nomen mature conciliaret. Nam singulariter in eo exhibitum omnium virtutum enituit specimen. Prae ceteris vero nihil magis illi in deliciis fuit, quam in seipsum flagris af-

flictandum severe agere, honores contemptui vertere, adversa cum gaudio perferre. Nihil magis in more habuit, quam christianis homines cumulare benefactis; quidquid mentes inficeret, pro suis viribus arcere; quidquid autem ad divinum cultum provehendum spectaret, unice intendere. Et nihil propterea sibi reliquum fecit, ut, qua scholis adolescentiae erudiendae institutis, qua sacris expeditionibus continenter obitis, quasi excubias duceret pro animarum salute, gentisque sibi concreditae pectoribus flammas ipsas iniiceret, quibus in Eucharistiam praesertim, in magnam Dei Matrem et in Coelites sanctos constanter ferebatur. Quapropter absolutum vitae genus, cui se penitus devoverat, altius in omne tempus prosecutus, tantum apud populos decus sibi peperit, quantum non modo Galliam universam caeteramque Europam, verum etiam omnes ferme terras vel longissime dissitas pervaserit. Adeoque in se existimationem commovit, ut quamquam parochi munus in vico quodam collustravit quidem sed unquam excessit, tamen evangelici praeconis fructus in aliis, quas peragrare nequiverat, orbis regionibus retulerit cummaxime. Quae omnia lecere, ut, ob fiduciam in eum cunctis conceptam, haud pauci sacrorum Antistites et quamplures insigni doctrina viri, Lacordaerio duce, solemne habuerint multum humili curioni, alloquiis datisque litteris, tribuere, eiusque consiliis se non semel credere. Immo latet profecto neminem, usque eo facta et testimonia, iure quodammodo suo, Venerabilis Vianney nomen in succrescentem famam asseruisse, ut vel ipsi, ubique gentium, suffragarentur religionis osores, qui virum integerrimum, quoad degit, late celebrarent nedum cognosceret ; et nondum de eximiis demortui laudibus conticescere possint. Omnium autem, unanimi assensione, ea est sententia : nulli unquam Dei famulum se labori non commisisse, ut illud Augustini efficeret : *Pascere Dominicum gregem esse amoris officium;* non immerito ovibus sibi concreditis Apostoli verba reddere potuisse : *Imitatores mei estote, sicut ego Christi;* supernis vero, dum vitam ageret, charismatis ditatum floruisse, ac praesertim lacrimarum dono, vaticiniorum spiritu, cordium scrutatione eaque praesidii caelestis gratia, qua gentes ad poenitentiae tribunal denso agmine semper attraxerit, et in scelestis hominibus ad religionem inflectendis summopere praestant. Quin vero, postquam praemmtiato tempore, pridie calendas sextiles anno MDCCCLIX, pretiosam

iustorum mortem oppetiit, aut honos ad sepulcrum intercipere-tur, aut animorum ardor defenderet, alacriorem in dies utrum-que percrebuisse monumenta testantur ob magnam prodigio-rum vim, qua Dei famuli *ossa adhuc prophetare* traduntur. Non igitur mirum, si diffusior in posterum fama ita ceteros per-movit, ut, vix quinque ab emortuali die peractis annis, prae-stantissimam Vianney caussam ad S. R. C. protinus deferendam impensis sedulo studiis Episcopi populique curarent. Adorna-tisque nitide perquisitionibus, tabulis, ut moris est, digestís et ceteris ad ius bonum absolutis, examen virtutum, quae heroicum fastigium essent assecutae, ipsa Congregatio libentissime animo advertit. Res autem tribus disceptationibus est rite confecta; prima scilicet in conventu antepraeparatorio , V idus ianuarias an. MDCCCXCIV advocato ad aedes Rrïii Cardinalis Lucidi Mariae Pa-rocchi, Episcopi Albanensis et causae huiusce Relatoris : **altera** deinceps in comitiis praeparatoriis ad Apostolicum Palatium Va-ticanum indictis, V calendas februarias, hoc ineunte anno MDCCCXCVI ; tertia demum in coetu generali ibidem habito coram SSmo Domino Nostro LEONE PAPA XIII postridie ca-lendas iunias eodem anno ; quum Rmus Cardinalis Parocçhi dubium ad discutiendum retulit : *An constet de Virtutibus Theo-logalibus Fide, Spe et Charitate in Deum ac Proximum ; nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et For-titudine earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad ef-fectum, de quo agitur* ? Omniumque qui aderant, quum Reve-rendissimorum Cardinalium, tum Patrum Consultorum, senten-tias singulas benevole agnovit Pater Beatissimus; atque *etiam de hae eausa Heere bene ominari* ait; *vir tutes enim, quas toto vitae cursu ad exemplum exeoluit Ven. Dei Famulus Ioannes Baptista Vianney, emicabant fulgore suo, emicabant unanimi* aliorum *suffragio splendidiores.* Verumtamen, *super harum heroicitate decretoriam proferre iudicium ad aliud tempus, divino auspicante Numine,* Sibi *reservavit.*

Hodierna vero die, Dominica IX post Pentecosten, per so-lemnia in honorem Annae sanctae, in quam Deiparae Virginis Matrem beatissimam cultum mire auxerat Ven. Vianney, ut ad hominum plausus legitimum accederet Apostolicae Auctoritatis testimonium, e re esse existimavit Pontifex maximus enixa ca-tholici nominis, ac praesertim Bellicensium et Francorum omnium vota impleri, qui novum civis sui et patriae supernumque ho-

nörem demirati, facilius ad praeclariora incendi possent. Eoque libentius id statuit, quo magis confidit, admirandum revera virtutum exemplar, ab auctore sanctimoniae Deo in Ioanne Baptista Vianney ad imitandum caeteris propositum, opportunius aetati huic nostrae extiturum ; qua, immortale opus aggressus, ut, inter Galliarum aliarumque regionum populos, fidei et voluntatum concordia, in religionis praesidium et publicae faustitatis auspicium, vel revocetur vel foveatur, Pontifex sapientissimis tota animi contentione iampridem enititur. Quamobrem sacris pientissime operatus, ad se advocari voluit Rmos Cardinales Caietanum Aloisi - Masella S. R. C. Praefectum et Lucidum Mariam Parocchi, suum in Urbe Vicarium huiusque Causae Ponentem , una cum R. P. Gustavo Persiani sanctae Fidei promotoris munus gerente, meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus solemniter pronunciavit: *Constare de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Charitate in Deum ac Proximum ; nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Ven. Servi Dei Ioannis Baptistae Vianney, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Quod Decretum in vulgus edi et in S. R. C. acta referri iussit, VII calendas Augusti an. MDCCCXCVI.

CAL Card. ALOISI MASELLA, S. R. C. *Praef.*

L. * S.

Aloisius Tripepi, S. R. C. *Secretarius.*

NORMAE ab hac Sacrorum Rituum Congregatione nova Sanctorum Officia Missasque, admotis precibus, impetrandi.

1. Le domande debbono riguardare solamente i Santi e Beati iscritti nel Martirologio Romano, ovvero aventi culto per decisione o conferma della S. Sede. È sempre necessaria una speciale raccomandazione dell'Ordinario della Diocesi, il quale, occorrendo, deve anche allegare il consenso del suo Capitolo Cattedrale.

1. Exhibitae nobis petitiones Sanctos Beatosve tantummodo spectare debent in romano Martyrologio conscriptos, aut publico cultu a S. Sede, sive decreto, sive confirmato iamdiu fruentes. At vero semper speciali proprii Episcopi commendatione opus est, qui etiam, si exquiratur , sui Capituli cathedralis consensum allegavit.

2. Quanto agli altri Santi o Beati, benché siano stati onorati, eziandio per lungo tempo, con Officio e Messa proprii, è necessario che, secondo le consuete regole, sia provato e confermato dalla S. Sede il loro culto, prima che possa autorizzarsene P Ufficio e la Messa.

2. Ad coeteros sanctos Beatosve quod attinet, etsi longo iam tempore, publico fuerint cultu honorati, cum Officio et Missa propria, necesse est, ut iuxta communes regulas, eorum cultus ab Ecclesia comprobatus et confirmatus sit, antequam Officium ipsum ac Missa permittatur.

3. Le domande di Offici proprii e di Messe per nuove Feste di Santi, già venerati sotto altro titolo, saranno assai raramente accolte. In ogni caso esse debbono fondarsi sopra ragioni del tutto straordinarie e gravi, essere specialissimamente raccomandate, ed, ove 1' argomento ciò richieda, aver l'appoggio di prove storiche ben fondate.

3. Postulationes ad obtinenda Officia Missasque proprias pro novis eorum Sanctorum Beatorum festis, qui alia prorsus ratione publico iam fuerint cultu donati, raro admodum excipientur. Semper autem eae rationibus omnino specialibus ac solidis, gravissimâque commendatione, et, si id materia ipsa exposcat, historicis documentis apprime validis fulciantur oportet.

4. Dai Proprii o Calendari perpetui Diocesani, che si presentano alla S. Congregazione dei Riti per l'approvazione, debbono escludersi quei Santi o Beati, pe' quali non si avverino le condizioni indicate sotto il n. 1, e le nuove feste, alle quali si riferisce il n. 3, dovendosi trattare particolarmente ogni affare di questa specie.

4. Ex Kalendariis perpetuis, cuiusque Dioeceseos propriis, quae huic Congregationi sacris Ritibus tuendis praepositae approbanda exhibentur, ii sive Sancti, sive Beati expungendi sunt, quibus conditiones, in § 1 recensitae, desunt: novaque item festa in § 3 indicata; quum de his singillatim ac serio agendum sit.

5. Qualunque domanda di nuovi Offici e Messe deve essere prima esaminata dalla Commissione Liturgica, quindi discussa con somma accuratezza nel Congresso, al quale

5. Quaelibet novi Officii ac Missae postulatio Curationi Liturgiae prius examinanda subicietur; dein summa diligentia in conventu, cui Emus Cardinalis Praefectus praesidet, dis-

presiede l'Emo Card. Prefetto, e, se il risultato di tale disquisizione è favorevole, la domanda stessa verrà stampata con tutte le allegazioni e i necessari schiarimenti sul preceduto esame, ed altresì con le annotazioni di Monsignor Promotore della Fede. La Ponenza così preparata sarà proposta da un Cardinale Relatore alla S. Congregazione in una Adunanza Ordinaria.

6. Se la S. Congregazione approverà la proposta, la sua risoluzione verrà sottomessa al S. Padre, e solo dopo la conferma Pontifìcia lo schema dell' Officio e della Messa, che sarà stato presentato, verrà, con la cooperazione dell'Innografo della S. Congregazione, riveduto ed approvato per cura del Cardinale Ponente e di Monsig. Promotore della Fede.

7. Le estensioni di Offici e di Messe già concesse a qualche Diocesi o Chiesa particolare, debbono fondarsi sopra speciali ragioni. Esse poi saranno esaminate, come le domande primitive, dalla Commissione Liturgica, e dal Congresso, ed, ove questo lo giudichi necessario, saranno proposte nell'Adunanza plenaria della S. Congregazione, prima di essere sottoposte all'approvazione Pontifìcia, la quale è sempre necessaria, ove la primitiva conces-

cutienda. — Cuius discussionis exitus si postulanti faverit, postulatio exhibita, una cum allegatis, et necessariis declarationibus super peracto examine, et insuper cum Rmi Promotoris Fidei adnotationibus, typis mandabitur. — Documentorum fasciculus ita comparatus, ab uno e Cardinalibus Relatoribus, sacrae Congregationi in ordinario Conventu exhibebitur.

6. Si S. Congregatio petitioni favens annuat, illius sententia SSmo Patri confirmanda subicietur : ac tantummodo post Pontificiam confirmationem, Officii et Missae schema, quod exhibitum fuerat, cooperante Hymnographo S. Congregationis, cura Card. Ponentis, et Rmi Promotoris Fidei, recognoscetur et approbabitur.

7. Extensio Officii et Missae, alicui peculiari Ecclesiae vel Dioecesi iam concessae, ad alias Dioeceses Ecclesiasve, specialibus rationibus inniti debet. Eae vero a delectis per Nos viris sacrae Liturgiae expertis, et a Congressu supradicto, sicut primitivae postulationes, expendentur: et, si id ille necessarium existimabit, in pleno S. Congregationis conventu proponentur, antequam Pontifici comprobandae exhibeantur; quae quidem approbatio semper necessaria

sione non sia stata fatta *singulis petentibus.*

8. Le modificazioni o giunte agli Offici e alle Messe già concesse saranno esaminate e discusse come le estensioni, delle quali tratta il numero precedente.

est, nisi forte primitiva concessio *singulis petentibus* facta fuerit.

8. Immutationes vel additiones, quas in Officiis vel Missis iam concessis neri contigerit, eaedem examini ac discussioni sicut extensiones, de quibus in § praecedente sermo est, subiicientur.

SSmus Dominus Noster Leo Papa XIII in audientia die xni Iulii MDcccxcvi infrascripto Card. Praefecto Sacrae Rituum Congregationis facta, quum hasce supra expositas normas sedulo perlegisset, easdem singulas approbare dignatus est, atque earum observantiam quam accuratissimam praecipere.

DECRETUM. Dubia quoad Ecclesiae consecrationem.

Instantibus nonnullis Rmis Episcopis pro resolutione authentica aliquorum dubiorum, consecrationem Ecclesiae respicentium, Sacra Rituum Congregatio, suffragia unius et alterius tum ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, tum ex Sacrae ipsius Congregationis Consultoribus, necnon cl. cuiusdam professoris in Iure Canonico, exquisivit et typis edenda curavit. Hinc Emus et Rmus Dominus Cardinalis Franciscus Segna in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, eadem dubia discutienda ita proposuit, nimirum :

I. An Ecclesia, in cuius consecratione omissa fuit consecratio Altaris, habenda sit valide consecrata?

II. Utrum Ecclesia, e cuius parietibus vel partim, vel integre disiicitur simul incrustatio, vulgo *intonaeo,* ut renovetur, consecrata maneat, vel execrata?

III. An Altare, sive ñxum sive portatile, enormiter tractum, sed firmiter coementatum, aut ex pluribus lapidibus efformatum, valide ac licite consecrari possit ?

Et Sacra eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, propositis dubiis, respondendum censuit:

Ad I. Affirmative, nempe valide; sed non licite, nisi habeatur Apostolica dispensatio, quamvis aliqua, vel omnia Altaria iam consecrata reperiantur; ideoque servandus omnino est ordo Rituum Pontificalis Romani, ut integritas consecrationis perficiatur.

Ad II. Ecclesia consecrata remanet, quamvis in eius parietibus opus tectorium sit renovatum.

Ad III. Negative; scilicet non potest Altare, de quo fit mentio, valide ac licite consecrari. Die 19 Maii 1896.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae eiusdem Congregationis ratam habuit et confirmavit, die 18 Iunii, eodem anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefectus.*

L. « S.

ALOISIUS TRIPEPI, *S. R. C. Secretarius.*

DUBIUM quoad Missas s. Aloisii Gonzagae, diebus litandas ab Ordinariis designatis pro solemnitate festi in singulis Ecclesiis et Oratoriis.

Per decretum S. C. Indulg. die 22 Aprilis 1742 editum et in Actis S. Rituum Congregationis exhibitum die 29 Ianuarii 1746, ubicumque Festum S. Aloisii Gonzagae Conf. cum solemnitate fieri contigerit, dies pro eodem Festo, in singulis Ecclesiis et Oratoriis, a Rmis locorum Orcinariis opportune designanda permittitur, cum extensione, ad praedictam diem, indulgentiae plenariae a Christifidelibus in forma Ecclesiae consueta lucrandae, et Officii et Missae propriae de ipso Angelico Iuvene a clero peragendae. Hinc a nonnullis ecclesiasticis Curiis postulatum fuit : « Utrum, iuxta praxim Sacrae Rituum Congregationis, omnes Missae propriae de Sancto Aloisio celebrari valeant qualibet die a Rmis Ordinariis, ut in casu, designata? » Et Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, reque mature perpensa, rescribendum censuit : *Affirmative :* dummodo non occurrant Duplex primae classis et Dominica privilegiata item primae classis quoad Missam solemnem; et etiam Duplex, secundae classis, nec non Dominicae, Feriae, Vigiliae, Octavaeque privilegiatae quoad Missas lectas; neque omittatur Missa

Conventualis vel Parochialis Officio diei respondens, ubi eam celebrandi adsit onus; servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 27 Iunii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI & *R. C. Secretarius.*

ORD. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM. Dubia varia.

R. P. Antonius a Calmpthoutschenhoek calendarista Provinciae Belgicae Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum, de consensu sui Adm. R. P. Ministri Provincialis ac Revmi P. Procuratoris Generalis, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum resolutionem humillime flagitavit; nimirum:

I. An festum mobile vel immobile, quod de Apostolica Venia extra diem suam assignatum fuit vel permissum fuit celebrari ob perpetuum impedimentum, cessante hoc impedimento, diei suae restitui debeat, iuxta decretum in *Neapolitana* 18 Octobris 1818, ad 8?

II. Utrum in festis secundariis dignitas personalis attendenda sit in concurrentia, quando eiusmodi festa quoad ritum et reliqua aequalia sunt?

III. Quando, eadem die duo festa occurrunt, unum fixum seu immobile et alterum mobile, ceteris paribus, quodnam ex iis transferri debet, si translationis privilegio gaudeat?

IV. Festum translatum S. Barnabae Apost, estne adhuc celebrandum iuxta ordinem temporis ante alia festa eiusdem ritus?

V. An, occurrente die 16 Ianuarii festo primario et immobili Ss. Martyrum Ordinis Minorum Berardi et Sociorum cum festo secundario et mobili eiusdem secundae classis, Dominicae II post Epiphaniam affixo, scil. SS. Nominis Iesu, huic praeferentia debeatur?

VI. An obtento indulto transferendi particularia Officia Dominicis aut feriis affixa, si haec accidentaliter vel perpetuo impediantur, transferri valeant ac debeant in primam insequentem diem liberam, tanquam in sedem propriam?

Et Sacra eadem Congregatio referente subscripto Secretario, atque audito voto Commissionis Liturgicae, rescribendum duxit:

Ad I. et II. *Affirmative.*

Ad III. *Servetur Decretum in Vigtevanen. 21 Februarii 1896 ad I.* (1).

Ad IV. *Affirmative, et servetur Decretum in una* Viennen. *in Austria 22 Septembris 1703 ad 10* (2).

Ad V. *Negative et servetur Decretum generale 2 Iulii 1893.*

Ad VI. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit. Die 27 Iunii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praef.*

L. S S.

A. TRIPBPI *Secretarius.*

ORD. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM. Dubia varia.

R. P. Antoninus a Calmpthoutschenhoek, calendarista Provinciae Belgicae Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum, de licentia sui Adm. R. P. Ministri Provincialis, et Rmi P. Procuratoris Generalis, sequentia dubia pro opportuna solutione Sacrae Rituum Congregationi demississime subiecit; nimirum:

I. An Indultum fel. rec. Pii Papae VI, die 30 Augusti 1794 datum et Bullario FF. Min. S. Francisci Capuccinorum, tom. IX, pag. 225 insertum, etiam extendatur ad festum S. Iacobi de Marchia, Conf. ritus duplicis secundae classis ?

II. An in particularibus Calendariis Ordinis Min. Capuccin. prohibitum sit diei 1 Decembris, quae libera est in Calendario Universi Ordinis, fixe apponere Officium sua die ob occurrentiam perpetuo impeditum ?

III. Et quatenus negative ad 2., an Officium diei 1 Decembris affixum, quod esset ritus inferioris, imo et aequalis, sed minoris dignitatis, ab illa die amoveri debeat si translationis privilegio polleat, ut locum suum cedat festo accidentaliter impedito, sive S. Iacobi de Marchia, sive Omnium Sanctorum Ordinis, sive S. Andreae Apostoli ?

(1) VIGLEVANEN. relata fuit Vol. XXVIIT, 507.

(2) VIENNEN. Dubiam X. An festum s ßarnabae hic translatum ab 11 Iunii, ei festum s. Quirini Episcopi et Mart. patroni nostrae Cathedralis, minus principalis, a 4 Iunii prius transferendum et celebrandum quam alterum? Resp. ***ad X: celebrandum officium s. Quirini.***

IV. Ubi Festum Ss. Cordis Iesu, vel Purissimi Cordis Beatae Mariae Virginis est titulus Ecclesiae, utriusque festi Octava tum quoad Officium tum quoad commemorationem postponenda ne est Octavis festorum Nativitatis S. Ioannis Baptistae et Ss. Apostolorum Petri et Pauli ?

V. Secundae Vesperae *festi* Ss. Cyrilli et Methodii Ep. et Conf. dupl. min. concurrentis cum die octava Ss. Apostolorum Petri et Pauli, vel *festi* primarii dupl. min. sive translati, sive non, concurrentis cum primis Vesperis Octavae festi Omnium Sanctorum sunt ne dimidiandae, vel dicendae de sequenti cum commemoratione praecedentis ?

VI. Utrum in secundis Vesperis diei Octavae Corporis Christi, Vesperae dicendae sint de festo SS. Cordis Iesu, sine commemoratione praecedentis, in Ecclesia ubi hoc festum est titulus et proinde primarium per accidens?

VII. An *Commemoratio* S. Pauli Apostoli, ubi est impedita, privilegio gaudeat translationis super aliis Officiis duplicis maioris, antea translatis, sive primariis, sive secundariis ?

VIII. Quodnam Calendarium sequi debeant illi, qui praedicationis vel alia ex rationabili causa per aliquot dies a suo conventu absunt?

IX. Quale temporis absentiae a Conventu spatium requiratur, ut praedicti sequi teneantur Provinciae Calendarium?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibus perpensis, rescribendum censuit :

Ad I. *Servetur Rubrica specialis Breviarii Ordinis Minorum Capuccinarum, recenter approbati, typisque Salvinoci 1894 editi.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Provisum in secundo.*

Ad IV. *Affirmative iuxta Decretum* Urbis *22 Maii 1896 ad III.* (1).

Ad V. *Quoad concursum duplicis minoris cum die octava Ss. Apostolorum Petri et Pauli, servetur Rubrica specialis dicti Breviarii: quoad concursum vero duplicia min. primarii cum octava festi Omnium Sanctorum, affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

(Ii Decretum hoc habes Vol. XXVIII, 697.

Ad VI. *Negative, et servetur Decretum* Urbis et Orbis *datum die 28 Iunii 1889* (1).

Ad VII. *Negative, et servetur Rubriea Gen. Breviarii Romani, tit.* X *De Translat. festorum, num. 7: uti et Decretum Gen. supra primariis et secundariis festis* (2).

Ad VIII. *Si in choro, standum Calendario Coenobii, apud quod Religiosi hospitantur : si privatim, servandum Calendarium Coenobii, e quo discesserunt.*

Ad IX. *Consulantur probati auctores.*

Atque ita rescripsit. Die 27 Iunii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA S. R. C. *Praefectus.*

L. & S.

ALOISIUS TRIPEPI *Secretarius.*

ORD. MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM. Dubia varia.

R. Pr Antoninus a Calmpthoutschenhoek, calendarista Provinciae Belgicae Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum, de consensu sui Adm. R. P. Ministri Provincialis, ac Revmi P. Procuratoris Generalis Sacram Rituum Congregationem humillime rogavit, ut sequentia dubia resolvere dignaretur, nempe:

I. An ubi die 18 Augusti festum agitur alicuius Sanctae Virginis et Martyris cum Missa *Loquebar* aut *Dilexisti,* SECRETA vel POSTCOMMUNIO S. Agapiti M. in casu commutanda, desumenda sit ex Missa *In virtute* aut ex alia *Laetabilur?*

II. An licitum sit absque peculiari obtento Indulto, ad diem 30 Decembris fixe apponere Officium ritus vel semiduplicis, vel duplicis vel potioris, per annum ante diem 30 Decembris celebrandum, quod tamen ob occurrentiam perpetuam sub die perpetuo impeditur ?

III. Quando plura simul Provinciae et unius alteriusque Conventus Officia particularia fixe sunt transferenda, utpote sua die perpetuo impedita, quaenam prius transferenda seu assignanda sunt?

IV. Ubi unus tantum Sacerdos quoad Missae celebrationem, addictus sit Oratoriis, competenti auctoritate erectis in Gymna-

(1) Decretum hoc habes Vol. XXI, 694.

(2) Decretum generale adest Vol. XXVI, Si.

siis, Hospitalibus ac Domibus quorumcumque piarum Communitatum; hic, si saecularis, teneturne sequi Calendarium Ordinis si proprio gaudeat; et si aliquando celebrent extranei, hi debent ne se conformare Calendario Sacerdotis eiusmodi Oratoriis addicti?

V. Utrum in Ecclesiis et Oratoriis Monialium aut Religiosarum, quae chorale Officium habent, quilibet Sacerdos Missam Conventualem seu solemnem celebrans, Officio earundem conformem semper dicere teneatur?

VI. An in casu quo unus dumtaxat Sacerdos apud praefatas Moniales seu Religiosas celebret, possit ipse diebus semiduplicibus vel ferialibus semper, seu saltem aliquando, loco Missae diei currenti conformis, celebrare Missam Votivam vel de Requie?

VII. Utrum idem Sacerdos apud dictas Moniales vel Religiosas, Missam Conventualem ante vel post primam celebrare valeat?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, re mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. *Secreta et Postcommunio sumantur in casu e Missa* Laetabitur, *quae in recentioribus editionibus Missalis assignatae sunt pro S. Agapito M.*

Ad II. *Affirmative, de eonsensti Ordinarii, si agatur de duplici.*

Ad III. *Calendarium, cuiusque Provinciae, redigatur super Calendario perpetuo Ordinis: calendarium vero, cuiusque Coenobii, super Calendario respectivae Provinciae.*

Ad IV. *Affirmative in omnibus, si Oratoria habenda sint ut publica: secus negative.*

Ad V et VI. *Servandum Genercde Decretum 9 Decembris 1895* (1).

Ad VII. *Missa Conventualis celebranda est horis a rubriea statutis.*

Atque ita rescripsit. Die 27 Iunii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA S. *R. C. Praefectus.*

L. & S.

ALOISIUS TRIPEPI, & *R. C. Secretarius.*

(1) **Decretum hoc prostat Vol. XXVIII, 458.**

DECRETUM GENERALE. Orationum et sequendae in Missis Defunctorum.

Ut omne tollatur dubium super Orationibus et Sequentia dicendis in Missis Defunctorum, Sacra Rituum Congregatio declarat :

I. Unam tantum esse dicendam Orationem in Missis omnibus, quae celebrantur in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, die et pro die obitus seu depositionis, atque etiam in Missis cantatis, vel lectis permittente ritu diebus in, VII, XXX, et die anniversaria, nec non quandocumque pro defunctis Missa *solemniter* celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondeat, uti in Officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu, et in Anniversariis, late sumptis.

IL In Missis quotidianis quibuscumque, sive lectis sive cum cantu, plures esse dicendas Orationes, quarum prima sit pro defuncto vel defunctis, certo designatis, pro quibus Sacrificium offertur, ex iis quae inscribuntur in Missali, secunda ad libitum, ultima pro omnibus defunctis.

III. Si vero pro defunctis in genere Missa celebretur, Orationes esse dicendas, quae pro Missis quotidianis in Missali prostant; eodemque ordine quo sunt inscriptae.

IV. Quod si in iisdem quotidianis Missis plures addere Orationes Celebranti placuerit, uti Rubricae potestatem faciunt, id fieri posse tantum in Missis lectis, impari cum aliis praescriptis servato numero, et Orationi pro omnibus defunctis postremo loco assignato.

V. Quod denique ad sequentiam attinet, semper illam esse dicendam in quibusvis cantatis Missis, uti etiam in lectis quae diebus ut supra privilegiatis fiunt : in reliquis, vel recitari posse vel omitti ad libitum Celebrantis, iuxta Rubricas. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 30 Iunii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praef.*

L. * S.

A. TRIPBPI *Secretarius.*

DECRETUM quoad plures Missas canendas in eadem Ecclesia, eadem die, et de eodem officio.

Cum per plura particularia Decreta, iam alias edita, S. Rituum Congregatio declaravit, in eadem Ecclesia eademque die plures non posse cantari Missas de eodem officio; in praesenti, ut plurium votis satisfaciat, opportunum ac propemodum necessarium iudicat ulterius declarare, quemadmodum reapse declarat: Plures Missas de eodem Sancto vel Mysterio in eadem Ecclesia prohibitas, illas esse quae, praeter conventualem nunquam in Collegialibus Ecclesiis omittendam, in officiatura chorali concinuntur, vel aliquam cum eadem relationem dicunt. Quapropter praefatas Missas sive ad petitionem viventium, sive ex fundatione, dummodo ante vel post absolutum chorale officium, ac sine ulla cum eo relatione concinantur, non esse veti tas. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 30 Iunii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPBPI & *R. C. Secretarius.*

STRIGONIEN. Dubia varia.

R. D. Theophilus Klinda, redactor Calendarii Strigoniensis, de consensu Emi ac Rmi sui Archiepiscopi ac Primatis Regni Hungaria., a Sacra Rituum Congregatione sequentium Dubiorum solutionem humillime expostulavit; nimirum:

I. An tertia Oratio dicenda *ad libitum Sacerdotis,* seligi possit ex Missa in Anniversario electionis seu consecrationis Episcopi, et quatenus affirmative: Utrum haec eadem Oratio, uti Collecta, loco tertiae ad libitum imperari valeat, Ordinario loci aegrotante, aut die natali vel onomastica eiusdem recurrente?

II. Sacra Rituum Congregatio saepius declaravit, Missas proprias de Festivitatibus Beatae Mariae Virginis celebrari non posse tanquam votivas, nisi infra earum Octavas quas habent; hinc quaeritur: An Missa SSmi Rosarii B. M. V. eximatur ab hac regula et, mutatis mutandis, celebrari valeat uti votiva; et mense Octobri etiam extra Sabatum, ratione cuiusdam solemnitatis, recitari in huiusmodi Missa votiva possit *Gloriai*

III. Evulgatum S. Rituum Congregationis Decretum *Urbis et Orbis* die 9 Decembris 1895, quo firma ac certa norma pro celebranda Missa in aliena Ecclesia constituta est, patiturne aliquam exceptionem, adeo ut liceat Missam Officio Proprio ritus classici convenientem celebrari, aut saltem Symbolum eiusmodi Officio conformi addi, quando in primo et altero casu idem sit color Officii Proprii ac Officii alienae Ecclesiae?

IV. Sacra Rituum Congregatio die 30 Augusti 1892 in *Strigonien,* ad VIII declaravit Missas feriarum maiorum non esse votivas, sed de die; quare celebrari possunt etiam in festis semiduplicibus: quae sententia confirmatur Decreto Generali 9 Decembris 1895; modo quaeritur, utrum haec concessio adhiberi possit non solum in semiduplicibus, sed etiam in duplicibus, ita ut extra chori obligationem, ubi duo aut plures Sacerdotes in una eademque Ecclesia celebrant, unus de festo duplici, alter de feria Sacrum facere valeat?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto alterius ex ipsius Sacrae Congregationis Consultoribus, re maturo examine perpensa, rescribendum censuit :

Ad I. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, et detur Decretum 17 Aug. 1709 in Bergomen, ad III.* (1).

Ad II. *Negative in omnibus, iuxta Decretum in Neapolitana, 23 Februarii 1884, Dub. V.* (2).

Ad III. et IV. *Negative.*

Atque ita rescripsit. Die 3 Iulii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA S. *R. C. Praefectus.*

L. * S.

A. TRIPBPI *S. R.* C *Secretarius.*

(1) BERGOMEN. Dub. III. An iis temporibus, quando 2 Oratio in Missis est ad libitum, ac ex iussu vel Summi Pontificis, vel Episcopi, in Missis debet apponi aliqua ^specialis oratio pro publica indigentia, videlicet contra Turchas, seu ad petendam serenitatem aut pluviam etc., haec oratio praescripta a summo Pontifice vel ab Episcopo necessario ponenda sit in Missis tertio loco, et praetermittenda quae ad libitum; seu potius celebrans possit recitare tertiam orationem ad libitum seu devotionis, et quarto loco, quae est praescripta de mandato Pontificis vel Episcopi? Responsum ad III. *In casu proposito ad primam partem negative ; ad secundam afßrmative per modum praecepti et obligationis.*

(2) NEAPOLITANA relata fuit Vol. XXII, 380.

STRIGONIEN. Dubia varia.

R. D. Theophilus Klinda, redactor Calendarii Archidioeceseos Strigoniensis, assentiente Emo et Rmo suo Archiepiscopo, Primate Hungariae, Sacram Rituum Congregationem pro sequentium Dubiorum resolutione enixe rogavit; nimirum:

I. Commemoratio SSmi Sacramenti facienda in Missa coram SSmo exposito, servatis Rubricis, non excluditur in Festis Domini, iuxta Decreta, dummodo non versetur in eodem Mysterio; quaeritur: An praedicta Commemoratio omittenda sit in Festis et infra Octavas Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Circumcisionis et Transfigurationis Domini; itemque in Festis SS. Nominis Iesu, SS. Redemptoris et Passionis Domini, prouti ex Decretis omittitur in Festis SS. Cordis Iesu et Pretiosissimi Sanguinis?

II. Iuxta Rubricas et Decreta Missa votiva solemnis de Patrono transferendo, infra Octavam Paschae et Pentecostes, praeter Feriam II et III celebrari potest, non omissa conventuali aut parochiali Missa de die, ubi eam celebrandi adsit obligatio; quaeritur num talis Missa votiva solemnis de Patrono transferendo decantari valeat in Dominica Passionis, in Albis et SSmae Trinitatis ?

III. Festum classicum particulare v. gr. Tutelaris Ecclesiae aut Patroni loci, occurrens diebus infra Octavam privilegiatam, ac proinde ab Officio occurrente impeditam, potestne eo anno transferri ad primam diem immediate post Octavam et impeditam, translato inde Festo alio occurrente, si transferri potest, sin vero, hac vice, simplificato aut omisso?

IV. Recentiores Editiones Proprii Hungariae Symbolum in Missa S. Ladislai Conf. Regis recitandum praescribunt; quaeritur : An ab Editione, quae mox adornabitur, expungenda sit in dicta Missa Rubriea: *Et dicitur Credo?*

V. In Oratione Festi S. Ioannis Eleemosynam Episc. Conf., non obstante Decreto d. d. 25 Septembris 1852, legitur pronomen: *Eleemosynam;* hinc quaeritur, utrum hoc pronomen supprimendum sit in nova editione Proprii Hungariae?

VI. Quum in plurimis Ecclesiis, die festo S. Marci Evangelistae celebretur unica tantum Missa Rogationum, quaeritur, utrum ea omnino debeat cantari, an possit esse lecta ; et 2.° an

in ea Missa fieri debeat Commemoratio festi S. Marci aut Dominicae in Albis, quae proximo futuro anno occurret?

VII. Feria IV. Rogationum, quae est Vigilia Ascensionis Domini, in Missa Rogationum, quae unica in eadem Ecclesia celebratur cum Commemoratione Festi oceurrentis, fierine debet etiam Commemoratio Vigiliae necnon lectio Evangelii eiusdem Vigiliae in fine?

VIII. Dominica III. Adventus quomodo concludendi sint Hymni, et quale sit dicendum Responsorium breve *ad Primam* infra Octavam Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis?

Et sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisito voto unius ex eiusdem Sacrae Congregationis Consultoribus, rescribendum censuit:

Ad I. *Commemorationem SSmi Sacramenti, ob identitatem Mysterii, solummodo omittendam esse in Festis Passionis, Crucis, SSmi Redemptoris, SSmi Cordis Iesu et Pretiosissimi Sanguinis.*

Ad IL *Negative.*

Ad III. *Negative sine speciali Indulto S. Sedis.*

Ad IV. et V. *Affirmative.*

Ad VI. quoad primam quaestionem: *Negative ad primam partem. Affirmative ad secundam iuxta Decretum 14 Augusti 1858 in Briocen.* ad III. (1); quoad alteram quaestionem: *Affirmative et detur Decretum 2y Maii 1846 in Tuden. ad II* (2).

Ad VII. *Negative ad utramque.*

Ad VIII. *Hymni concludi et* y. *ad Primam dici debent:* « Iesu tibi sit gloria » *et* « Qui natus » *iuxta editionem typicam Breviarii Romani.*

Atque ita rescripsit. Die 3 Iulii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI, *S. R. C. Secretarius.*

(1) BRÏOCEN. Relata fuit Vol. TU, 605.

(2) TUDEN. Dubium II. Sub die 12 Novembris 1831, Sacra Rituum Congreg, decrevit: « In Ecclesiis, in quibus non solet quotidie Missa decantari, vel adest solus Parochus in Festo s. Marci ac in Triduo Rogationum, etiam si occurrat festum duplex, si fiat processio, legenda est Missa Rogationum; secus legenda est de festo cum commemoratione earumdem ». Quaeritur ergo si post processionem legatur Missa Rogationum, debet in ea fieri commemoratio festi currentis, et fieri debeant

ORDINIS MIN. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM. Dubia varia.

R. P. Antoninus a Calmpthoutschenhoek, Calendarista Provinciae Belgicae Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum, de consensu sui admodum Rev. P. Provincialis et Rmi P. Procuratoris Generalis eiusdem Ordinis, a Sacra Rituum Congregatione insequentium Dubiorum solutionem humillime rogavit; nimirum :

I. Utrum Beatorum Officia, ubi sunt indulta, iisdem subiaceant Rubricarum normis super translatione Festorum, quibus Officia Sanctorum?

IL Dum Sedes Apostolica praescribit aut permittit novum Officium eique assignat diem, qua Festum celebrandum est, si antiquum Officium die propria seu natali fiat, debetne cedere novo Officio, quod est dignius et die propria seu natali peragitur ?

III. 1. An, attentis Sacrae Rituum Congregationis Decretis pro Ordine Minorum Capuccinorum 4 Decembris 1894 et 22 Aprilis 1895, sustineri valeat opinio, omnia universo Ordini Capuccinorum concessa particularia Officia mobilia Dominicis aut Feriis affixa, quando sua die accidentaliter impediantur, absque speciali Indulto transferri posse, servatis Rubricis; quasi recensenda forent inter Officia ex praecepto agenda, utpote verbis non facultativis, sed praeceptivis concessa ? Et quatenus affirmative, an idem dicendum sit si agatur non de Breviario, sed de Calendario a Sancta Sede approbato ?

2. In universo Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum, die 5 Octobris, ritu duplici celebratur Commemoratio Omnium Fratrum Defunctorum Ordinis, eademque die in Breviario ipsius Ordinis illa Rubriea de Officii Defunctorum recitatione legitur, quae habetur in Breviario Romano ad diem IL Novembris; hinc quaeritur, utrum Fratres Minores Capuccini, etiam extra chorum in recitatione privata, teneantur praedicta die 5 Octobris ad recitationem Officii Defunctorum, et quidem sub eadem obligatione

omnes aliae Commemorationes, quae dicendae essem in Missa diei? Vel, his omnibus omissis, dicendae sunt secunda et tertia Orationes, quae in Missali Rogationum dicendae praescribuntur in Missali? Responsum ad II. ***Faciendam esse commemorationem festi oceurrentis cum sola tertia oratione, quae secundo loco praescribitur in Missa Rogationum.***

gravi, qua idem Officium die IL Novembris praecipitur in universa Ecclesia.

3. An non tantum Minores Capuccini, sed etiam alii Regulares proprio Breviario vel Calendario utentes, ad chorum addicti vel non addicti, si degant in loco, ubi iam celebrant Patronum Loci, teneantur insuper celebrare Patronum Provinciae et Regni et Dioecesis?

4. Utrum Minores Capuccini et praedicti Regulares, habitantes in Civitate Bruxellensi, in Belgio, debeant ibidem sub ritu duplici primae classis absque Octava, celebrare una cum Clero Saeculari vel Festum S. Gudilae Virg. die 8 Ianuarii, vel tantummodo Festum Dedicationis S. Michaelis Archangeli die 29 Septembris, vel utrumque Festum, quia duo illi Sancti habentur ut Patroni quasi aeque principales Civitatis Bruxellensis et Ecclesiae Collegiatae et a toto Clero saeculari Bruxellensi sub ritu duplici primae classis cum Octava recoluntur?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisitoque voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Servetur Decretum ol. d. 30 Iunii 1896.*

Ad III. Quoad 1. *Affirmative ad utrumque.* — Quoad 2. *Affirmative.* — Quoad 3. *Servetur Decretum in una Ordinis Minorum de Observantia 20 Martii 1683 ad VII* (1).— Quoad 4. *Regulares tenentur ad celebranda Patronorum Festa, quae cum feriatione recoluntur.*

Atque ita rescripsit. Die 10 Iulii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus.*

L. * S.

A. TRIPEPI, 5. *R. C. Secretarius.*

(1) Ordinis Minor, de Observantia. Dubium VII. « Cum ex declaratione huius s. Congregationis Regulares teneantur recitare de patrono principali loci; an sub loci comprehendatur etiam patronus principalis Regni vel Provinciae, de quo concessum est ab Apostolica Sede ut a Clero, tam saeculari, quam regulari in dictis locis recitetur? Responsum ad VII. *Comprehendi etiam dictos patronos, si liquido constet de concessione Apostolica* ».

ORDIN. MIN. S. FRANC. CAPUCC1NORM. Dubia varia.

R. P. Antoninus a Calmpthoutschenhoek, Calendarista Provinciae Belgicae Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, de licentia admodum Reverendi sui Provincialis et Rmi P. Procuratoris Generalis eiusdem Ordinis, Sacram Rituum Congregationem enixe rogavit, ut sequentia Dubia resolvere dignaretur, nempe :

I. Sacra Rituum Congregatio die 16 Septembris 1893 Ordini Minorum Capuccinor.um concessit, ut Officia, quae privilegio translationis fruuntur et sunt accidentaliter impedita, nec tamen in dies liberas intra annum reponi possunt, quia huiusmodi dies deficiunt, transferri valeant in dies Festorum semiduplicium, ipsis semiduplicibus ad ritum simplicium redactis, dummodo nulla dies libera omittatur. Hinc quaeritur:

1. An extet aliqua lex statuens ordinem, quo praedictae translationes fieri debeant in semiduplicia ?

2. An fieri debeant in proximiora Festa ritus semiduplicis iuxta Decretum in Pisauren. 12 Novembris 1814?

3. Utrum curandum sit, ut quolibet mense una saltem dies libera supersit Festi semiduplicis pro Missis Votivis, vel de Requie pro defunctis?

4. An Festum duplicis minoris, quod transferri potest, uti S. Ecclesiae Doctoris, et sua die accidentaliter impeditur, transferri valeat in dies II. Novembris et V. Octobris, quibus diebus fit solemnis Commemoratio sive Omnium Fidelium Defunctorum sive Omnium Fratrum Defunctorum Ordinis Minorum Capuccinorum ?

5. Quando plura et diversa sunt in Directorio Officia, sua die accidentaliter impedita, transferenda pro Conventibus respectivis, an tunc pro hoc illove Conventu, antequam reponantur, liceat nonnulla Festa ritus semiduplicis eum in finem omittere, ut in omnibus Conventibus, quantum fieri potest, eadem die "recolantur Officia translata?

II. 1. Regulares in Belgio et Gallia commorantes, qui die determinata ex Apostolica concessione celebrant, sub ritu duplici primae classis cum Octava, Dedicationem Omnium Ecclesiarum proprii Ordinis, debentne, iuxta Decretum Cardinalis Caprara, una cum Clero saeculari die Dominica, post Octavam Omnium Sanctorum, celebrare Dedicationem - omnium Ecclesiarum Ditionis sub ritu duplici primae classis cum Octava?

2. Et quatenus affirmative ad 1um, quanam die debent praedictum Festum celebrare, si in Dioecesi, in qua morantur, alia die ac Dominica, immediate insequenti Octavam Omnium Sanctorum, celebraretur ex Apostolica derogatione facta Decreto Cardinalis Caprara?

3. Regulares praedicti, qui tamen die aliqua determinata non celebrant Dedicationem Omnium Ecclesiarum proprii Ordinis, quanam die debent Dedicationem Omnium Ecclesiarum Ditionis, celebrare, si in Dioecesi, in qua morantur, haec Dedicatio alia die celebraretur ac Dominica immediate insequenti Octavam Omnium Sanctorum?

III. 1. An Regulares, proprio utentes Calendario vel Breviario, teneantur in Dioecesibus antiquae Provinciae Ecclesiasticae Mechliniensis in hodierna Dioecesi Tornacensi et in Archidioecesi Cameracensi se conformare Clero saeculari in iis, quae, quoad celebrationem et translationem Festi Annuntiationis, statuta sunt vel per Concilia Provincialia ab Apostolica Sede approbata; vel per Decreta particularia Sacrae Rituum Congregationis?

2. Utrum iidem Regulares in supradictis Dioecesibus sese conformare Clero saeculari debeant in iis, quae super celebratione et translatione Festi S. Marci, Litaniis Maioribus ac abstinentia a carnibus statuta sunt ex Decretis particularibus, ab ipsa S. Sede approbatis?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, auditoque voto Commissionis Liturgicae, rescribendum duxit :

Ad I. *Affirmative ad 1, et praestantiora Officia, ut aliis praeferantur, in proximioribus diebus sunt reponenda, quamvis in his Duplicia aut semiduplicia occurrant, haud obstantibus sedibus liberis postea subsequentibus, in quas alia, minus solemnia Officia transferantur.*

Ad 2. *Provisum in primo.*

Ad 3. *Affirmative iuxta alias decreta.*

Ad 4. *Affirmative.*

Ad 5. *Negative in omnibus.*

Ad IL *Negative adì; et servetur Decretum ; « Ordinis Minorum Capuccinorum Provinciae Hollandicae », d. d. 22 Iunii 1895 ad II.*

Ad 2. *Provisum in primo.*

Ad 3. *Recurrant in casu particulari.*

Ad III. quoad 1: *servetur Decretum Generale « Urbis et Orbis » d. d. 27 Maii 1895, circa Festum Annuntiationis, eiusque translationem, sive quoad Festum, sive quoad Officium: per illud nihilominus non derogatur particularibus locorum concessionibus ii).*

Quoad 2: *Relate ad Festum S. Marci Ev. eiusque translationem servetur Calendarium Ordinis approbatum die 27 Augusti 1893 et Breviarium pariter approbatum die 4 Decembris 1894. Si autem Decreta particularia, de quibus fit mentio, comprehendant ex consuetudine Regulares, ab his serventur: secus stetur Rubricis.*

Atque ita rescripsit. Die 10 Iulii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

A. TRIPBPI, S. *R. C. Secretarius.*

PINNEN. Beatificationis et canonizationis ven. Servi Dei Gabrielis a Virgine Dolorosa clerici professi e Congregatione Clericorum Regularium Excalceatorum Sanctissimae Crucis et Passionis D. N. I. C.

Pinnensis Dioecesis, quae ortu ac vita Venerabilis iuvenis Nuntii Sulpritii merito laetatur, nova quadam perfunditur iucunditate , alterum inspiciens adolescentem Ven. Servum Dei Gabrielem a Virgine Dolorosa, cuius sacras exuvias veluti thesaurum custodit. Ille quidem laicis, hic vero clericis affulsit; uterque e caelo ostensus, ut omnes praesertim iuvenes, vita ac mundo transeunte, multa tempora explere virtute satagant. Gabriel, Assisii natus e Sancte Possenti et Agnete Frisciotti die 1 Martii anno 1838, cum Seraphico Patre et patriam et nomen commune habuit. Adhuc infans, anno 1842 Spoletum deductus est, et matre orbatus, a patre et a Fratribus quos a scholis christianis nuncupant, litterarum ac religionis primordiis imbuitur. Inde ad Collegium Patrum Societatis Iesu, doctorum fama ac discipulorum frequentia clarum missus, ob ingenii, pietatis ac disciplinae praestantiam amplissimis laudibus praemiisque cohonestatur. Dum studiis daret operam , aetatis aestu, saeculi blanditiis aliquantum indulgere visus est; sed quem Deus sibi elegerat, semel ac iterum gravi morbo tentavit, ut terrena ex-

(1) Decretum hoc habes Vol. XXVIII. 57.

osus, ad caelestia inhiaret. Re quidem vera adolescens ita probatus et melior effectus, divino lumine ac spiritu illustratos et actus die 10 Septembris anno 1856 ad Recessum Morrovallensem Patrum a Cruce et Passione Christi convolavit, ibique, habitu religionis suscepto, Gabriel a Virgine Dolorosa nominari coepit: quem novum vitae statum patri describens, illius sacri Recessus quietem ac dulcedinem saecularibus spectaculis et solatiis minime comparandam valde commendavit. Tyrocinio summa cum laude expleto, mense Septembri anno 1857 solemnia religiosa vota nuncupavit, quibus sensit se, arctius Deo devinctum, ad perfectiora teneri. Ordinibus tantum minoribus initiatus, nec ad maiores promotus ob temporum iniquitatem, Gabriel clericus professus, sibi durus et rigidus, Deo ac hominibus dilectus, singulari pietate Christum Crucifixum et Deiparam Perdolentem prosequebatur, ratione vivendi suae Congregationis, una cum regulis fideliter observata. Verum caelo dignior quam terris, aetatem viginti quatuor annorum agens, in Recessu Insulae Pinnensis, ad quem, ut studiis vacaret, traductus fuerat, lethali morbo correptus et sacramentis Ecclesiae refectus, dum Sacrae Familiae veneranda nomina invocaret, suavissime spiritum exhalavit die 27 Februarii anno 1862. Sanctitatis et virtutum famam, quam pientissimus iuvenis adhuc vivens sibi conciliaverat, post obitum, incolis et peregrinis ad eius sepulcrum continentibus, et prodigiorum copia confirmari et magis in dies inclarescere ex multiplici Ordinario Processu apprime compertum est. Hinc instante Rmo P. Germano a S. Stanislao e Congregatione Clericorum Regularium Ssmae Crucis et Passionis D. N. I. C. atque Causae Postulatore, Sanctissimus Dominus Noster LEO PAPA XIII die 10 Iunii 1895 sententiam Sacrae Rituum Congregationis super revisione scriptorum Servi Dei probavit, ac subsequentibus Decretis 26, Augusti et 8 Novembris eodem anno benigne indulsit, Introductionem Causae eiusdem Servi Dei discuti posse in ipsa Sacra Congregatione absque voto et interventu Consultorum, etiam non elapso decennio a praesentatione Processus Ordinarii. Quare susceptis iterato supplicibus precibus praefati Postulatoris, attentisque Postulatoriis Litteris plurium Emorum S. R. E. Cardinalium, Sacrorum Antistitum aliorumque virorum, ecclesiastica dignitate praestantium, infrascriptus Cardinalis Sacrae Rituum Congregationi Praefectus et huius Causae Relator, in Ordinariis Comitiis subsignata die ad

Vaticanum habitis, sequens Dubium discutiendum proposuit: *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur* ? Et Sacra eadem Congregatio, omnibus mature perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Gustavo Persiani, Sanctae Fidei Promotoris munere fungente, rescribendum censuit : *Affirmative* seu *signandam esse Commissionem si Sanctissimo placuerit* Die 23 Iunii 1896.

Facta postmondum de his Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII per eundem infrascriptum Cardinalem relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Rituum Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem introductionis Causae praedicti Ven. Servi. Dei Fr. Gabrielis a Virgine Dolorosa, die 7 Iulii, eodem anno.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA, S. *B. C. Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI, *S. R. C. Secretarius.*

DECRETUM. Quoad Missas de requie.

Aucto, postremis hisce temporibus, maxime in calendariis particularibus, Officiorum Duplicium numero, quum pauci supersint per annum dies, qui Missas privatas de Requie fieri permittant, et ipsa Officia semiduplicia interdum ab aliis potioris ritus impediantur, nonnulli ecclesiastici viri pietate, doctrina ac dignitate praestantes, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII humillimis enixisque precibus rogarunt, ut, ad iuvamen fidelium defunctorum et ad spirituale solatium vivorum, in Ecclesiis et Oratoriis, sive publicis sive privatis, praesertim iis, quae in sepulcretis rite erecta sunt vel erigentur, Missae lectae de Requie diebus etiam duplicibus aliquoties per annum de Apostolica Benignitate celebrari valeant. Placuit autem eidem Ssmo Domino Nostro huius negotii examen Sacrae Rituum Congregationi committere : quae, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibus mature perpensis, attentisque hac de re etiam peculiaribus locorum circumstantiis, in ordinario Coetu, subsignata die ad Vaticanum coadunato, ad propositam per infrascriptum Cardinalem Sacrae eidem Congregationi Praefectum quaestionem, respondendum censuit:

-SÍ *Sanctissimo placuerit: I. Iri quolibet Sacello sepulcreti rite erecto vel erigendo, Missas quae inibi celebrari permittuntur, posse esse de Requie diebus non impeditis a Festo duplici i<W vel 2°* classis, a Dominicis aliisque festis de praecepto servandis, necnon a Feriis, Vigiliis, Octavisque privilegiatis : item H. quibuslibet Ecclesiis et Oratoriis, quum publicis, tum privatis et in Sacellis ad Seminaria, Collegia et Religiosas vel pias utriusque sexus Communitates spectantibus, Missas privatas de Requie, praesente, insepulto, vel etiam sepulto non ultra biduum, cadavere, fieri posse die vel pro die obitus aut depositionis : verum sub clausulis et conditionibus, quibus, iuxta Rubricas et Decreta, Missa solemnis de Requie iisdem in casibus decantatur.* Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 19 Maii 1896.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per meipsum infrascriptum Cardinalem, relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis in omnibus ratam habere et confirmare dignata est, die 8 Iunii, eodem anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefectus.*

L. J$í S.

ALOISIUS TRIPEPI, *Secretarius.*

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

DECRETUM. Presbyterorum Missionis S. Vincentii a Paulo.

De Indulgentiis adnexis recitationi orationis « Angelus Domini'» et Antiphonae « Regina coeli »

Calcedonius Mancini, Presbyter Congr. Missionis et Redactor *« Ephemeridum Liturgicarum »* duorum insequentium dubiorum a Sacra Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita solutionem humiliter postulat:

I. *An in Sabbatis Quadragesimae, in quibus Vesperae anticipantur ante meridiem, Oratio* « Angelus Domini » *ipso in*

meridie recitari debeat stando, ut recitatur stando Antiphona finalis vesperarum, an potius flexis genibus ad indulgentias lucrandas ?

II. *An iuxta normas praescriptas a sylloge authentica Orationum et piorum Exercitiorum edita a S. C. Indulgentiarum anno Î886 Decreto diei 21 Maii, ad lucrandas Indulgentias, sabbato infra Octavam Pentecostes recitanda sit, meridie, Oratio* « Angelus Domini » *vel Antiphona* « Regina Coeli » ?

Et in plenaria Congregatione die 5 Martii 1896 in Aedibus Vaticanis habita Patres Cardinales responderunt:

Consulendum Sanctissimo pro opportuna declaratione quoad utrumque dubium.

Die vero 20 Maii eiusdem anni, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali S. Congregationis Praefecto, SSmus Dominus Noster Leo Papa XIII benigne declaravit: *In sabbatis Quadragesimae orationem* « Angelus Domini », *meridie, recitandam esse* stando; *sabbato vero infra octavam Pentecostes, meridie, recitandam esse Antiphonam* «Regina Coeli».

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 20 Maii 1896.

ANDREAS CARD. STEINHUBER *Praefectus.*

L. S.

>$¡ ALEXANDER ARCHIEP. NICOP. *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

ROMANA

ELECTIONIS

Die 25 Ianuarii 1896.

Sess. 22 cap. 8 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Tribus iam abhinc saeculis heic, in Urbe, erecta est Sodalitas *ab Oratione et Morte* nuncupata, ob benefacta insignibus cumulata privilegiis, et sane perillustris, quippe Eminentissimum Cardinalem habere gloriatur pro tecto rem ; gubernatorem vero , amplissimum Curiae Romanae Praesulem; inter confratres viros Principes enumerat, eademque Archiconfraternitatis titulo condecoratur.

Inter officia in eius regimen incumbentia, habetur officium vulgo dictum - *Provveditore di chiesa* - quodque *per biennium,* a confratre obtinetur. Hac de causa vacaverat officium sub fine anni 1894, quamobrem generalis Congregatio, iuxta legem Sodalitatis, habita est *die 13 Ian. 1895,* et tres propositi fuerunt electioni, nempe *Paolo Raselli, Francesco Blünder, Enrico Paperi;* ut ille capesseret officium qui maiorem suffragiorum numerum referret. Age vero, quinquaginta tribus confratribus suffragium dantibus, *Paolo Raselli* 35 retulit suffragia, *Francesco Blünder* 9, et *Enrico Paperi* aeque 9. At confrater *Paolo Raselli* officium acceptare recusavit, qua ex renunciatione suborta est quaestio ; an nempe duo confratres, suffragiis numero paribus electi, novo electionis experimento vulgo - *ballottaggio* - submitti deberent ; an potius iterum tres essent generali Congregationi proponendi, quorum unus eligeretur, modo supra explicato. Lex sodalitatis scripta visa est confratribus proceribus regimini praepositis, vulgo dictis - *la Banca* - non satis clara ad dirimendum dubium, quare statuerunt, generali Congregationi remittendam esse quaestionem pro authentica legis

interpretatione, in facti specie. —- Articuli legis controversi ita se habent sub capite - *del modo di eleggere gli officiali* - « Queste terne così cribrate si presenteranno alla Congregazione generale lo stesso giorno, pel quale sarà stata intimata per circa un' ora dopo quella fissata pel Congresso o Congregazione segreta ; ovvero il giorno seguente, se ia formazione della terna fosse stata fatta presso l'Emo Protettore ; e la elezione si farà a voti segreti. Perciò ciascun fratello riceverà da chi presiede alla Congregazione generale il voto ; e ponendo la mano in ciascuno dei tre bossoli, al piede de' quali starà scritto in un bollettino il nome del Candidato, lascerà il voto in quello che crederà ».

« Quegli che avrà ricevuto maggiori voti sarà eletto. In caso di parità correrà per la seconda volta il bossolo con lo stesso metodo, e qualora persistesse la parità, ne resterà la scelta alla Banca ».

« Se l'eletto rinunciasse, succederà l'altro per ordine di votazione, con che abbia avuto almeno un decimo dei voti : se la terna fosse esaurita, si farà quanto di sopra si è ordinato tanto per la formazione della nuova terna, quanto per la elezione. Avvenendo poi il caso di altro esaurimento della terna, la Banca avrà la facoltà della libera elezione ».

Confratres in generalem Congregationem acciti, responderunt non esse locum experimento novae electionis inter duos confratres, antea paribus suffragiis electos, sed novae trium propositioni et electioni procedendum esse. Deinde Congregatio generalis indicta fuit, quae tamen a proposito abstinuit ob querelam promotam a confratribus *Blünder* et *Paperi* apud Praesulem Sodalitatis gubernatorem conquerentibus de sibi illata iniuria, quippe ex lege sodalitatis non novae trium electioni procedendum erat, sed solummodo deliberandum, quinam ex ipsis, iam rite propositis et electis in locum renunciantis succederet.

Quia Gubernator rem Emo Profecturi remiserat, hic paulo post respondit, laudans et ratam habens rationem pro-

cedendi hactenus secutam, iubensque ut Congregatio generalis, tribus de more propositis nominibus de eligendo decerneret : prouti factum est *die 3 Februarii 1895.*, electo in officium - *Provveditore di chiesa* - confratre *Giuseppe Galeotti.*

Ex duobus confratribus conquerentibus, non ulterius institit *Enrico Paperi;* at restitit *Francesco Blünder* in praesenti controversia actor, qui S. C. C. libello oblato petiit, ut res formiter disceptaretur.

Disceptatio Synoptica

IURA SODALITATIS. Istius Procurator notavit ante omnia, articulum legis, iam relatum, excludere unum et alterum confratrem paribus suffragiis electos, quia in locum renuncian tis debuisset succedere - *V altro per ordine di votazione* -. At iste ordo *praelationis* inter pares non habetur.

Advertit praeterea, optati experimenti, vulgo - *ballottaggio* - in textu legis, nec volam nec vestigium esse. Nam lex praecepit quod unus eligatur maioritate votorum; quare statuit: « *In caso di parità correrà per la seconda volta il bussolo con lo stesso metodo* . . . . » Dein « *Se l'eletto rinunciasse, succederà l'altro per ordine di votazione... se la terna fosse esaurita* (idest, arguit Advocatus, si nemo ex duobus aliis aut nolit aut non possit succedere) « si farà quanto di sopra si è ordinato tanto per la formazione della nuova terna, quanto per la elezione. Avvenendo poi il caso di altro esaurimento della terna, *la Banca* avrà la facoltà della libera elezione ». Unde concludit, tantum abhorrere a *littera* et *spiritu* legis, exquisitum experimentum - *ballottaggio* - dictum ; quod si iterato frustra cesserit electio, ius liberae electionis devolvitur ad proceres confratres constituentes altius officium, vulgo - *la Banca* -. Quapropter autumans Advocatus in themate, legis voluntatem desumendam esse simul ex *contextu* et ex *intentione* eiusdem legis, memorat hoc criterium interpretationis a *Richerio* ita expositum in opere *Universa civilis et criminalis Iurisprudentia p. I, c. 1,*

sect. 1; § 17 : « Antequam de regulis interpretationis dicamus duo sunt praenotanda. Nulla opus est interpretatione cum manifesta est legis sententia ; neque enim clarius explicari necesse est quod satis per se patet. Lex igitur tunc tantum interpretanda cum legislatoris verba eiusdem consilium aperte non demonstrant : 2. Non aliter de legis sententia inquiri posse, quam perpenso totius orationis contextu et attentis singulis legis verbis et invicem comparatis, cum ex omnibus pendeat declaratio, et consequenter cognitio voluntatis *(leg. 24 dig. de regulis iuris).* Incivile est nisi tota lege perspecta una aliqua particula eius proposita iudicare vel respondere ».

Ex dictis, putat Procurator, priori quaestioni satisfactum abunde fuisse ; quoad legitimam nempe exclusionem experimenti *vulgo* dicti : - *ballottaggio ;* - quocirca ad alteram gradum faciens notat, hanc necessario ab alia pendere eiusque decisionem in superiore praecontineri. Frustra enim cum cesserit prima electio, ob unius renunciationem et aliorum non possibilem successionem, quum neutri faveret maioritas suffragiorum, necessarium fuit ad alteram devenire electionem.

Praeterea animadvertit, hanc impedire non potuisse querelam confratris Blünder, quia non agebatur de derogandis constitutionibus Sodalitatis seu de iure quaesito tollendo, sed de interpretanda authentice earum voluntate, quod negotium alteri pertinere non poterat, quam generali Congregationi* quippe quae easdem Constitutiones ipsa condiderat.

Quam interpretationem, urget procurator, cum plena rei cognitione Congregatio non semel confirmavit ; nam postquam, instaurata lite apud S. C. C. a Sodalitate expetitae fuerunt, prout de more, appositae animadversiones per hoc decretum rite denunciatum ; nempe *auditis sodalibus, rite congregatis,* iidem sodales in plenam Congregationem convocati, certiores omnino facti de rationibus ab actore allatis, quasi unanimi responso, id quod hactenus gestum erat, ratum habuerunt et confirmarunt.

Demum quia post exortam controversiam accidit, quod interim Praesul gubernator ab officio abdicaverit, et insinuatum fuit, hoc perfecisse ad significandam eius reprobationem quoad rationem agendi in hoc negotio, reponit advocatus, hoc a veritate alienum esse ; quum Gubernator officio renunciaverit ob nimias curas quibus in diversa officia distrahebatur ; neque ipsum quaestionem dissolvere voluisse, sed Emo Protectori remisisse, quamvis ipse visus sit potius in contrariam sententiam inclinare.

DEFENSIO FRANCISCI BLUNDER. Actor vero in allegationibus per se allatis, rationem procedendi Sodalitatis in controverso negotio, impetit tum ob spretam *formam,* tum ob violatam *legis* apertam *sententiam.*

Formam processus quod attinet, advertit, se Praesulem Gubernatorem certiorem fecisse de proposito convocandi generalem Congregationem, ut ipsa exortam dirimeret controversiam. Dein ipse narrat, Gubernatorem per litteras Secretario Archiconfraternitatis datas, suam patefecisse sententiam circa Constitutionum exploratam voluntatem ; nimirum ut ad novum experimentum electionis admitterentur tantum duo confratres paribus suffragiis antea electi. Nihilo secius, ait Actor, Generalis Congregatio habita fuit quin mentio fieret de sententia Praesulis Gubernatoris, de rationibus ab instante allatis et de textu articuli controversi. Quam ob rem, iuxta Actorem, Gubernator ab officio abdicare coactus fuit, prouti perfecit, quum eius auctoritas aperte despecta sit : iubet enim Constitutio Sodalitatis ad cap. XIII. « *Al Governatore medesimo si riferiranno tutti gli affari gravi e di entità che avverranno pei quali egli consulterà coi Guardiani e proporrà nelle Congregazioni le risoluzioni facendo poi eseguire quanto sarà risoluto* ».

Praeterea actor opinatur generali Congregationi minime potuisse competere praesentis controversiae resolutionem ; bene vero spectasse *Congregationi secretae,* iuxta textum constitutionum ad cap. 46 - ita conceptum : « In qualunque caso di variazione o di riforma di alcune disposizioni o di

parte di esse si dovrà *in Congregazione Secreta* esporre chiaramente la proposizione da trattarsi ».

Demum alium vitium invenit actor infìciens generalem Congregationem habitam *die 10 Martii 1895:* quod nempe eidem adfuerit, quamvis suffragium non dederit, novus electus ad officium - *Provveditore di Chiesa* - eiusque germanus frater contra praescriptum Statuti ad cap. 11 - ita decernens : « *Se occorresse parlare di qualche cosa in cui abbia interesse qualche confratello, dovrà prima r interessato uscire dalla Congregazione, e ciò anche se V interesse si riferisca ad un parente, fino al secondo grado inclusivamente* ».

Quo ad meritum vero quaestionis, arbitratur actor, se rem facili negotio conficere posse. Siquidem advertit inter fabellas amandandam esse adversariorum exceptionem ; nempe Statuto incognitum et alienum ad amussim esse institutum novi experimenti ad electionem, vulgo - *ballottaggio ;* - littera enim legis, ait, quamvis diversis verbis idem expresse significat, disponens : « *In caso di parità correrà per la seconda volta il bussolo, collo stesso metodo, e qualora persistesse la parità, ne resterà la scelta alla Banca* ». Quorsum haec spectat praescriptio, instat Actor, nisi ad tollendam paritatem votorum ; et maioritatem obtinendam pro eligendo ; quod fit per novum electionis experimentum quod vulgo audit - *ballottaggio* -.

Necessario vero debere recurri ad huiusmodi experimentum, arguit Actor ex textu legis, quae in eligendo absolutam requirit maioritatem votorum, quaeque non sinit, ut ad aliam trium nominum propositionem et electionem deveniatur, nisi incassum priorum trium cesserit electio ; decernit enim articulus: « *Quegli che avrà ricevuto voti maggiori sarà eletto. In caso di parità correrà per la seconda volta etc. - Se Veletto rinunciasse, succederà Valtro per ordine di votazione*, con che abbia avuto almeno un decimo dei voti e SE LA TERNA FOSSE ESAURITA, si farà quanto di sopra si è ordinato, tanto per la formazione della nuova terna, quanto per la elezione ».

Demum advertit Actor, sane nihil officere si et electio et electionis renunciatio non *eodem acta* seu stante eadem generali Congregatione habitae non sint ; nam hoc a Statuto non praescribitur, neque impedit quominus novo electionis experimento a generali Congregatione, iterum congregata, subiiciantur duo confratres antea paribus suffragiis electi.

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sustineatur electio, facta die 3 Februarii 1895, in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 25 Ianuarii 1896, censuit respondere: *Affirmative et amplius.*

ALGERIEN.

NULLITATIS MATRIMONII

Die 29 Februarii 1896.

Sess. 29 Cap. 6 De reform, matr.

COMPENDIUM FACTI. Comes Victorius 20 annos natus, *die 25 mensis Septembris 1871* coram parocho loci, Andegavensis Dioecesis, legitimum contraxit matrimonium cum Paulina in 18 aetatis anno constituta, filia unica divitis negotiatoris.

At coniugale foedus haud bene cessit, siquidem, ut sponsus narrat, quam cito inter coniuges contentiones ortae sunt, quas etsi enixius vir sedare studuerit, tamen, iisdem in die percrescentibus, fere impossibilis evasit coniugalis cohabitatio.

Nihilo secius coniugalis vita perduravit decem annos, usque nempe ad annum 1881 ; in quo, ait vir, j'ai quitté Paris et je suis allé en Tunisie pour m'y faire une situation. De là j'ai écrit à ma femme pour l'inviter à se rendre près de moi, lui disant que là était sa place. Elle me répondit par un refus et une lettre d'injures. En 1882, étant

en Algerie administrateur. adjoint de la Commune mixte de Fedi el Zalá, province de Constantine, je lui réitérais l'invitation de venir auprès de moi ; invitation, que je réitérais plusieurs fois au cours de la même année. De nouveau elle me refusa. En 1883, apprenant par ma mère la mauvaise conduite de ma femme et sachant de plus qu'elle allait demander la séparation de corps, je fis la même demande ».

Corporum separatione a tribunali laico declarata, Victorius progressu temporis petiit divortium, ita dictum, civile. Quo obtento non erubuit Paulina alias nuptias coram civili magistratu cum Camillo contrahere.

Rebus sic stantibus, narrat Victorius : « l'idée m'est venue de chercher s'il n'y avait pas dans mon mariage quelque cas de nullité, pour me tirer de la situation qui m'est faite » : atque facile invenit in suo matrimonio impedimentum canonicum, quia ipse non libere nupserat Paulinae, sed solummodo ab imperioso patre adstrictus.

Pater enim, ait nunc Victorius , tale coniugium imposuit, quia per pinguem Paulinae dotem sperabat suo patrimonio consulere, aere alieno gravato. Quapropter *die 7 Iunii an. 1893* supplices Victorius porrexit preces Archiepiscopo Algerien., enixe postulans ut suum matrimonium cum Paulina nullum ac irritum declararetur ex capite *vis et metus.*

Absque mora Archiepiscopus, constituto tribunali, per Iudicem delegatum processum ad formam iuris instruxit, atque *die 4 Iunii an. 1894* sententiam protulit, declarans *« non constare de nullitate matrimonii, inter dominum Victorem et dominam Paulinam, initi ».*

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MARITI. Actoris patronus imprimis recolit iuris principia, quae statuunt in matrimonio requiri plenam consensus libertatem, cui maxime obest timor. Ita Gonzales *lib. IV Decretal., tit. 1, cap. 15, p. 5:* « Metus igitur gravis reddit matrimonium nullum, tam in foro interno, quam

externo. Ratio est, nam cum matrimonium petat voluntatem omnino voluntariam, nusquam libertas tam necessaria est quam in matrimonio ».

Statutum pariter in iure est maius voluntarium requiri ad matrimonium, quam ad alios coatractus civiles, Portius *De impedim. matrim. Cons. 31, q. 3ₛ p. 13:* « Ad matrimonium magis et perfectius voluntarium requiritur quam ad contractus civiles ». Quin imo, prosequitur orator, adeo debet esse plena libertas in matrimonium contrahentibus, ut non modo compulsio, sed etiam compulsionis timor, seu iusta metus et parentum indignationis suspicio sufficiat pro metu. Ita edocet Zypaeus apud Van Espen *part. II sect. II tit. 13 n. 1 :* «Quando revera ex consilio viri prudentis constaret, levem licet causam, vere tamen gravem metum incussisse, ut spontaneum consensum defuisse demonstretur, non dubium matrimonium pro irrito haberi, quia certe nihil interest quo metu qui compulsus sit, dum constet compulsum esse ».

Ut autem timor matrimonium irritet necesse non est, ait advocatus, ut sit incussus ope minarum mortis vel huiusmodi, sed sufficit timor cadens in constantem virum, sicuti Canonistae omnes docent. Ad gravitatem timoris metiendam, advertit procurator, non solum inspici debet minarum natura, sed etiam qualitas personae, tam incutientis, quam patientis. Praesertim si pater sit qui metum incutiat filio, secum in eadem domo commoranti, et pater sit indolis asperae et durae erga filium, rigidus et Severus et propositi tenax atque irremovibilis.

Receptissima insuper iurisprudentia est, pergit ipse, diuturnas atque importunas suasiones, imo preces quoque assidue repetitas, de proposito matrimonio contrahendo cum timore reverentiali coniunctas, etiam sine minis et verberibus, constituere metum cadentem in virum constantem, efficacem ad infirmandum matrimonium. Ita Cosci *De separatione tlwri lib. 3, cap. IV, n. 78 et seqq.;* Pignatelli *Vol. 9, cons. 180> n. 19;* Pirringh *Lib. IV, tit. 1, sect. 4,*

n. 119: Gonzales *Lib. IV Decret., tit. 1, De spons. et matr., cap. 15,* Rota *cor. Emeriz. Decis. 87O„ n.* 7: « Suasiones et preces habentur loco compulsionis et coactionis et ingerunt metum cadentem in constantem virum, maxime quando veniant a patre et aliis superioribus »; et alii plurimi Doctores.

Quae doctrina, animadvertit orator, multo magis locum habet si pater metum incutiens interesse habebat ad matrimonii celebrationem, eo quod speret magnam inde utilitatem sibi aut familiae suae esse obventuram : nam tunc difficilius redditur filio patris desiderio contraire, eo quod magnus exsurgit timor in graviorem eius indignationem incurrenda Ad rem Barbosa *Vot. Decis. lib. II, vol. 16, n. 30:* « Quod indubitanter procedit ubi metum incutiens habet interesse in contractu c elebrando ; prout habebat Capitanus Thomas pater dicti Nicolai, qui erat debitor magnae quantitatis Annae, matris dictae Eleonorae. Quo interesse attento, solus metus reverentialis dicitur sufficere ad 'rescindendum contractum ». Quae omnia iuxta advocatum facilius verificantur si sermo sit, uti in casu, de filio qui ad maiorem aetatem nondum pervenerit ; praesertim si timidae indolis sit, et assuetus ad paternam voluntatem obsequendam. Tunc enim minor adhuc metus desideratur ad matrimonium irritandum. Quomodo tradunt fere omnes citati Doctores.

Hisce in iure statutis, orator antequam ostendat actoris matrimonium nullitate ex timoris causa laborasse, opportunum ducit patefacere indolem agendique modum tam metum inferentis, quam metum patientis.

Victoris pater, ait advocatus, in regimine suae familiae ac in patriae potestatis exercitio adeo tenacis ingenii ac firmae indolis erat, ut a propositis suis nullo pacto dimoveri posset ; et si suae voluntati contradiceretur saepe saepius iracundia corripiebatur : quod quam plures confirmant testes.

Indoles e contra Victoris, notat orator, erat suavis, leni s et submissa, praesertim erga patrem, uti plures testes asserunt.

Unde patet, iuxta procuratorem, actoris voluntatem sub' patris imperio mansisse semper prostratam ac exinanitam. Et hoc maiori quidem evidentia splendescit, si attente consideretur, magnam pro patre adesse causam vis filio inferendae, nam ex nurus dote maxima utilitas suo patrimonio derivaret. Quamvis enim pater inter divites in patria sua recenseretur, eo temporis tamen, quo matrimonii filii sui tractatus initium habuit, ob passa infortunia, aes alienum ad valde conspicuam summam conscendens contrahere debuerat. Constant haec a plurium testium depositione.

Modo, ad facti demonstrationem descendit patronus ac sustinet, in casu meridiana luce apparere, patrem coactionem in filio exercuisse, ideoque eius nuptias cum Paulina null as ac irritas fuisse. Hoc enim non tantum constat, ait ipse, ex iurata infelicis Victoris depositione ; sed plures testes, omni exceptione maiores, rite interrogati, utrum pater Victoris preces, instigationes, auctoritatis paternae pressiones adhibuisset ad hoc, ut filius nuptias invitus contraheret, uno ore affirmative responderunt.

Cui evidenti probationi adiungitur, inquit orator, ipsa rei confessio, patris nempe qui metum incussit. Ipse enim baratrum in quod filium proiecerat inspiciens, summo dolore culpam deflevit, ac per totam vitam se ipsum tanti mali auctorem professus est. Haec omnia testibus comprobantur.

Coactione tali modo probata, actoris patronus gressum facit ad obiectiones refellendas; atque prae primis sustinet nullo modo dici posse, quod, durante contubernio, metus fuerit purgatus et inde matrimonii nullitas sanata. Siquidem post publicationem Conc. Trid. ad matrimoniorum validitatem , semper requiritur parochi et testium praesentia, uti docet Fagnanus in cap. *De Spons. impub. num. 13* « necesse est contrahere coram Parocho et testibus iuxta formam praescriptam a Concilio Tridentino ». Ab hac regula casus tantum excipitur, quo nullitas ab occulto exoriatur impedimento. Occultum autem existimatur illud impedimen-

tum, quod in iudicio probari nunquam posset. Ita enim ex communi Doctorum sententia tradit Reiffenstuel in *append. de Dispens. § #, num. 44* « Impedimentum tunc censetur occultum quando vel omnino est secretum, ita ut nulla ratione probari valeat, vel si quidem sciatur ab uno vel alio, a tribus vel quatuor, nullum tamen periculum est quod ulterius publicetur ».

Quod autem in praesenti, prosequitur orator, impedimentum sit publicum constat ex testimoniis.

Sed etiam nullo respectu habito ad Tridentinam formam, iuxta advocatum, consensus de quo in casu eiusque revalidatio praesumpta nullius habenda sunt pretii, tum ratione metus perseverantis, tum ratione ignorantiae ex parte metum patientis. Siquidem, uti cum communi Canonistarum doctrina tenet Gasparri, *de Matrim, vol. 2, n. 1143: «* Pars quae consensum non habuit, supplere eumdem non potest, nisi cessante causa non-consensus, id est, remoto metu, cognito errore, etc. ; secus enim, sicut fuit nullus consensus ab initio datus, ita nullus erit denuo repeti tus ». Et Reiffenstuel *Tom. IV tit. de Sponsalibus n. 337,* ait : « Ad hoc ut per copulam vel cohabitationem matrimonium ratione metus invalidum ratifìcetur, oportet ut pars metum passa sciat matrimonium fuisse nullum ».

Iamvero, pergit patronus, actor iuratus ingenue fatetur « Ce n'est que bien après toute cessation de relation avec Pauline et après son mariage civil avec la personne susdite, c'est-à-dire, depuis environ quatre ans, que l'idée m'est venue de chercher s'il n'y avait pas dans mon mariage quelque cas de nullité, pour me tirer de la situation qui m'est faite ». Cuius assertionis veritas, iuxta advocatum duplici confirmatur circumstantia, aetatis nempe et professionis actoris. Tempore enim initi matrimonii, solummodo viginti annos et tres menses natus, stipendia merebat.

At, prosequitur orator, in Victore post nuptias non tantum fuit impedimenti ignorantia, sed perduravit metus. Plures enim testes clare fatentur nunquam desiisse in actoris

patre causas metus primitus incussi, nam eidem quam maxime necessaria erat Paulinae dos ad reiiciendum familiae patrimonium, iam debitis valde gravatum.

Ideoque, concludit patronus," vix intelligitur, curnam Iudex Algerien, etiam de propriae sententiae firmitate dubitans, ad regulam confugerit « in dubio standum est pro validitate matrimonii ». Modo enim non agitur de casu cuiuscumque matrimonii dubii, sed matrimonii dubii ratione metus. Iamvero Barbosa, *V ot. Decis. Lib. I, V ot. 137* tradit « matrimonium non est favore dignum ; neque pro eius validitate in dubio praesumendum » ; et Sacrum Auditorium cor. Seraphino *Decis. 983*ʷ « Cum constet (matrimonium) metu esse contractum non debemus ei favere ; nam coactae nuptiae malos exitus habere solent ».

ANIMADVERSIONES S. VINCULI ASSERTORIS. EX opposito sacramenti vindex sustinet, haud adesse impedimentum metus ; atque observat in primis translatitium in iure esse quod metus per facta sit probandus. Sane in synopsi *decis. 920, n. 16, 17 et 18,* coram Molines legitur : « Incussio metus ad annullandum actum, tanquam quid facti debet concludenter probari. Et quidem cum ea circumstantia, quod sit metus cadens in constantem virum. Ex quo actus fuerit requisitus cum aliquo calore, non resultat probatio violentiae et metus, qui non potuerit evitari a viro constanti ». At iuxta ligaminis defensorem in themate, desunt facta, desunt circumstantiae, sive saevitiarum, sive minarum, sive importunarum precum, quibus pater Victorium ad matrimonium adigere obnisus est.

Victorius, ait orator, saltem per quinque menses matrimonium constanter adversatus est, ut nunc ipse narrat, eius vero pater continuo eum ad matrimonium cum Paulina contrahendum sollicitavit : « Les sollicitations de mon père étaient continuelles. Toutes les fois que je le voyais il me parlait de ce mariage. Je manifestais constamment mes répugnances ». Quapropter facillime Victorius testes afferre potest, qui decantatam suam repugnantiam et sol-

licitationem patris saepe saepius viderint atque audierint; maxime quia eidem erant mater, sorores, alii propinqui et famuli. Facta itaque testes edant cum singulis ad rem facientibus circumstantiis. Quae quidem circumstantiarum narratio, iuxta defensorem, accuratissima in praesenti controversia sit oportet, quia res est de metu reverentiali, quia non ex se, sed ex circumstantiis dumtaxat, quibus incutitur, naturam metus gravis, ad irritandum matrimonium necessarii, nancisci potest : sicuti tradit Sánchez *de matr. lib. 4, disp. 6, n. 14.*

Hac de causa, prosequitur vinculi tutor, merito Iudex algeriensis a singulis testibus quaerit : « Avez vous eu connaissance des répugnances de M. Victor pour ce mariage? Sur quoi étaient-elles fondées ? Avez-vous appris que les répugnances de M. pour la personne de Pauline, aient duré jusqu'au jour du mariage? » At ex testibus ne unus quidem, si matrem excipias, quae ait: « Deux ou trois jours avant son mariage mon fils vint me dire que ce mariage lui répugnait à cause de la différence d'éducation qu'il remarquait entre mes filles, moi et cette personne », per totum illud, sin minus quinque mensium spatium, praetensam repugnantiam vidit, audivit, advertit, aut suspicatus' est. Imo testes de re instructissimi illam excludunt.

Idem dicendum est de praetensis sollicitationibus, ceu colligitur ex responsis datis Iudici roganti per accitos testes.

Nec iuxta vinculi defensorem verum dicit Victorius dum se profitetur mitem pavidumque, patrem vero proclamat severam, formidabilem, ac in suis iussionibus omnium tenacissimum. Siquidem contrarium per testium depositione deprehenditur; nam Victorius militiae nomen dederat.

Nec matrimonii vindex credit, patrem actoris fuisse imperiosum ac tenacem. Ait enim testis Falateuf « Monsieur de... père, était un homme d'une intelligence rare et en même temps d'un coeur très noble. Il adorait sa famille, comme en était adoré ».

Neque meliori omine, urget vinculi tutor, Victor prae-

sidium quaerit in testibus, qui dicunt patrem pluries, et praesertim instante morte, culpam aerumnosi matrimonii sibi vertisse. Etenim in conciliatione nuptiarum cum magnam parentes partem habere soleant et debeant, sive hoc vel illud matrimonium liberis suadendo, sive ab eo dehortando quando connubium malos eventus habet, parentes, etsi nulla prorsus intercesserit metus vel reverentialis illatio, iure merito culpam sibi ascribunt, aut quia illud consuluerint, aut quia illud non impedierint. Reque vera, nemo dixit metum corniti Victorio illatum esse etiam a matre, et nihilominus mater comitis non minus quam pater semetipsam huiusce matrimonii in culpam adducit.

Facta insuper eloquentissima, concludit defensor, demonstrant, Victorium haud invitum ad connubium cum Paulina adductum esse, et inito matrimonio omnia pertentasse, ut ab uxore benevolentiam captaret. Fatetur enim ipse: « A partir de trois ans la désunion fut presque complète... et ce, malgré de fréquentes efforts de ma part pour gagner son coeur, lui faisant des cadeaux ou cherchant à lui prouver que je voulais lui être agréable___

Quibus in utramque animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia Archiepiscopalis Curiae Algerien, sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra O. C. re discussa sub die 29 Februarii 1896, censuit respondere: *Ex deductis sententiam esse confirmandam.*

Ex quibus colliges: I. Ad evincendum metum reverentialem requiri facta, circumstantias saevitiarum, minarum aut precum importunarum; quibus deficientibus, deficit probatio metus.

II. Metus incussionem ea comitari debere circumstantia quod sit metus cadens in constantem virum; ita ut non

sufficiat probare quod actus, requisitus fuerit cum aliquo calore, dum verus metus et violentia probati non fuerunt.

III. Videri in themate defecisse probationem tum repugnantiae sponsi erga sponsam, tum sollicitationis patris saepe saepius repetitae ad filii animum vincendum.

IANUEN.

FUNERUM

Die 29 Februarii 1896.

Sess. 25 cap. 12 De reform.

COMPENDIUM FACTI. . Quamvis haec controversia EE. PP. potius *facti* quam *iuris* sit, tamen quae facti species et adiuncta sunt, paucis expediuntur. Siquidem quaeritur an Patres Cappucini, qui suam Domum , sitam in Paroecia S. Ioannis Baptistae, loci - *Sestri Ponente* - ipsis surreptam per iniquas legum Civilium spoliationes , iterum sibi comparare potuerunt, ibique commorantur a mense Iulii an. 1891, quaeritur nempe an, quum a fidelibus invitantur ad associanda cadavera in paroecia Beatae M. V. in Coelum Assumptae, prouti in more est, iure fruantur deferendi propriam Crucem. Hoc ius ipsis refragatur Parochus dictae ecclesiae Beatae M. V. in Coelum Assumptae dicatae, contendens, huiusmodi morem expresse Ius Commune et ius consuetudinarium prohibere ; ex adverso Patres Cappucini ultro admittunt eorum intentioni non ius commune scriptum, sed aperte suffragari legitime praescriptam consuetudinem, quam aliunde ius commune non reprobat. Quare contendentes sequens dubium contestati sunt - *An constet de iure Cappucinorum deferendi crucem in associationibus cadaverum in casu.—*

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO PAROCHI. Huius Patronus, ut in aperto ponat iuris communis principia, refert celeberrimi Gardellini haec

verba num. 4468 : « Tot sunt in hac nostra collectione decreta, quae declarant ac iubent in funeribus unicam crucem esse elevandam tumulantis ecclesiae, ut, si id demonstrandum susciperem, inutili improboque me gravarem labore ».

Ipsam vero consuetudinem contra hanc legem, improbari contendit Orator , iuxta Const. - *Ad perpetuam rei memoriam* - diei 17 Iunii 1614 Pauli V, qui mandat Episcopis aliisque praesulibus, et Parochis ubique locorum existentibus, ut praescripta a rituali romano inviolate observent. Quare Summus Pontifex Bened. XIII in concilio romano celebrato, anno 1725 Episcopis praecipit « ut contraria omnia quae in Ecclesiis . . . . contra praescriptum Pontificalis romani, et coeremonialis Episcoporum, vel rubricaelMissalis, Breviarii, et Ritualis irrepsisse compererint, detestabiles tamquam abusus et corruptelas prohibeant, et omnino studeant removere, quavis non obstante interposita appellatione, vel immemorabili consuetudine ».

Hanc legem, urget Patronus, interpretatur S. Rituum Congreg, in *Abellinen,* diei 28 Aprilis 1862 , quae reperitur in authentica decretorum collectione n. 5352 in qua, proposito dubio « An Parochi civitatis Abellinen., attenta consuetudine elevare possint omnes propriam crucem in funeribus ducendis , cum non accedit Capitulum cathedralis, vel unica tantum crux, eaque Ecclesiae tumulantis sit deferenda? » S. R. Congregatio censuit rescribendum prout sequitur - *Negative ad primam partem , affirmative ad secundam.*

Sed in casu, consuetudinem non vigere favore Cappucinorum, asserit Advocatus, ex iurata et legali attestatione, seu, uti aiunt, ex actu publicae notorietatis sacerdotum et laicorum, qui ortum et domicilium non interruptum habuerunt in eadem civitate, vulgo *Sestri Ponente* nuncupata.

Instat Orator , aiens , in summario prostare innumera testimonia sacerdotum et parochorum asserentium cappucinos , loci Campi , numquam detulisse propriam crucem in praedictis associationibus funebribus.

Demum Patronus observat, quod, admissa etiam consuetudine, haec *in genere* probari non posset, quippe corruptela iuris dicenda esset, quum maxime iura parochorum sarta et tecta habenda sint ; *in specie* vero ait, reprobandam esse, iuxta votum sui clientis, qui animadvertit pessum ire proventus parochorum, si hac ratione admittantur Patres Cappucini ad associanda cadavera, quia, ut crucem deferant, tres vel quatuor saltem invitari debent a fidelibus qui, ut pareant expensis, sacerdotes saeculares proinde posthabebunt.

DEFENSIO CAPPUCINORUM. EX adverso Procurator Generalis Ordinis Cappucinorum , quoad ea ab Archipresbytero asserta in supplici libello, *primo* notat PP. Cappucinos non potuisse sub propria cruce incedere in associandis cadaveribus ante mensem Octobris; quia in mense Iulii possessionem acquisierunt Domus Religiosae, eamque instaurare coeperunt, sed solummodo mense Octobris ibi familia Religiosa constituta fuit. *Secundo* negat, Religiosos scandalo aut turbis occasionem dedisse, sed solummodo recessisse a funebri associatione , protestantes sibi ius esse deferendi suam crucem ; quamobrem, quia hoc illis impediebatur ab Archipresbytero, amplius non intervenisse ad cadavera associanda. Item *negat* Parochum S. Ioannis Baptistae , modo defunctum , cuius in territorio sita est Domus Religiosa, et ipsum Religiosos prohibuisse quominus Crucem déferrent.

Deinde advertit Procurator quod quaestio non versatur circa ius commune , sed quaeritur an existat consuetudo Cappucinorum intentioni favorabilis ; quam, ait, non reproban a iure, imo adesse plures S. Congr. decisiones , e quibus luculenter evincitur, quod Regulares, imo Confraternitates « licet Capitulum Cathedralis intersit funeri, ut habet Pignatelli *t. 4, Consult. 58, 14, 15 et alibi,* propriam in associatione cadaverum afferre possent crucem , si talis in loco vigeat consuetudo. »

Citat in exemplum, responsionem S. C. C. *diei 14 Augu-*

sti 1880, in una *Papiensi* (1), in qua conclusum est favore alterius crucis, non obstante praescriptione synodali : ut videre est ex ratione decidendi in *Folio* invocata : - ibi - « Ex Bened. XIV *(De Syn. Dioec. L. 11)* non evadere novitatis notam illam Synodalem Constitutionem quae vult abrogare consuetudinem iam in Dioecesi existentem. Quare lex synodalis in themate (in praefata causa *Papiensi),* ut novitatem et praeiudicium tertii inducens, videtur nihili esse facienda____Consuetudo enim contra Caeremoniale erit utique corruptela, quando cultus divinus patitur dispendium. Sed nullum in themate praeiudicium irrogatur, si altera crux post cathedralem elevetur— » Refertur pariter Rotalis decisio in una *Troiana,* cuius conclusio et concludendi ratio ita se habet: « Capitulum et Canonici Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Foggiae, praetendentes impedire Regularibus dicti loci, ne, occasione funerum, quoties dictum Capitulum in illis interveniret , propriam crucem extollerent, fuerunt ab eisdem in iudicium vocati coram A. C. qui *favore Regularium, tam super bono iure, quam super manutentione sententiam protulit.* Causaque per appellationem Capituli mihi directa, proposui dubium : - An , et de cuius bono iure constet ? - quod AFFIRMATIVE PRO REGULARIBUS resolutum fuit. Quamvis enim, ex Decretis SS. Congregationum in processionibus funerum, omnes procedere debeant sub unica tantum cruce illius Ecclesiae, ad quam cadaver tumulandum defertur, et, interveniente Capitulo vel Cathedralis vel Collegiatae , etiamsi cadaver alibi deferatur, crux Capituli dumtaxat elevari possit, sub qua omnes incedere debeant, *nihilominus praedicta locum, non habent quoties adsit consuetudo immemorabilis in contrarium,* ut, limitando regulam, probant, Pignatelli *Cons. 58, num. 15, et Cons. 74, per totum lib. 5;* Barbosa *De iure eccles, lib. 11, cap. 7, num. 78;* De Luca *De regni. Disc. 47, n. 2;* Rota etc. ».

(I) **Recole Vol. XIV, 136.**

Et ideo « Cum ex deductis in contemporanea decisione satis constet de bono iure Regularium quoad facultatem elevandi propriam crucem in associandis cadaveribus, etiam interveniente Capitulo et Canonicis Collegiatae ecclesiae S. Mariae Foggiae, ita et in praesenti dubio super manutentione favore Regularium responsum fuit. Manutentio namque datur possidenti, § *Retinendae,* Inst. *De inter d.* Unde cum de possessione Regularium in praesenti hypothesi dubitari nequeat, ex quo non solum ipsi meram possessionem habeant, sed etiam quia illam habent *qualitatibus immemorabilitatis fulcitam,* ut luculenter super bono iure firmatum fuit, merito eiusdem concedenda venit manutentio ».

Ad rem Benedictus XIV, dum adhuc Prosper Lambertini et Archiep. Bononiensis erat, haec attestatur : « Cum ob antiquam consuetudinem in hac civitate ac dioecesi (Bononiensi) minime id (i. e. lex unius crucis) observetur, sed tot vexilla crucis ferantur, quot Sodalitates , vel Ordines Regularium pompae funebri interfuerint, quemadmodum ab Archiepiscopali Cardinalis Gabrielis Palaeoti primi huius urbis Archiepiscopi deprehenditur illis verbis : *Expresse praecipimus ut omnes et singuli statis horis simul convenire debeant sub suis quique Vexillis et Crucibus in locum, ubi defunctus erit, ut sepeliri possit,* quod institutum quidem tenetur etiamsi Capitulum Metropolitanae Ecclesiae accesserit, ideo vetustatis gratia nihil novi statuendum volumus, et consuetudines a Decessoribus nostris iam inductas permittemus.... » *Instit. eccles. CV, num. 27, edit. Prati pag. 458.*

Ad facta pressius descendens, Procurator advertit argui ab Archipresbitero : super consuetudinem a Cappucinis interruptam. Nam dato et non concesso quod dicta consuetudo existeret favore Religiosorum, huic sponte nuncium dederunt a 30 annis in Vicariatibus *Sestri Ponente, Rivarolo, Sanpierdarena et Prà.*

Quae verba commentans Orator, ait, revera mirum esse, Archipresbyterum loqui de *spontanea renunciatione* facta

legitimae consuetudini; quippe adversarius ita locutus, videtur *in primis* clare admittere factum *consuetudinis,* quam postea dicit *interruptam,* nempe a Patribus emigrare coactis a propriis sedibus ob saevam Gubernii spoliatoris vim.

Quoad loca vero quae Archipresbyter citat in probationem terdenae et spontaneae renuntiationis, advertit Orator :

I° Quod in loco *Rivarolo* nullus Cappucinorum conventus nullumque hospitium , in loco *Sanpierdarena* nullus Conventus nullumque hospitium !

2° Quod in loco *Campi* (cuius tantum non meminit archipresbyter) utique conventus exstat, et quidem e primis quos post civilem suppressionem Fratres Ianuensis Provinciae aperire sategerunt. Ast sciendum est quod in *Campi,* sicuti et in aliis locis, familia regularis per suppressionem exturbata et hinc inde dispersa, quum denuo conventum quasi furtive redintegrare potuerit, nedum crucem efferre et processionibus interesse, aut sive in *Campi,* sive in *Rivarolo* vel *Sampierdaren'i* funeribus intervenire valeret, a pulsatione externae campanae, ob officialium civilis potestatis praepotentes inhibitiones, abstinere coacta fuerit : et hodiedum prudenti cunctatione procedit, exceptis iis locis vicinis, v. g. in *Bozzoli Ligure,* in quibus iidem officiales, benévolos vel saltem non adeo adversos erga Fratres sese praebent. Et hinc est, narrat Orator, quod in supracitato loco *Bozzoli,* Fratres ad funera vocati, adsunt et quidem cum cruce propria. In aliis vero eiusdem Provinciae locis, v. g. *Finalmarina, Finalbergo, Finalpia, Loano, Savona, San Remo, Sarzana,* aliisque, ob benevolentiam vel toleran tiam eiusdem civilis potestatis, Fratres absque ulla interruptione , etiam immediate post suppressionem, vitam prosequi potuerunt communem. et processionibus publicis ac exsequiis semper sub propria cruce interfuerunt.

Demum vero quod damni timet Archipresbyter a Religiosis, ob diversas funerum classes, putat Procurator esse fictitium. Nam, ait, funerum classifìcationes non in sola SSmae Assumptae loco *Sestri,* sed in omnibus orbis terra-

rum paroeciis plus minusve obtinere, quin crux Regularium elata eas aut impediat aut modifìcet.

Praeterea, notat Orator, diversas funerum classes non obstare, quia si Defuncti haeredes funus secundae classis v. g. expetunt parocho, ille numerum Sacerdotum secundae classi convenientem, iuxta assertam suam consuetudinem determinabit, et deinde haeredes numerum Fratrum , non tamen maiorem, ad vocabunt.

Ceterum advertit Procurator, sane haeredibus semper integrum esse, ad funus invitare Religiosos, quare notissisimae sunt hac de re Sedis Apostolicae decisiones. Sic, in una *Senarum,* diei 7 Dec. 1641, S. Rit. C. statuit: « *In arbitrio haeredum residere numerum Regularium qui funeri intervenire debent, non autem in voluntate Parochorum, non obstante Decreto Synodali ».* Et S. C. Episc, et Regul. die 16 Dec. 1729 decrevit, in una *Carmelitarum,* ad funera vocari posse Fratres ab haeredibus absque scientia Parochi, Parochum etsi inscium non posse eosdem repellere, imo eumdem iisdem commodum praestare debere ad Missas in ecclesia parochiali, praesente cadavere, legendas.

Synodalem vero praescriptionem quod attinet, Procurator opinatur ipsis favorabile esse decretum in quo edicitur: « Quod si defuncti haeres , aut is qui funus curat plures clericos saeculares accersire voluerit, eius voluntas omnino servetur. Si tamen in oppido non adsint clerici saeculares, vel quotquot sunt vocati sint, in arbitrio haeredum erit accersire quotquot voluerint Regulares , verum de loci tamen familia ».

Demum, explicans testium agmen, Procurator prae primis notat, quod Ianuensis FF. Min. Cappucinorum Provincia quinque, praeter Clavarensem, complectitur Dioeceses : Ianuensem scilicet, Savonen. , Albinganen., Sarzanen. et Ventimilien. — Porro, in documentis consuetudinem Cappucinorum attestantur Curiae Ventimilien., Curiae Albinganen ., Curiae Sarzanen.......Limen. Brugniaten. et Curiae Savonen.

Accedunt attestationes parochi *Voltaggio,* necnon *Sestri Lei:ante,* aliorumque plurimorum Canonicorum, Sacerdotum, Regularium aut Saecularium optimi nominis et diversissimae conditionis, qui omnes , unanimi ore et pro sua conscientia , de visu et interventu, ut plurimum , declarant, testificantque Cappucinos intra fines respectivi loci, in usu fuisse et esse, nemine obstante, crucem propriam in publicis et in funeralibus processionibus elevandi.

Quia desideratur, in elencho depositionum, expressa declaratio ipsius Curiae archiepiscopalis ianuensis , advertit Procurator, quod facile intelligitur quod Minister Provinciae Cappucinorum non potuerit, pro sua discretione, instantias porrigere praelaudatae Curiae, quae stante hodierna vertentia, huius illiusve partes sustinere videri non debet. Ceterum Cappucini, Curiam Ianuensem supplices adivere ad depositiones testium formaliter recipiendas et registrandas. Hinc, in praecitato elencho, Testes, ad numerum 34, iurati et interrogati, coram DD. P. Canevello Pro-Vicario generali et coram Cancellario Curiae, de iure consuetudinario, sive in Ianua, sive in Sestri, formaliter deposuerunt.

Pro ipsamet Sestri-Ponente civitate, advertit Procurator, quod praelaudatis Minister, ne exagitationem adversus Cappucinos exortam augere insimularetur , paucos tantum audiri testes opportunius et consultius existimavit ; qui de visu et interventu et exercitio iuris, de quo agitur in concreto et debita forma deponunt.

Ex his ergo iuris ac facti momentis, indubium videtur Procuratori, quod Minoribus Cappucinis loci Sestri-Ponente, ob probatam iuxta *iuratus* et *authenticas superiorum ac fratrum attestationes* et in Sestri et in tota Provincia consuetudinem, nunquam *legitime* interruptam, ius competit, tum in publicis, tum in funeralibus processionibus, servatis aliunde iuribus parochialibus, suam elevandi Crucem.

Hisce in utramque partem animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An constet de iure Cappacinortim deferendi crucem in associationibus cadaverum in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. O. re disceptata sub die 29 Februarii 1896, censuit respondere. *Affirmative* et amplius.

Ex QUIBUS COLLIGES : I. Reprobari consuetudines, quibus cultui divino vulnus inuritur, non vero illas quae nullum pariunt praeiudicium aut fidelium pietati, aut Ecclesiae decori.

II. Ex Caeremoniali omnes procedere debere sub unica Cruce in processionibus funerum ; attamen ex iugi iurisprudentia Ecclesiae, lex eiusmodi modificatur per consuetudinem contrariam, ab immemorabili inolitam.

III. In themate visum esse Emis Patribus constare, de bono iure Regularium elevandi propriam crucem in associandis cadaveribus ; hinc responsum fuisse favore manutentionis iuris eiusdem, quod consuetudo peperit.

UTINENSIS

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE

Die 28 Martii Í896.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Ioannes Baptista Mantoessi, vicarius paroeciae Pradamano (archidioecesis Utinensis), cum superiore anno in die Festo SSmae Virginis Mariae, a Rosario nuncupatae, ignes incenderei artifìcio comparatos, in manu dextera gravi vulnere affectus, incidit in irregularitatem ex defectu corporis. Etenim ex hoc infortunio amputationem pati debuit phalangis ultimae digitorum pollicis et medii dexterae manus, nec non amputationem secundae et tertiae phalangis ex indice eiusdem manus.

Ordinarius enixe orat pro gratia, Magister caeremoniarum retulit, oratorem posse adimplere, aliqua tamen cum difficultate, quidquid oportet quoad vini et hostiae consecrationem.

Disceptatio Synoptica

GRATIA DENEGANDA VIDETUR. Quamvis, ut notat clarissimus Santi, *(lib. I Tit. XX De corpore vitiatis pag. 186)* « praxis Sanctae Sedis ea sit, ut facilius dispensatio ab irregularitate quoad promotos, idest ab irregularitate superveniente post susceptum ordinem presbyteratus, concedatur, quam quoad promovendos licet agatur de eodem defectu, attamen non desunt exempla, quae probant, etiam sacerdotibus huiusmodi dispensationem aliquando haud fuisse concessam ».

Ita in cap. II *De clerico aegrotante,* missae celebratio presbytero interdicitur, cui duo digiti cum medietate palmae a praedone fuerant abscissi. *Die 24 Ianuarii 1864 in Burgen.* S. C. C. dispensationem denegavit cuidam Ioachim de Zaias, qui ob adustionem tendines pollicis et indicis dexterae manus contractos habebat, quique dimidia tantum parte phalangis utriusque digiti carebat, quamvis magistri caeremoniarum favorabile votum et Cardinalis Archiepiscopi commendatio precibus accederet. Sapientibus enim de causis irregularitas propter defectum corporis ab Ecclesia introducta est. Si iam in Veteri Testamento illi a servitio altaris arcebantur, qui notabili defectu laborabant, multo magis in novo Testamento in quo *umbram fugat veritas,* a celebrando sacrosancto missae sacrificio ii arcendi videntur, quorum corporales defectus vel horrorem, vel risum, vel admirationem populi movent, quod divini cultus decentiam decoremque offendit.

GRATIA CONCEDENDA VIDETUR. Sed ex altera parte constat, facilius concedi dispensationem quando defectus absque vitio et culpa promoti contrahitur et laudabiles personae qualitates, nec non Ecclesiae utilitas mitiorem suadent sen-

tentiam quod in casu fieri videtur. Nam orator non tantum a Vicario generali verbis commendatur amplissimis, utpote moribus optimis ornatus; sed etiam refertur, regionem illam penuriam sacerdotum pati.

Ceterum pro dispensatione ab huiusmodi defectu in celebratione missae abundant S. C. C. exempla ex quibus patet vigorem canonum hac in re benigne fuisse temperatimi.

Ita *die 28 Ianuarii 1865* dispensatum fuit cum Clerico, qui casu fortuito usum digiti indicis dexterae manus amiserat. Sacra enim Congregatio respondere censuit, *pro gratia dispensationis, adhibito medio, loco indicis, facto verbo cum SSmo.* Similiter *in Novarien, diei 27Iunii 1891,* venia dispensationis Oratori concessa fuit ad ss. Ordines promovendo, quamvis dexterae manus pollici una phalanx et indici duae deessent phalanges ; et nuper in *Colonien, diei 25 Maii 1895* (1) S. C. C. permisit quemdam sacris Ordinibus initiari reponens : « *Arbitrio et conscientiae E~)i Archiepiscopi, dummodo vera adsit Ecclesiae necessitas, facto verbo cum Ssmo.* » Quo in casu de iuveni quodam Ioanne Kebren agebatur, qui in gymnasio Kempensi litterarum studiis adhuc vacabat et gravi manus sinistrae defectu erat afflictus: quem ita descripsit caeremoniarum magister: « Ioannes Kebren manum sinistram habet male formatam inde a nativitate. Solus pollex est bene formatus ceteri quatuor digiti concreti sunt, et membrana quadam inter se iuncti, sunt insuper minores quam dexterae digiti, ita ut medietatem eorum non multum superant. Molles sunt et debiles ut digiti infantium. Etiam pollex et reliqua sinistrae manus pars minor est quam pollex et cetera pars manus dexterae ».

Quibus animadversis quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re visa sub die 28 Martii 1896 censuit respondere : *Pro gratia facto verbo cum SS aio.*

(1) Confer Vol. XXIV, 207 et Vol. XXVIII, 261.

MEXICANA

SUPER FACULTATE MISSAM TER CELEBRANDI

Die 28 Martii 1896.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Archiepiscopus Mexicanus has obtulit preces: « Prosper Maria Alarcon, Archiepiscopus Mexicanus, ad pedes Sanctitatis tuae provolutus sequentia exponit: duobus abhinc annis facultatem expostulavi a S. Sede, ut Parochi et alii Sacerdotes huius Archidioecesis, prout necessitas pustularet, possent Missam ter diebus Dominicis et aliis diebus festis de praecepto celebrare. Haec mihi facultas ad biennium a Sede Apostolica concessa est, simulque ab illa admonitus fui, ut iste abusus tres Missas, praedictis diebus, celebrandi penitus extirparetur. Ceteroquin, Beatissime Pater, gravissimae prostant causae rationesque, quibus nisus iterum atque iterum Sanctitatem tuam oro atque obtestor, quatenus haec mihi facultas denuo ab Apostolica Sede concedatur. Nam imprimis cum mos iste tres Missas celebrandi praedictis diebus, propter locorum distantiam et Sacerdotum inopiam, iam plurimis abhinc annis, nostrorum praedecessorum temporibus, nostrisque etiam invaluerit, si nunc de medio sublatus fuerit, maxima pars fidelium tanto bono, maximoque ad fidem corroborandam adiumento, procul dubio privarentur. Quin imo, cum incolae istarum regionum, diversis in locis dissiti in eadem Paroecia, qui magna ex parte Indi sunt, tum ex ignorantia, tum ex defectu ob magnas locorum et temporum difficultates, aliorum spiritualium auxiliorum, ad idololatriam proni semper obnoxiique fuerint; vereor ne orbati etiam salutari Missae Sacrificii beneficio, quod maximo curant studio ut celebretur, in veterem idololatriam revertantur. Quin hoc obtingat, quod Deus maxime avertat, certissime, quia non multum in fide Indos sentio obfirmatos, haud aegre eos irretire Protestantes, et id incautos deprehendere poterunt; quod iam aliquibus in

locis accidisse deflendum mihi vehementer sane est. Ad hoc ansam non dubito daturam invidiam, quae contra Parochos in Indis excitaretur, si se orbari ab illis Missa, quod nullo unquam tempore accidit, persentirent. Accedit quod ii, quos iam suis laqueis Protestantes deprehenderunt, nullis hortationibus officiis aut monitionibus possunt ad bonam frugem reduci. Plurima inde mala in locis iam istis erroribus infectis proveniunt; et haec, imo maiora timenda erunt, in maxima fidelium parte, si locus relinquatur Protestantibus, omnia loca summa cum aviditate circumcursantibus, illos Missae beneficio privando ».

« Hisce nisus fretusque gravissimis rationibus, Beatissime Pater, enixe obnixeque rogo atque obsecro pietatem tuam erga istum gregem, ut facultatem istam, de plenitudine potestatis tuae, concedere digneris. Interim meam erga Te reverentiam et obedientiam polliceor ».

Eiusdem tenoris preces obtulit idem Ordinarius *anno 1878,* S. O. C. propositas per *Summaria Precum* quas hoc responso dimittere placuit *die 20 Dec. 1879 :* (1) « *Pro gratia ad quinquennium, facto verbo cum SSmo et ad mentem* ». In EE. PP. exprimenda mente id praecipue significari debuit Archiepiscopo : « *ut ultra tertiam Missam nunquam nullaque de causa iterationem permittas ; nec non ut, concessionis tempore durante, eá qua praestas prudentia ac solertia, res componere satagas, ad tramites disciplinae vigentis, qua scilicet plebis necessitati audiendi Sacrum satis consulatur per binationem* ». Concessionis gratia usque prorogata fuit: quum vero Ordinarius praescriptionibus, iuxta mentem EE. PP. expressis nondum fecerit satis, iterum institum fuit, ut res ad normam iuris redigerentur; cui instantiae respondit Archiepiscopus per supra relatas litteras.

Disceptatio Synoptica

GRATIA DENEGANDA VIDETUR. In quod propositum prae primis recolenda videtur recens S. C. C. responsio data in

(1) Recole Vol. XIII, 340.

una - *S. Iacobi de Costarica* (1) « *Postulatum circa facultatem binandi » die 6 Iulii 1893;* in qua Episcopus *in Relatione status Ecclesiae* admonebat, in nonnullis paroeciis populum a 5000 ad 18000 incolas esse frequentem, et in singulis Ecclesiis unum tantum aut duos esse presbyteros, quorum alter aut infirmus aut absens aliquando est. Tamen S. C. O. reponere placuit « *Pro gratia in praefatis paroeciis, ubi duo tantum adsint sacerdotes, alteruter binare possit, ad decennium - excluso tamen quocumque in casu, ut quisquam e sacerdotibus tertiam missam celebrare possit* ». Sapientissimae decisionis patebit ratio si disciplina ecclesiastica, hac in re altius repetatur. - Primis Ecclesiae temporibus parvus sacerdotum numerus pro fidelium copia exigebat, ut idem presbyter plura eadem die missae sacrificia litaret. Card. Bona *Rer. liturg. lib. 1, cap. 18, § 5 et seq.* Bened. XIV *De Syn. dioeces, lib. 5, cap. 8, § 8.* Cum autem huiusmodi mos, cui exiguus ministrorum numerus, et christianorum priscae illius aetatis originem praebuerat, coeperit longe lateque augeri, ac aucto sacerdotum numero corrumpi, et converti in turpis avaritiae ac lucri fomentum, eum moderandi necessitas fuit. Hinc factum est, ut Concilium Salegunstadiense prae omnibus decreverit saeculo XI: *ut unusquisque presbyter in die non amplius, quam tres missas celebrare praesumat.* Thomas. *De vet. et nov. Eccles, discipl. part. 1, 3, I. 1, cap. 72, § 3.* Adaucto deinde abusu pluries Pontifices declararunt in peculiaribus casibus unam tantum missam quemque sacerdotem celebrare debere. Tandem Innocentius III *cap. Constatasti, de celebrat. Miss.,* solemniter definivit quod « *Excepto die nativitatis Dominicae, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die imam Missam solummodo celebrare* ». Hoc idem etiam statuit Honorius III *cap. De referente, eodem tit.,* in quo tamquam rem firmam et exploratam usurpavit Innocentii sententiam, ut nempe « cuilibet sacerdoti quacumque di-

ti) **Recole Vol. XXVI, 235.**

gnitate praefulgeat, unam in die celebrare missam sufficiat ». Quamobrem Innocentii legem, ceu cuique compertum est, iugiter tenuit, ac tenet universa Ecclesia. Licet vero ab hac generali lege excepta fuerit necessitas, non quaecumque necessitas sufficit, sed ea requiritur, cui aliunde occurri nequeat.

Hisce breviter expositis, circa antiquam et praesentem Ecclesiae praxim, quoad missae iterationem, oratoris petitioni non videtur annuendum. Et sane, Uteris Episcopi attente ponderatis, ab Eo allatis, prima vice *anno 1878,* videtur quod ratio ad obtinendam huiusmodi facultatem desumitur ex inopia fidelium, qui in tanta egestate versantur, ut consuetum stipendium sacerdoti unam Missam celebranti elargiri non valeant: ex quo videtur innui, quod si fideles haud tanta paupertate laborarent, non esset necessaria huiusmodi missae iteratio. At vero egestas fidelium nihil prodest ad hanc facultatem obtinendam, cum Archiepiscopus ex piis oblationibus aliisque Ecclesiae bonis optime valeret consulere stipendiis missarum ita, ut tali modo alia, quae lamentatur, averterentur mala.

Verum quidem est quod etiam sacerdotum penuria adducitur, quae fortassis ratio sufficiens esse videtur ad indultum concedendum. At si perpendas quod isti in tantum missam itérant in quantum missarum emolumenta percipiunt, potentior exurgeret ratio ad indultum denegandum exortumque compescendum abusum. Scitum enim est quod in facultate binandi, quae a S. C. C. conceditur, apertis verbis cavetur ne pro secunda missa eleemosyna recipiatur.

Neque iuvat plurium annorum consuetudinem adducere, ac si haec naturam praescriptionis indueret: quia licet ecclasiastico iure prohibeatur ne sacerdos pluries in die celebret, tamen multa, quae sola Ecclesiae auctoritate sancita fuere, praescribi nequeunt. Cum enim universa disciplina ad plurimos abusus compescendos inducta fuerit, facile eveniret ut ex hominum malitia eadem mala in dies irreperent in Ecclesiam Dei cum maximo fidelium ac religionis discrimine.

Hinc est quod consuetudo huiusmodi, utpote ad versans universalibus Ecclesiae sanctionibus, dicenda est potius corruptela iuris.

GRATIA INDULGENDI VIDETUR. At vero si rationum momenta ab Archiepiscopo adducta perpendantur, eius preces non videntur respuendae. Habetur enim parvus sacerdotum numerus, qui quotidie minuitur, et est omnino insufficiens pro regimine fidelium. Hinc nisi facultas petita concedatur, est prorsus impossibile quod fideles ecclesiastico praecepto de missae auditione satisfaciant. Accedit quod, ut Archiepiscopus refert, fideles extra civitatem et pagos degentes cum actibus religionis sint valde addicti, nisi celebrationi missae interessent, facile possent in actus idololatricos relabi. Occasione auditionis missae tantum hoc aliud bonum consequitur quod homines aenei coloris convenientes in unum coetum cum aliis albi coloris, inter eos charitas fovetur, et augetur. Quae quidem rationes videntur induere casum necessitatis ab Innocentio III in sua Constitutione a regula generali exceptum, et quem doctores inter quos Benedictus XIV revocant ad statum in quo fideles missa carerent, nisi ab eodem pluries celebraretur.

Praeterea ex communi consensu pluries permittitur celebrare parocho, qui pluribus paroeciis praesit, quia omnes fideles non possunt in eadem Ecclesia convenire. In casu autem nostro habemus parochos regentes plures populos valde seiunctos, quibus impossibile prorsus est eandem Ecclesiam adire. Porro ex utriusque iuris observantia vulgatum prodiit adagium, idem in iure obtinere ubi eadem ratio subsistit. Cum in casu nostro eadem omnino ratio verificetur, necessitas apparet eiusdem facultatis concedendae.

Accedit quod S. C. C. non semel sacrificii iterationem, festis quoque suppressis, indulsit, ne pia fidelium desideria erga divinum cultum frustraren tur : *Argentinen. 17 Sept. 1859, Lingonen. et Turonen. 24 Augusti 1878 per Summ, prec.* (1). Maiori ergo ratione permittenda videtur trina

(1) Recole Vol. XII, 232.

missae celebratio diebus festis, quibus fideles praecepto auditionis missae detinentur.

Neque difficultatem facessit quod sacerdotes missam iterantes salarium percipiunt, hoc enim minime exprimitur dari pro applicatione secundae vel tertiae missae, sed tantum intuitu laboris, quod et a S. C. O. permissum fuisse constat in *T reviren. Eleemosynae Missarum 23 Martii 1861* inter *Summ. Prec.* relata, in qua propositis dubiis - 1. *Utrum parochi qui, ut menti fundatorum fiat satis, diebus dominicis et festis binam dicunt missam et pro fundatoribus primissariarum applicant, salarium ex fundo primissariarum pro peculiari labore percipere possint. 2. Utrum parochi, qui pro necessitate circumstantiarum diebus dominicis et festis, sive in Ecclesia parochiali, sive fMali dissita, bis celebrant, tradita simul doctrina christiana, pro peculiari labore et industria certum salarium annuum a parochianis oblatum percipere valeant?* responsum fuit - *Posse permitti prudenti arbitrio Episcopi, aliquam remunerationem intuitu laboris et incommodi, exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione Missae.*

Quibus breviter delibatis, quaesitum fuit quomodo Archiepiscopi Mexicani preces dimittendae essent.

RESOLUTIO. Sacra C. O. re disceptata sub die 28 Martii 1896, censuit respondere: *Pro gratia, ad quinquennium, in forma et terminis rescripti 20 Decembris 1879, facto verbo cum SSmo.*

GAUDISIEN.

ONERUM

Die 29 Februar i 1896.

Sess. 23 cap. 18 de reform.

COMPENDIUM FACTI. Pro erigendo Seminario in civitate Milevitana, ad tramites Concilii Tridentini, decretum edidit anno 1575 Petrus Duxina, Inquisitor et Dioecesis visitator

apostolicus ; quod quum ab executione impediretur , aliud evulgavit anno 1591 Thomas Gargallo, Episcopus milevitanus, decernens ut beneficia et bona ecclesiastica taxae subicerentur ita dictae - *mediae decimae* - qua nempe ex reditibus beneficialibus, *quinque pro quolibet centenario,* Seminario tribuendum erat.— Verum, anno insequente loco Seminarii, ita iubente Clemente Pontifice VIII, erectum fuit Collegium Societatis Iesu, cui taxa *mediae decimae* assignata fuit.

Sub anno 1660, contendente universo clero Milevitano, taxam, ob locupletes reditus, quibus instructum Collegium, amplius solvendam non esse, S. Rota Romana, iterato hanc causam disceptavit ; quam tamen post diuturnas iudicii ambages, pacifice definire contendentes statuerunt per Transactionem initam, qua cautum fuit, ut singuli erga Collegium adstricti obligatione solvendi taxam, ab hoc onere se eximerent, pro una vice solvendo *septem annatas.*

Certe non omnes bonorum ecclesiasticorum Administratores hanc transactionem ratam habuerunt; nam aliqui potius prosecuti sunt certam praestationem solvere, quam transactionem acceptare. At praesentem controversiam quod spectat, scitu necessarium est quomodo in hoc negotio se gesserit Ecclesia *Gaudisien.* Hanc iam ab anno 1623 in Ecclesiam Collegiatam erexerat Episcopus milevitanus, constitutis ex bonis eiusdem Ecclesiae sex praebendis canonicalibus, quarum una in Archipresbyteratum destinata fuit. In posterum usque ad decem excreverunt huiusmodi beneficia, quia *anno 1623* adiecta fuit praebenda Theologalis dotata ex pio legato cuiusdam Nicolai Angeli Maccanutii; *anno 1662* ex bonis Mensae Capitularis duae aliae constitutae sunt praebendae, demum *anno 1672* ex bonis quarumdam Ecclesiarum ruralium suppressarum decimus canonicatus fundatus fuit. Interim Summus Pontifex Alexander VII anno 1663 titulum et iura Ecclesiae Collegiatae recognovit ac suo Decreto confirmavit Ecclesiae Gaudisien. — Quum postea, alii sex instituti sint Canonicatus in hac Ecclesia Collegiata, nempe quinque anno 1729, sextus anno 1744; primi decem

canonicatus dicuntur *primae erectionis,* et isti in hac controversia partem agunt, reliqui sex dicuntur *secundae erectionis,* iidemque in lite nu^am habent partem.

Iamvero in hac causa quaeritur an Canonici *primae erectionis* teneantur adhuc solvere taxam ita dictam *mediae decimae;* quae tamen modo non repetitur a Seminario, sed a Mensa episcopali gaudisien., cui in actu erectionis nempe anno 1864 attributa fuit in dotem a Summo Pontifice Pio IX. Verum huiusmodi taxa amplius non respondet *mediae decimae* seu solutioni quinque pro quolibet centenario ; quia per decretum diei 23 Octobr. 1741 datum a Paulo Alpheran de Bussan Episcopo Milevitano praedicta taxa favore Seminarii praestanda a Beneficiis ab hoc onere non redemptis, vi Transactionis iam explicatae, reducta fuit ad rationem *trium pro quolibet centenario.* Idemque nuperrime confirmavit decrevitque Caietanus Pace-Forno per litteras *diei 22 Iulii 1859.*

Canonici vero *primae erectionis* contendunt, se nulla teneri obligatione solvendi taxam episcopali Mensae , substitutae, in hoc credito , iuribus Seminarii , quia Ecclesia gaudisien, reapse *anno 1677* transactionem amplexa est, quare certam pecuniae summam solvit pro una vice ad redimendum suum onus. Huic intentioni instantes Canonici anno 1893 praedictam taxam solvere recusarunt, sed e contra Mensae episcopalis Oeconomus ad S. C. C. confugit, ut Canonicos *primae erectionis* cogeret ad suetam praestationem solvendam , idemque Episcopus petiit ut formiter quaestio apud S. C. C. agitaretur.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MENSAE. Episcopi Procurator in primis recolit, Ecclesiam Gaudisien, vi Transactionis initae, solvissean. 1677 conventam praestationem qua se ab annua taxa redimeret, sed enixius instat Orator, hanc solutionem factam fuisse ab ecclesia pro suis bonis, sibi propriis, et seiunctis a praebendis canonicalibus, iam erectis ab anno 1623. Re quidem

vera, ait Patronus, Canonici *primae erectionis* usque ad nostros dies huic oneri satisfecerunt, nimirum per plusquam biscentos annos ; dum e contra Canonicis *secundae erectionis,* quando Episcopus Alpheram decreto anni 1741 taxam reduxit ad rationem *trium pro centenario* solvendam a beneficiis non redemptis vi praedictae Transactionis, hi Canonici protestati sunt se non teneri ad solutionem faciendam eo quia eorumdem praebendae institutae fuerant ex iis bonis Ecclesiae iam redemptis, et huiusmodi liberatio ab onere cito recognosci debuit. Quare, infert Orator , si Canonici *primae erectionis,* hac facili defensione uti non potuerunt, certum indicium est, eos vi transactionis immunes a controversa taxa non fuisse.

Dein Advocatus quaestionem solutionis altius repetens, advertit, nullum cadere posse dubium super facultate Episcopi, imponendi taxam seu contributionem pro erectione et sustentatione Seminarii, iuxta decretum Tridentinum *Sess. 23, cap. 18 De reform.,* adeo ut, quemadmodum docet Card. De Luca, Annot. ad Sac. Conc. Trid. *Disc. 25, num. 13,* pro regula generali statuendum sit « quod ubi speciale indultum Sedis Apostolicae limitationem non suadeat, nulla detur privilegiata exemptio , etiam in ipsomet Episcopo ».

Fatetur Patronus, beneficiorum contributionem, per Concilium Tridentinum demandatam, esse pro Seminarii substentatione, et quidem non absolutam esse, sed constituere remedium subsidiarium, donec scilicet Seminarium congrue provisum fuerit, et animadvertit, auctoritate apostolica factum esse, ut in erectione novae Dioecesis gaudisiensis, taxa seu contributio , quae iam favore Seminarii omnibus Beneficiis, non redemptis, imposita erat, Mensae episcopali pleno iure tributa fuerit. Ex quo, iuxta Oratorem , illud etiam patet, quod huic assignationi per Papam factae applicari haud amplius possit praedicta provisionis ratio ; cum per hoc praefata taxa seu contributio cessaverit esse remedium subsidiarium, et perpetuitatem acquisierit. Etenim ex una parte de potestate Papae in beneficialibus absoluta gravandi

beneficia etiam perpetuis oneribus, dubitari non potest; ex altera vero Summum Pontificem voluisse praecise uti hac sua potestate in argumento , de quo agimus, apertissime constat ex Apostolicis Bullis erectionis novae Dioecesis gaudisiensis, datis sub die 16 Septembris 1864; inibi enim pro episcopali gaudisiensis Antistitis Mensa constituto annuo proventu in summa romanorum scutatorum 2749, quinque eiusdem proventus assignantur stabilia ac perpetua capita, inter quae tertio loco adnumeratur taxa seu contributio Beneficiorum.

Neque, ait Procurator, ab adversa parte appellari posse ad regulam *subroyatorum* ad ostendendum, ex eadem provisionis ratione cessare debere assignationem factam Mensae episcopali in locum Seminarii subrogatae; haec enim regula procedere non potest, in casu, nedum ob diversitatem inter subrogatum et eum in cuius locum facta est subrogatio, sed etiam et potissimum ob Pontificiam dispositionem, qua dicta assignatio episcopali Mensae facta est, non subsidiario modo, sed absolute et stabiliter.

Verum quia contradictores potius confidunt in quaestione *facti*, nempe eorumdem praebendas, vi saepius memoratae transactionis, redemptas fuisse, reponit Procurator, quod facta non praesumuntur, sed ab his, qui allegant, concludentibus argumentis probanda sunt. In medium igitur proferant tandem adversarii documentum praetensae redemptionis , exclamat Orator. Quominus autem praesuppositum documentum existat, arbitratur Advocatus obstare evidentissime factum solemne, continuum, pacificum solutionis praefatae taxae ex parte Canonicorum primae erectionis ab anno 1677, quo praetensa redemptio peracta affirmatur, usque ad nostra haec ultima tempora.

Iam a prima erectione collegiati Capituli gaudisiensis, narrat Patronus, dum Matrix Ecclesia taxam sibi contingenten! persolvebat, eiusdem Capituli Canonicos eodem onere contributionis pro propriis praebendis gravatos fuisse constat ex iis quae pro executione praefatae concordiae et amicabilis

transactionis gesta sunt inter D. Carolum Cappettum Canonicorum Cathedralis Ecclesiae Melevitanae Procuratorem et Rev. Petrum Gherardum procuratorem generalem S. I.

Quocirca, urget Orator, nisi exhibeatur clarum evidens plenae redemptionis documentum, factum proprium perennis, et pacificae solutionis per annos biscentos et ultra , Canonicos iugulat prorsus.

Ad eluendas difficultates, notat Procurator , duo extare instrumenta contractus redemptionis iu quibus forte adversarii castra ponent; unum quod respicit bona quorumdam septuaginta trium Beneficiorum , quorum contributiones in Capsa Missarum assignatae sunt Canonicis primae erectionis, alterum quod sese refert ad bona matricis Ecclesiae. Verumtamen imprimis generatim advertit, duplicis speciei existere huiuscemodi redemptionis contractus ; sunt enim contractus, in quibus inter partes simpliciter convenitur circa summam solvendam pro redemptione ; sunt alii, in quibus declaratur conventam summam solutam fuisse. In beneficiorum catalogo, beneficia illa, pro quorum redemptione, primae tantum speciei contractus initi sunt, notantur verbo *Accordati* quod non satis est pro exemptione a taxa seu contributione solvenda; sed ulterius requiritur declaratio solutionis summae conventae, adeo ut usu receptum sit, in dubio redemptionis alicuius beneficii standum esse contractui solutionis summae conventae. His praemissis , ad primum quod spectat, concedit Advocatus illa septuaginta tria beneficia redempta fuisse; sed negat beneficia illa, esse Canonicatus primae erectionis , quia eorumdem bona incorporata non sunt Mensae Capitulari.

Ad alterum etiam quod attinet, libenter admittit Orator, anno 1677 bona matricis Ecclesiae redempta fuisse, quare eadem Ecclesia, ab eo tempore, taxam sibi contingentem non amplius persolvit. At exinde, ait, eorumdem praebendas redemptas fuisse autumare non posse *primae erectionis* Canonicos, prouti potuerunt reapse affirmare Canonici *secundae erectionis,* quorum prebendae constitutae fuerunt ex bonis

matricis Ecclesiae iam ab ipsa redemptis. Sed nulla prorsus ratione idem contendere possunt Canonici primae erectionis, instat Patronus ; siquidem praeprimis eorumdem praebendae non ex integro, sed tantum pro parte fuerunt constitutae ex bonis matricis Ecclesiae ; et insuper etiam pro hac parte constitutae fuerunt antequam matrix Ecclesia sua bona redemerit ; quando enim , matricis Ecclesiae bona anno 1667 redempta fuerunt, praedictae praebendae iam pleno iure institutae erant, partim ex bonis matricis Ecclesiae, ad hoc separatis et seiunctis a reliquis bonis eiusdem Ecclesiae ; partim ex eleemosynis Missarum et partim ex pio legati Maccanutii; institutionemque iam anno 1663 confirmaverat Alexander VII ; immo iam proprio contributionis onere singulae gravatae erant.

Verum quia adversarii reponunt eamdem titulo taxae seu contributionis persolvisse summam sive ante, sive post institutionem Praebendarum primae erectionis, usque ad annum 1667, matricem Ecclesiam, post segregationem Praebendarum a propriis bonis , pro iisdem Praebendis taxam solvere perrexisse ideoque pendendo pro redemptione, iuxta transactionem, septem annatas, seu septuplum taxae, redemisse etiam Canonicorum praebendas ; respondit Episcopi Patronus quod, omisso non unice ex bonis matricis Ecclesiae Praebendas constitutas fuisse, licet petere ab Adversariis, ut demonstrent, quod affirmant, matricem scilicet Ecclesiam, post Praebendarum institutionem, eamdem sol visse taxam ac antea solvebat. Mirum enim admodum videtur Advocato, argumentum adeo obvium, si vera essent exposita, non insiluisse in oculos Canonicorum anno 1742 , quando, reclamationibus interpositis contra catalogum beneficiorum non redemptorum ab Episcopo Alpheran confectum , Canonici secundae erectionis liberati sunt a taxa solvenda; non vero Canonici primae erectionis.

Quae omnia ad abundantiam dicta esse vult Patronus, qui asserit non praesumptionibus et coniecturis contra factum solemne continuum pacificae solutionis per bis ' centenarium

annorum decursum dimicare fas esset, sed necesse est adversarius exhibere contractum redemptionis propriarum Praebendarum.

Quod vero ad alteram dubii partem attinet, nempe quoad quantitatem taxae, ait Advocatus, post ea quae dicta sunt, paucissimis se expediri posse. Quum collegiata Ecclesia gaudisiensis anno 1864 in. cathedralem Ecclesiam erecta est, Mensae Episcopali, auctoritate Apostolica attributa est taxa iam existens super beneficiis non redemptis Dioeceseos, Mediadecima appellata. Porro tunc temporis taxa haec per Decretum, editum anno 1859 ab Episcopo Caietano Pace-Forno, determinata erat ad rationem trium pro quolibet centenario ex annuo reali proventu cuiuslibet beneficii. Summus autem Pontifex quoad modum et rationem solutionis praefatae taxae nihil innovavit, sed tantummodo loco Seminarii eamdem attribuit Mensae episcopali.

Quin igitur in dubium revocetur onus , quo gravantur earumdem praebendae, urget Orator, potius casus est augendi quod huius oneris titulo Mensae episcopali debetur. Neque enim ipsi Adversam denegare possunt, eorumdem praebendarum redditus ab anno 1859 uberiores evasisse; et tamen nullum taxae augmentum inductum est.

DEFENSIO CANONICORUM. EX adverso Canonicorum prioris erectionis defensor animadvertit, supplicem a se libellum editum fuisse : et quoniam Episcopus ad taxam sustinendam nititur praesertim enunciatione quadam, quae continetur in Literis apostolicis, unde novae Gaudisiensis dioeceseos erectio facta est, ideo se postulavisse dubium adiici *an intret arbitrium pro aperitione oris.* Cum haec petitio excepta non fuerit, hodie ita rem perstringit Orator. Siquidem S. Ordini videatur Litteras anni 1864 minime obstare ad immunitatem a mediadecima assequendam, libenter ab incepto canonicos esse destituros. Contra vero si illas impedimento esse* S. Congregatio censeat, alterius dubii disputandi beneficio haud privari adprecantur.

Subit arcae canonicalis Procurator qui memoriale protu-

lit italice exaratum , cuius haec summa est. Memorat in primis iam ab anno 1560 impositam mediaedecimae taxam Capitulo fuisse pro *Collegio* Melitensi, quod a Patribus regebatur Societatis Iesu : Capitulum vero huius oneris extinctionem postulavisse a S. Rota, quae iudicavit taxam amplius non deberi.

Quod si, pergit canonicorum procurator , Patres Societatis Iesu provocaverunt, pendente appellatione, lis anno 1671 per transactionem composita fuit, hisce conditionibus. Ecclesia cathedralis solvere tenebatur scuta mille ac triginta monetae melitensis; canonici Collegiatae Gaudisiensis ceterique dioeceseos beneficiarii scuta mille centum septuaginta quinque adiicere debebant. Patres autem Societatis Iesu ius ad mediamdecimam omnimo abdicabant. Si vero forte contingeret, ut aliquis ex obligatis transactionem non servaret, eo casu Cathedralis pro eo solvere deberet cum iure reintegra tionis. Quae concordia approbationem Episcopi ac Sanctae Sedis obtinuit.

Quamobrem, ait, iuxta transactionis terminos , minime admittenda est « [7]<2 *distinzione dei benefizi redenti ed irredenti* » quam revmus Episcopus Gaudisiensis in litteris ad S. C. C. posuit. Nam omnia beneficia, quae eo tempore erecta fuerant, sive ex directa solutione, sive ex Cathedralis obligatione redempta fuerunt.

Ceterum, subdit idem procurator, dubium veritati cedere debet. Ac veritas est Ecclesiam collegiatam Gaudisiensem suam portionem solvisse, cui obnoxia per transactionem manebat. Neque obiciendum existimat quod Rmus Episcopus ad S. C. C. ita exposuit; « Nè *essi* (nempe canonici prioris erectionis) *possono dire che la Chiesa Collegiata redimendo i proprii beni abbia redento le loro prebende* ». Nam canonicorum procurator propugnat Collegiatae liberationem etiam pro canonicis prioris erectionis mediaedecimae extinctionem peperisse.

Huius assertionis ratio, iuxta canonicorum procuratorem, deducitur ab ipsa natura praebendarum canonicalium. Haec

enim beneficia, ait, omnia ex Ecclesiae matricis bonis excerpta fuerunt, ut onus missarum celebrationis adimpleretur ; ideoque erant fere subiecta Ecclesiae gaudisiensi, quae pro illis solvere debebat. Quid autem, ille sequitur , quod mediadecima post transactionem neque ab Ecclesia gaudisiensi, neque a canonicis amplius soluta fuit? Atqui hoc orator ab ipso revmo Episcopo demonstratum existimat, qui ad S. C. C. scripsit, mediaedecimae solutionem initium non habuisse nisi ex die decreti Episcopi Alpheran, sive ab anno 1741.

Adiicit, tredecim post annos ab erectione Collegiatae, id est a canonicatuum dismembratione , Ecclesiam Gaudisiensem mediamdecimam solvisse ultra quinque nummos in singulos centum, ideoque pro canonicis quoque solvere debuisse. Affert praeterea quaedam commentaria de praebendarum redditibus anni 1698, unde liquet iuxta oratorem omnes canonicos, uno tantum excepto, a mediaedecimae solutione immunes extitisse. Nec satis , anno etiam 1758 , id est, septemdecim post annos a decreto Episcopi Alpheran de mediadecima, inter canonicorum prioris erectionis onera mediadecima non reperitur. Quae omnes probationes iuxta canonicorum procuratorem mediaedecimae liberationem compertissimam facere deberent. Sed ad probationis fastigium, animadvertit, procuratorem *ecclesiae* collegiatae Gaudisiensis anno 1696, facta solutione ad tramites transactionis , mediamdecimam extinxisse etiam pro beneficiis postmodum arcae canonicorum addictis. Quum igitur statim post transactionem procurator *Ecclesiae* Gaudisii solutionem fecerat, haec pro canonicis quoque liberationem genuit.

His de transactione anni 1671 eiusque effectibus perpensis, Orator decretum memorat editum anno 1741 ab Episcopo Alpheran. Atqui, dicit , hoc nihil innovari voluit, cum episcopus a mediadecima illos beneficiaros excepit, quorum taxa alias ab episcopo Gargallo praescripta, ex indulto pontificio extincta fuerat. Quibus positis in pretio habendam non putat revmi Episcopi Gaudisiensis obiectionem , nempe decreto anni 1741 episcopum Alpheran notu-

Iam adiecisse in qua canonici prioris erectionis uti mediaedecimae subiecti recensebantur. Nam in primis animadvertit, hanc notulam non omnes canonicatus antiquioris erectionis complecti. Deinde praesumendum ait, canonicos huic notulae se, se opposuisse. Ceterum, concludit, canonici prioris erectionis, etiam post decretum episcopi Alpheran, mediamdecimam minime sol verrait, quinimo septemdecim post annos, ut paulo ante dixerat, inter canonicorum onera mediadecima non reperitur.

Hic Canonicus procurator memorat quoddam iudicium anno 1808 contra Canonicos recentioris erectionis institutum, quam litem Patres Societatis Iesu deseruerunt, postquam Canonici eorum praebendas ab Ecclesia matrice avulsas demonstraverunt. Quamobrem, arguit, haec eadem ratio invocanda est pro Canonicis prioris erectionis.

Anno 1859, pergit Canonicus, procurator hodiernus Episcopus melitensis Pace Forno , novum edidit decretum de mediadecima super omnibus beneficiis, praeter illa quae ab Episcopo Alpheran excepta fuerant, uti demonstrat, verba decreti describens. Attamen ab anno 1858 arca Canonicorum prioris (eorum procurator nescit qua ignorantia vel errore) solutionem mediae decimae instituit, quae usque ad an. 1892 producta fuit.

Quinque post annos, nempe anno 1864 sa. me. Pontificis Pii IX Ecclesiam collegiatam Gaudisiensem ad Cathedralis dignitatem evexit, ac pro Mensa episcopali redditus constituens, emolumentum adcensuit - *taxa iamdiu existenti super omnibus dioecesis mediadecima appellata.* - Verumtamen , animadvertit Canonicus orator, Summus Pontifex dubio procul novam taxam non instituit, sed *iam existentem* applicavit; ideoque *super omnibus dioecesis beneficiis* ita intelligenda sunt : *super omnibus dioecesis beneficiis, (piae taxam adhuc solvere debebant.*

Deinde canonicorum procurator obiectionem aggreditur, quae a solutione anno 1858 incepta ac usque ad annum 1892, deduci potest. Et compertissimum dicit, neminem posse

aliquod beneficium gravare et gravatum successoribus tradere, quod antea liberum acceperat - ex deductis a Lotter. *De re benef. lib. 1, qu. 32, nn. 10 et 11* - ibi: *Hinc dicimus beneficium, semel constitutum in libertate, non posse redigi in servitutem... Neque est ferendum ut magis gravetur quam fuerit gravatum in fundatione.* - Quod eo magis valere ait pro canonicis qui non ex voluntate, sed ex ignorantia solverunt.

Nec, orator subdit, diuturna solutio observantiam gignere dici potest. Cum enim quaestio sit de obligationibus progressivis *quotannis* redeunt vices ac termini, huiusmodi obligationis uti variationibus et cessationi subiectae, praescriptionem non patiuntur. Et S. Rotae sententiam invocat in dec. 21 Novembr. 1845 § ult. cor. Mertel - *Insuper id etiam urgebat indoles contractus progressivi, in quo tot obligationes censentur, quot sunt termini seu vices in quibus obligatio renovatur* -.

Ceterum, concludit, temporis lapsus ad praescriptionem invocandam defuit. Nam trium supra triginta annorum spatio solutio facta fuit, dum quadraginta annos adversus *ecclesiasticum* collegium requirebantur. Testis Ferraris *voc. praescriptio nn. 15 et 34* - ibi : - *Res immobiles aliarum ecclesiarum inferiorum et aliorum locorum piorum, seu causarum piarum, praescribuntur spatio annorum quadraginta_____Actiones et obligationes adversus ecclesias et loca pia praescribuntur eodem tempore, quo earum res seu bona.*

Accedit, ait canonicus orator, altera exemptionis ratio, quam peremptoriam existimat, ex natura bonorum praebendarum deducta. Causa erectionis Collegiatae et arcae pro celebratione missarum, quae postea canonicorum aream Constituit defectus fuit sacerdotum qui missam celebrarent. Hanc erectionem autem et praebendarum destinationem ad divina celebranda, S. C. C. approbavit per Litteras diei 21 Iulii 1631. Episcopus ipse, admonet canonicus, haud inficiatur maximam partem bonorum canonicalium ad divinum exercitium adhibitam fuisse. Quare hereditatem Maca-

nutu quae dotem septimi canonicatus constituit, Episcopus inter legata missarum non comprehendens, immerito excepit, nam haec quoque ad missarum servitium fuit conversa cum approbatione S. C. Congregationis *(Melevitana onerum missarum 23 Novemb. 1737).*

Atqui compertissima est iuris doctrina, iuxta canonicorum procuratorem, emolumenta et beneficia derivantia ex legatis missarum omnimode a mediaedecimae taxa esse immunia. Quod comprobat cum Instruct, ad Constit. Benedicti XIII anni 1725 apud Lucidi *De visit. vol. 3, pag. 57, num. 9* - ibi : - *Per regolare la tassa non si dovranno calcolare i legati pii delle messe, che ad essi siano stati lasciati, siccome ne meno le elemosine che si fanno alle loro sagrestie.* (Barbosa ad Conc. Trid. *Sess. 23, cap. 18,* § *16,* Ventriglia *Praec, benef. par. 2, adnot. 23 ,* § *unie. De seminario,* S. C. C. in Caven. 17 Nov. 1629).

Denique orator tertium argumentum exceptionis invocat. Taxa mediaedecimae necessitatis conditionem omnino requirit. Nam - *succedente casa quo_____Seminarium in totum vel in partem dotatum reperiatur, tunc portio e singulis beneficiis ut supra detracta et incorporata ab episcopo prout res ipsa exegerit, in totum vel pro parte remittatur* -. (S. Conc. Trident. *Sess. 23, cap. 18; De reform.).*

Atqui, canonicus orator arguit, neque Seminarium dioecesanum , neque Mensa episcopalis Gaudisii quae Seminario fuit substituta, hac necessitate laborant. Non Seminarium, hoc enim quamquam a Tridentini conditionibus de Seminariis omnino distet, a Summo Pontifice Pio IX, ultra quam satis erat, propriis bonis ditatum esse contendit. Non Mensa episcopalis , quae redditibus conspicuis praestat. Praeter enim aedium episcopalium recentissimam emptionem in vim libellarum 53. 000, arcae canonicalis procurator multos redditus enumerat, qui iuxta eius sententiam, mediamdecimam supervacaneam faciunt.

Denique canonicorum orator memorat causam .*B olivaren, taxae pro Seminario* ab hac S. C. *die 14 Iulii 1894* defi-

nitam, in qua de mediaedecimae caducitate fuit iudicatum, ob initam transactionem et ob defectum conditionum a S. Concilio Tridentino requisitarum pro Seminariis dioecesanis.

Quibus animadversis, propositum fuit dirimendum

Dubium

An et quomodo Canonici prioris erectionis, ivi Ecclesia Cathedrali Gaudisien, teneantur ad solutionem mediaedecimae in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa, sub die 29 Februarii 1896, censuit respondere: *Affirmative in omnibus.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL.

MAIORICEN.

CONVENTIONIS ET DECRETI

Die 8 Maii 1896.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus Maioricensis die24 Septembris 1890, considerans quod Sanctuarium et Collegium B. Mariae Virginis de Lluch, intra fines paroeciae S. Petri de Esorca, suae dioecesis, ob locorum et temporum circumstantias de die in diem amittebat illum splendorem et interesse, quod aliquando habebat, ita ut voluntas fundatorum non amplius servaretur, attentis pluribus difficultatibus ad illud in pristinum redintegrandi, de consilio doctorum et piorum hominum, proposuit S. C. EE. et Reg. illud committere religiosae familiae Carmelitarum Calceatorum ; ita ut hi subrogati manerent, non solum in Sanctuarii administrationem, sed etiam substituèrent Collegiales saeculares qui de facto non amplius extabant. Carmelitae adstringebantur ad onera

fundationis persolvenda seu adimplenda, et Superiori ipsorum in vim huius propositionis erat tradita cura animarum paroeciae de Esorca; dato autem quod parochus, tunc existens, paroeciam nollet resignare, tunc in Ecclesia designata fuerat cappella cum ss. Sacramento pro functionibus paroecialibus. Haec Epi. propositio approbationem habuit a S. C. per sequens rescriptum diei 5 Dec. 1890: *Pro gratia dummodo ius alteri quaesitum non laedatur.*

In huius rescripti sequelam Epus. maioricensis decretum sub die 14 Aprilis 1891 edidit, quo Sanctuarium a paroecia separatum declarabatur. Contra hoc decretum putans se laesum in piis iuribus Guilelmus Fiol, parochus B. Mariae V. de Lluch in Esorca recursum instituit ad S. Congregationem, in qua exorta controversia discussa in generalibus Consiliis sub die 1 Aprilis 1892 ad propositum dubium: *An et quomodo confirmandum vel revocandum sit decretum Curiae Maioricensis* - responsum fuit - *affirmative ad 1. partem, negative ad secundam* (1).

Resoluta hac quaestione, videbatur remota et superata quaecumque difficultas circa actuationem relativae propositionis, quae etiam a Gubernio Hispanico fuerat approbata.

Verum sub die 12 Novembris 1894 Epus. maioricensis alium supplicem libellum obtulit S. Congni, in quo enarrato, quod erat impossibile, praefatum Sanctuarium religiosis Carmelitis committere ob parvum numerum personarum illius Ordinis in Hispania, rogabat S. Congñem, ut loco illorum posset substituere novam Congñem Dioecesanam SS. Cordium Iesu et Mariae, in sua dioecesi erectam usque ab anno 1890, et quae iam precario in Sanctuarii administrationem erat immissa cum plena fidelium satisfactione.

Huic petitioni, utpote laesivae conventionis iam factae et ab utraque potestate sancitae, acriter obstitere Fratres Carmelitae allegantes, se promptos esse non solum ad sex, sed etiam ad 12 dandum religiosos sui Ordinis, qui etiam hispanam linguam callerent, pro Sanctuarii custodia.

(1) Quaestio haec relata fuit Vol. XXV, 232.

Disceptatio Synoptica

PETITIO EPISCOPI VIDETUR EXCIPIENDA. Episcopus Maioricensis praemisso, quod bonum Sanctuarii, et voluntas adimplendi onera fundatorum, et non propositum huic vel illi ordini favendi, fuit causa movens ad obtinendam facultatem dandi custodiam Sanctuarii Fr. Carmelitis, contendit liberum fuisse utendi obtenta licentia, nec ullum pactum seu conventionem inter ipsum et Carmelitas intercessisse, sed ad summum simplicem praeliminarem tractatum. Subdit dein, graves exortas fuisse causas, quae ipsum a facta propositione revocarunt et impulerunt ad praxim eam non ponendam: siquidem vix notitia divulgata est, quod Sanctuarii custodia Carmelitis esset tradenda, magna oppositio in populo et in clero dioecesano erupit, quae etiam crevit ope publicarum ephemeridum : Episcopus rem examinavit utrum haec contrarietas ab hominibus perversis oriretur, vel aliquod haberet fundamentum : et detectum est id contingere ob contemptum, in quem inciderat Ordo praefatus in sua dioecesi, ope religiosorum qui saecularizati, eorum prava agendi ratione Ordinem ipsum dedecore afficiebant. Quare prudens visum est, habito etiam super hac re consilio appositae creatae Commissionis, a propositione relate ad Carmelitas recedere et Sanctuarii administrationem una cum Collegio tradere presbyteris Congñis SS. Cordium Iesu et Mariae, quae utpote dioecesana institutio, melius fini fundationis, tantum vocantis dioecesanos respondebat.

Deinde pro Carmelitarum exclusione etiam alia suppetebat ratio iuxta Episcopum; nam cum praefata Sanctuarii fundatio et Collegii esset statuta pro presbyteris dioecesis, Carmelitae, utpote extranei, vocari non poterant absque iuris laesione ad usufruendum eius reditibus; idque eo magis postquam obtentum rescriptum diei 16 Decembris 1890 erat munitum clausula - *dummodo ius alteri quaesitum non laedatur.*

Ad hoc accedit quod, praeter difficultatem addiscendae dialectus vigentis in insula Maioricensi, cuius tamen cogni-

tio est indispensabilis propter ministerium praedicationis et confessionum, positio autonoma et independens Fr. Carmelitarum, utpote sub regulis Ordinis, conciliari non posset cum organico et conditionibus quas Episcopus ad suam iurisdictionem in praefato Sanctuario et Collegio servandam imponere deberet ; hinc Carmelitarum permanentia evaderet impossibilis.

Tandem Episcopus observat quod bonorum Sanctuarii indemanialo pro nunc est suspensa: verum si ipsorum administratio cederet in manus Carmelitarum, cum hoc ut supra visum est, pugnet cum fine fundationis, certa ansa praeberetur, ut haec bona indemaniationi subicerentur, et sic cum totali Sanctuarii ruina haec transirent in fìsci manus. Quare Episcopus sperat suas preces benigne esse excepturas, et precariam immissionem in administrationem Sanctuarii presbyterorum Congñis SS. Cordium Iesu et Mariae definitivam evasuram, super quo Gubernii consensus iam est praehabitus.

PETITIO EPISCOPI VIDETUR REIICIENDA. E contra Procurator generalis Carmelitarum Calceatorum , Episcopi petitionem respuendam esse totis viribus contendit. Prae primis ipse observat, non sine admiratione causam motivam precum Episcopum substantialiter mutasse : dum enim primum idem instabat pro exclusione Carmelitarum a Sanctuario ob defectum religiosorum ex parte Ordinis, nunc, revoluto pallio, convolat ad aliam diversam causam, nempe ad oppositionem et contrarietatem populi et Cleri dioecesis, derivatam ex contemptu religiosorum Carmelitarum in illa regione. Procurator Generalis ait, hoc sibi incomprehensible videri, si enim haec causa reapse subsisteret, prius ab Episcopo erat adducenda, nec fas est admittere ab ipso fuisse antecedenter ignoratam.

Insuper, notato quod ordo respondere non tenetur de excessibus et culpis, quas committunt religiosi secularizati extra claustrum, utpote non amplius degentes sub Ordinis disciplina, Procurator réfutât hodiernam Episcopi praetentionem, utpote contrariam conventioni initae inter Carmelitas et

Episcopum ipsum, cui cum sanctio ecclesiastica et civilis accesserit, omnino in suo robore permanere debet: non adfuit, pergit Procurator Gñlis, scripta et formalis promissio, sed implicitam promissionem tradendi administrationem Sanctuarii Fr. Carmelitis intercessisse inter partes, profecto evincunt adhibiti ab Episcopo labores ad obtinendam relativam licentiam sive a S. Sede, sive a Gubernio : proinde clamat ab ipsa recedi non posse invitis Carmelitis.

Hae sunt rationes ab utraque parte adductae pro reiectione vel acceptatione petitionis. Interim pro maiori intelligentia quaestionis iuverit haeic referre laciniam, relatam etiam in folio officioso Rmi advoc. Summistae, Epistolae scriptae a Vic. Gñli Epi Maioricensis S. Congni Episcop. et Regul. sub die 31 Iulii 1891, quando ad trutinam erat revocanda supra relata causa *M a io ricen. Decreti.*

« Dolens ac vehementer angens Episcopus quod omnes labores inutiles in hoc negotio evaderent, ratusque fratrum Carmelitarum Communitatem posse tanto malo ad interim occurrere, quantum iura sinerent et absque praeiudicio iuris quaesiti, huius rei gratia assequendae, preces porrexit S. C. Ep~ et Reg., in quibus post facti expositionem cum omnibus suis adiunctis exponebat opportunam facultatem erigendi Regularium Communitatem, integra manente Paroecia. Quare S. C. Ep. et Reg. precibus annuit dummodo ius quaesitum nemini laederetur. Sed insano odio furens Parochus nullum non omisit laborem in hoc evertendo ordine cum adhuc in vivis esset; illique adscribendum quod viabilis factus non fuerit.

« Etenim praeter animorum sublevationem ob falsos rumores ab ipso sparsos, ipsemet, etsi sub larva, non erubuit ad ephemerides impias et de ortodoxia suspectas confugere, ut quotidianis scriptis ad nauseam repeteret probra et calumnias adversus Regularium Communitates et Episcopum Maiori censem, qui Carmelitanos instituere pertentabat in Sanctuario B. M. V. de Lluch. Adeo excitati sunt liberalium animi, ut merito praesumi posset, ne aliqua praemerentur vexatione Religiosi. Et ideo a proposito resilire pro tunc

prudenter existimatum est. Parochum auctorem et unicum promotorem huius iniquissimi belli fuisse non per se, litteris expertem, sed per impios administros, pretio convento, pro certo et indubitato habet Episcopus et tuto affirmare potest non sine maximo animi angore ».

Hisce elucubratis, suppositum fuit

Dubium

An et quomodo Episcopus Maioricensis teneatur tradere custodiam et Administrationem Sanctuarii et Collegii B. M. Virginis de Lluch pp. Carmelitis Calceatis in casu?

RESOLUTIO. S. Congregatio Epis, et Regul., quaestione ad trutinam vocata, sub die 8 Maii 1896, rescripsit — *Affirmative.*

Ex QUIBUS COLLIGES: I. Pacta esse servanda, nihil enim tam fidei congruit humanae, quam ea quae placuerunt custodire. *Leg. non minorem Cod. de transad. I. i. ff. de pactis.*

II. Ut pacta obligent non esse necessariam scripturam, nam pactum cum scriptura, et sine scriptura est eiusdem efficaciae. *Leg. Pactum 17 Cod. de pactis.*

III. In themate scripta et formalis conventio inter Episcopum Maioricensem et pp. Carmelitas reapse non intercesserat, attamen enarratae circumstantiae clare edocebant, Episcopum ex parte sua fecisse promissionem, et Carmelitas hanc acceptavisse. Unde Episcopus Maioricensis a data fide recedere non poterat, invita rationabiliter altera parte. Quare Carmelitae iuste reclamabant custodiam et administrationem Sanctuarii et Collegii B. M. Virginis de Lluch.

AQUÉN, SEU LUCIONEN.

INDEMNITATIS

Die 8 Maii 1896.

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Augustus Cailleton, in religione P. Laurentius, dioecesis Lucionensis die 5 Feb. 1888 nomen dedit Ordini Praemonstratensium in Abbatia S. Michaelis de Frigolet Dioecesis aquensis in Gallia.

Expleto novitiatus anno, quamvis per semestre interrupto, die 19 Martii 1889 vota simplicia et perpetua nuncupavit, quam professionem postea expleto triennio, iuxta Ordinis constitutiones, die 8 Maii 1892 renovavit. Elapso vix biennio cum dimidio ab hac secunda professione, ex decreto Rmi Archiepiscopi Aquensis praefatae Abbatiae Visitatoris Apostolici, sub die 26 Octobris 1894, ab Ordine dimissus fuit. Contra hoc decretum ad S. Congregationem EE. et RR. p. Laurentius appellationem interposuit petens, ut sua professio ceu valida haberetur, vel sin minus, si sua secunda professio uti invalida haberetur propter nonnullas omissas solemnitates, haec sanaretur in radice. At eius instantia reiecta fuit per rescriptum diei 14 Maii 1895-*Negative ad utrumque.*

In hoc frustratus P. Laurentius aliam viam inivit apud eamdem Congregationem, nempe instituit actionem damnorum ad hoc, ut ab Ordine indemnis redderetur de damnis sibi obventis ob hanc dimissionem.

Disceptatio Synoptica

IURA P. LAURENTII. P. Laurentius suam allegationem in duas partes dispescit, in quarum prima enumerat damna sibi derivata ab Ordine ob suam dimissionem, in altera ostendere satagit de his Ordinem respondere debere. Quoad primum, ait, unum ex his damnis esse suam malam valetudinem et infirmitates, quibus laborat. Ad hunc statum vero redactum esse ob suam commorationem sub coelo frigido et húmido

in Anglia, ubi degere coactus fuit novitiatus tempore, probat tum fide medica, tum epistola sibi scripta a P. Ambrosio sub die 26 Augusti 1888.

Sed ad damnum physicum alterum non minus grave accedit nempe damnum oeconomicum, pergit P. Laurentius: is post septem annos in Religione transactos dimissus, nunc versatur in medio Cleri saecularis, stationem seu positionem sibi comparare non valens, ob provectam aetatem, cuius causa ne adscribi quidem potest capsae dioecesanae subsidii, et omnibus mediis ad honeste vivendum est destitutus: quod damnum profecto evitasset, si ipse septennio continuo in Ordine non remansisset. Digrediens deinde ad secundam partem orator seu P. Laurentius contendit, causam horum damnorum fuisse ordinem Praemonstratensium, ideoque ab ipso esse reparanda. Sane prae primis, ipse, observat, contractae infirmitates originem habuerunt ab eius residentia in locis insalubribus in Anglia, quo ire iussus fuit ab Ordine. Eius misera conditio in qua nunc versatur, et sibi facta ob dimissionem ab Ordine, tota repetenda est a nullitate primae et secundae professionis, et hanc nullitatem actuum superioribus Ordinis unice et exclusive esse tribuendam ita probat. Re quidem vera:

I. Nuncupatio votorum simplicium ceu nulla retenta est, quia annus Novitiatus fuit interruptus, primo petendo Abbatiam de Etoile et dein Angliam in qualitate Cappellani Imperatricis. Has transmigrationes ipse peregit assentiente suo Superiore generali, imo iubente, ut nonnullis evincit allatis ipsius uteris, et quamvis nonnullae observationes subiectae fuissent circa praefatam interruptionem. Sed insuper ipse fuit admissus ad professionem unanimi suffragio ab Ordine, quamvis huic eius absentia nota fuisset et hinc etiam Novitiatus interruptio.

Idem 2. adurget quoad renovatae professionis nullitatem, de qua ipse Ordinem vocat in culpam. Haec siquidem nullitas ab eo ortum habuit quod professionis renovatio emissa non fuit; iuxta Constitutionum praescriptum, *coram Con-*

venivi, sed facta fuit ab eo absente, subscribendo formulae, ab Ordinis Superiore sibi traditae. Cum hanc irregularitatem ipse percepisset, de ea monuit Ordinem, sed ipsius Superiores rescripserunt hanc subscriptam declarationem per se sufficere. Cum itaque ex relatis pateat nullitatem primae et secundae professionis unice Ordini imputandam venire, necessario sequitur iuxta P. Laurentium, etiam damna ob dimissionem ex praefato titulo iussam, esse reparanda ab Ordine.

IURA ORDINIS. Aliter vero sentit huius Procurator generalis qui allata a P. Laurentio argumenta totis reiicit viribus. Sane quoad praetensa damna ex capite contractae infirmitatis, ipse adnotat, quod dicta infirmitas quae iuxta fidem medicam, sub die 20 Feb. 1895, dicitur contracta ob frigidum et humidum aerem, haberi debet omnino uti antecedens profectui seu transmigrationi P. Laurentii in Angliam, cum ipse in hac regione residentiam fixerit mensibus aestivis, nempe a Maio ad Septembrem et quidem in coenobio saluberrimo. Sed ulterius Procurator generalis hanc infirmitatem denegat, quia P. Laurentius a suo reditu usque ad diem dimissionis continuo operam navavit sacro ministerio, dando exercitia, missiones, quin ullam querelam super praedicta infirmitate moveret, imo retinens sibi pinguia percepta lucra: tandem negat, P. Laurentium ivisse in Angliam iussu Superiorum Ordinis: hoc positum fuit in eius libero arbitrio, et ipse,satius duxit in eum locum se conferre.

Quoad vero aliud caput, nempe damna oeconomica, dato quod reapse existant, P. Generalis reponit quod P. Laurentio sunt imputanda. Siquidem ipse fuit dimissus ab Ordine et Superiores sese opposuerunt sanationi in radice emissae ab eo professionis, non propter ab eo contractam infirmitatem, aut ob irregularitates in professione intervenías, sed unice ob pravam ipsius agendi rationem et quia omnino evaserat refractarius iussionibus suorum legitimorum Superiorum.

Hisce utrimque praehabitis, suppositum fuit enodandum sequens

Dubium

An et quomodo locus sit re fectioni damnorum in casu?

RESOLUTIO. S. Congr. Episc, et Regul. re discussa sub die 8 Maii 1896, respondendum censuit: *Negative in omnibus.*

NOVARIEN.

EXECUTIONIS SENTENTIAE

Die 8 Maii i896.

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos ex-religiosus Mathaeus Fazio ad praesentationem patronorum nominatus ad paroeciam S. Victoris Insulae Superioris in Verbano Lacu et ad eam institutus uteris episcopalibus Curiae Novariensis sub die 20 Martii 1888, postquam eam ecclesiam per sex annos rexisset, sententia declaratoria praefatae Curiae sub die 10 Decembris 1894 renunciatus est, decidisse ab illius paroeciae administratione, ipsamque esse vacantem. Appellatione interposita ab hac sententia ad Congñem EE. et RR. Emi Patres in generalibus comitiis sub die 23 Augusti 1895 sententiam confirmarunt, sed iuxta modum, qui modus erat. — *Episcopus non procedat ad enunciati sacerdotis dimissionum nisi prius aliter eum congruae providerit* (1).

Non elapsis adhuc duobus mensibus a data decisione, ex-parochus Fazio apud S. Congñem conquestus est, se adhuc congrue non esse provisum ab Episc. Novariensi. Epus, vero in suis uteris responsivis sub die 26 Novemb. 1895 S. Congr. datis, querelas ex-parochi Fazio dicit nullo niti fundamento. Siquidem sacerdos Fazio usque ab initio dicti anni munere Cappellani fungitur ad pagum *Cascine Barbavara* paroeciae Graveilona Lomellina: pro quo munere fruitur nitido annuo

(1) Confer Vol. XXVIII, 419.

stipendio libell. 450, non comprehensis libera missarum applicatione et incertis. In executionem supradictae sententiae Episcopus, ut compleret sacerdotis Fazio positionem, ei obtulit ecclesiasticum Titulum libell, annuarum 240. Iam vero, pergit Episcopus, si ista positio creata sacerdoti Fazio conferatur cum illa qua fruebatur quando erat parochus S. Victoris, apparet ipsum lucratimi fuisse, cum ipse ceu parochus haberet tantum lib. 390 reditus publici, novissime ob novam notam taxam imminuti, et 250 libell, a Municipio locali, gravatas oneribus missarum et fere nulla incerta. Sacerdos Fazio optaret habere paroeciam; sed haec ei concedi non potest, ait Episcopus, quia experientia docet, ipsum in officio pastorali non bene se gessisse.

His relatis Uteris, ad propositum

Dubium

An congrua habenda sit provisio ab Episcopo proposita in casu?

RESOLUTIO. S. Cong. EE. et Regul. re discussa sub die 8 Maii 1896 rescripsit: - *Affirmative.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

ORIOLEN. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Sor. ioannae Guillen Monialis Professae Ordinis Eremitarum S. Augustini in Monasterio S. Sebastiani Civitatis Oriolen.

Processus Ordinarius in Civitate Oriolensi anno 1616 confectus super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere Servae Dei Ioannae Guillen, provido divinae sapientiae consilio postremis hisce temporibus e tenebris erutus est. Qui Romam delatus et Sacrae Rituum Congregationi exhibitus una cum novae Inquisitionis actis anno 1888 illic adornatis, hanc Dei Famulam ad Catholicae Hispaniae decus et Ordinis Augustinia-

nensis splendorem, veluti novum astrum protulit. Ioanna, patria Oriolensis natione Hispana, parentibus Honorato et Anna Remires de Espejo, opibus et virtute praestantibus, anno 1575 quinto Kalendas Ianuarias orta, sacro baptismi lavacro in Parochiali Ecclesia S. Iacobi abluta fuit. Adhuc infans in Iesum patientem et vulneratum oculis animoque ferebatur eiusque imaginem pectori orique admovens suavissime osculabatur. Puella a puerilibus abstinens, quum solitariam ageret vitam, religiosae praelucebat perfectioni. Ad Synaxim admissa ac frequenter accedens, haud multo post, confessario probante, virginitatem Deo devovit, pietate et moribus adeo praeclare se gerens, ut matresfamilias puellis suis Ioannam velut angelis aemulam indigitarent. Superato post quinquennium certamine quod a domesticis et praecipue a matre strenue sustinuerat, ex ipsius Episcopi Oriolensis consilio, anno 1597, die 15 Maii, Asceterium Augustinianense S. Sebastiani ingressa est, ubi, suscepto religionis habitu atque anno tyrocinii rite expleto, solemnia vota nuncupavit. Puellis novitiis praeposita regularum observantiam et religiosae vitae coluit perfectionem, una cum illis coram Deo iugiter ambulans. Neque solum puellae, sed ipsae moniales aetate provectae eius disciplinae se subiecerunt, quo factum, ut mystica illa vinea uberrimos ediderit fructus. Tandem quum unum supra trigesimum aetatis annum duceret, Ioanna, doloribus ac infirmitatibus patientissime toleratis, in ipso S. Sebastiani Monasterio, quo eius mater Deo in bonis operibus serviens se receperat, die, quam predixerat, secunda Iunii anno 1607 brevem hanc vitam cum perenni ac beata commutavit. Oriolensibus civibus ad eius exequias confluentibus, uti memoriae proditum est, Deus pluribus et miris modis ostendit acceptissimam sibi fuisse animam Famulae suae Ioannae, cuius exuviae, servato Catholicae Ecclesiae ritu, in ipso S. Sebastiani Asceterio cum magna populi veneratione et frequentia depositae fuerunt. Hinc obtigit, ut paucos post annos, universa civitate Oriolensi postulante, praedictus Processus Ordinarius, nuper cognitus, adornatus fuerit; cui altera recentior inquisitio accessit, ut fama sanctimoniae eiusdem Servae Dei ad haec usque tempora perdurans et crebrescens, eniteret. Hac duplici Ordinaria Inquisitione ad Sacram Rituum Congregationem delata, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII benigne indulsit, ut Dubium de signatura Commissionis Introductionis

Causae eiusdem Famulae Dei agi posset in Ordinariis Sacrae ipsius Congregationis Comitiis absque interventu et voto Consultorum. Quare instante Rmo P. Sebastiano Martinelli Priore et Postulatore Generali Ordinis Eremitarum S. Augustini, attentisque postulatoriis litteris Emorum ac Rmorum Archiepiscoporum Caesaraugustani et Firmani nec non plurium Sacrorum Antistitum aliorumque virorum ecclesiastica dignitate praestantium, a me infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto et huiusce Causae Relatore, in Ordinario Sacrae eiusdem Congregationis Coetu, subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens Dubium discutiendum propositum fuit: *«An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?»* Et Sacra ipsa Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, et audito voce et scripto R. P. D. Gustavo Persiani, Sanctae Fidei Promotoris munus gerente, rescribendum censuit : *« Affirmative, seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo Domino placuerit».* Die 19 Maii 1896.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per meipsum infrascriptum Cardinalem relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae Venerabilis Servae Dei Ioannae Guillen, praedictae, die 2 Iunii eodem anno.

C CARD. ALOISI-MASELLA S. *R. C Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI 5. *R. C. Secretarius.*

AURELIANEN. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Ioannae De Arc Virginis, Aurelianensis Puellae nuncupatae.

Instante Rmo D. Francisco Xaverio Hertzog e Congregatione Sancti Sulpitii, Postulatore Causae Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Ioannae de Arc, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi Episcopus Albanen, et eiusdem Causae Ponens, in Ordinario Sacrae Rituum Congregationis Coetu Rotali, subsignata die ad Vaticanum habito, iuxta peculiares Sanctissimi Domini Nostri LEONIS PAPAE XIII dispositiones, annis 1878 et 1895 editas, sequens dubium discutiendum

proposuit, nimirum : « *An sententiae a Rmo Episcopo Aurelianensi atque a iudice subdelegato a Rmo Episcopo Sancti Deodati latae super cultu Ven. Servae Dei Ioannae de Arc non exhibito, seu super paritione Decretis sa. me. Urbani Papae VIII sint confirmandae in casu et ad effectum de quo agitur?* » — Sacra porro eadem Congregatio, omnibus accurato examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Gustavo Persiani, Sanctae Fidei Promotoris munere fungente, rescribendum censuit: « *Satis paritum Decretis sa. me. Urbani VIII in casu, et ad mentem* ». Die v Maii MDCCCXCVI.

Quibus omnibus Sactissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII per me subscriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit, die septima iisdem mense et anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S. *R.* C. *Praefectus.*

L. # S.

ALOISIUS TRIPEPI, *S. R. C. Secretarius.*

BOBIEN. seu PLACENTINA et IANUEN. Beatificationis et Canonizationis Venerabilis Servi Dei Antonii Mariae Gianelli Episcopi Bobiensis, Fundatoris Congregationis Religiosarum Sororum Filiarum Mariae SS. ab Horto nuncupatarum.

Antonius Maria Gianelli, honesto genere natus die 12 Aprilis 1789 in humili pago Cerreto, Ianuensis Dioeceseos, sacri fontis undis lustratus, Angelo simili, Angelus appellabatur. Aetate succrescens, ingenii suavitate, obedientiae consuetudine ac vitae innocentia pueritiam cohonestabat. Hortatu parochi, atque ipso praeceptore, ad studia accitus, adeo in litteris profecit, ut scholae princeps meruerit nuncupare Curis et impensis piae mulieris Rebizzo Genuam adiit, ibique et in privata domo et inter alumnos Seminarii ingenium excoluit, et ad sacras conciones praecipue se aptum ostendit, quum adhuc adolescentulus ad populum eas haberet sive in plateis sive in templis. Ecclesiasticis Ordinibus per gradus initiatus et die 3 Martii anno 1812 Sacerdotio auctus, tanta pollebat aestimatione, ut Emus Spina, Archiepiscopus Ianuensis, eum in urbano templo curionem et in Seminario dioecesano rectorem ac deinceps studiis et disciplinae Praefectum renuntiaverit. Iussu eiusdem Archiepiscopi Clavarum concessit, et ad S. Ioannis Baptistae Archipresbyter ele-

ctus Seminarium alumnis pauperibus instituendis, stipe a Curialibus collata, erigendum curavit. Ibidem anno 1829 religiosam S. Mariae ab Horto instituit Congregationem, quae hodie in Europam et Americam Australem diffusa, atque puellis erudiendis, aegrotisque inserviendis addicta, in populorum bonum perspicue floret. Anno-1838 Bobiensibus Episcopus datus ac die 6 Maii consecratus, praevolante eius ingenii ac virtutis fama, dioecesim gubernandam suscepit. Boni ac supremi Pastoris referens imaginem, multiplici bonorum operum industria gregem suum vigilanter custodiens, ad saluberrima pascua deduxit, suumque zelum intra et extra dioecesim in sacris expeditionibus agendis una cum sodalibus e coetu Sacerdotum evangelizantium prodidit. Tandem anno 1846 una et altera vice inopinato apoplexis morbo correptus Placentiae, quam in urbem valetudinis causa ex medici praescripto sese contulerat, Sacramentis Ecclesiae roboratus, die 8 Iunii, Festo Ssiîiae Trinitatis, in osculo Domini obiit. Unica tantum die Servi Dei corpus Placentiae mansit: inde Bobium delatum, magna cleri populique frequentia, exequiis ac sepulturae adstante, in conditorio Episcoporum Bobiensium penes Cathedralem Ecclesiam depositum fuit. Interim sanctitatis fama, quam Dei Servus adhuc vivens sibi adeptus fuerat, post eius obitum adeo increvit, ut Processus Ordinarii in Curiis Bobiensi, Piacentina et Ianuensi super eadem fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum confecti fuerint. Quibus rite peractis et ad Sacram Rituum Congregationem adlatis, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII per Decreta 9 Iunii 1893 et 10 Martii 1894 edita, benigne indulsit, ut Dubium de signanda Commissione Introductionis Causae praefati Servi Dei in Ordinario ipsius Sacrae Congregationis Coetu agi posset absque interventu et voto Consultorum, etiamsi nondum defluxerit decennium a regula generali constitutum. Hinc, instante Rmo Dno Augustino Dondero huius Causae Postulatore, nomine etiam Rmi Archiepiscopi Ianuensis et Rmorum Episcoporum Bobiensis et Piacentini, attentisque litteris postulatoriis plurium Sacrorum Antistitum, Capitulorum ac Sacerdotum dignitate ac pietate illustrium, nec non Congregationis religiosarum filiarum S. Mariae ab Horto, Emus et Rmus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi Episcopus Albanen, et Causae Relator in Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens Dubium discu-

tiendum proposuit, nimirum : « *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum, de quo agitur ?* » Et Sacra eadem Congregatio, omnibus mature perpensis et audito R. P. D. Gustavo Persiani promotoris Sanctae Fidei munere fungente, rescribendum censuit : « *Affirmative, seu, signandam esse Commissionem, si Sanctissimo Domino placuerit; praevia, quatenus opus sit, sanatione actorum, quae Bobiensi in Curia instituta sunt* ». Die *Í9* Maii 1896.

Facta postmodum de his Ssmo Domino Nostro Leoni Papae XIII per me infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis probavit, sanationem quod ad Processum attinet Bobiensem, impertiens, et propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae praedicti venerabilis servi Dei Antonii Mariae Gianelli, Episcopi Bobiensis, die 2 Iunii eodem anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. B. C Praefectus.*

L. % S.

ALOISIUS TRIPEPI S. *R. C. Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

Feria VI, die 21 Augusti 1896.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Rever endissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 21 Augusti 1896 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum r et er ri mandavit et mandat quae sequuntur Opera :

J. MICHELET, LE PRÊTRE - LES JÉSUITES. — Édition définitive, revue et corrigée. - Paris. Ernest Flammarion, éditeur.

JULES BOIS, LE SATANISME ET LA MAGIE — Paris, Léon Chailley, éditeur, 1896,

MYTHES, CULTES ET RELIGION *par* A. LANG, *traduit par Léon Marillier, maitre de conférences à V École des Hautes-Études, avec la collaboration de A. Dirr, élève de V École des Hautes Études, précédé d'une Introduction par Léon Marillier.* — Paris, Ancienne Librairie Germer BailMère et C.ie Felix Alean éditeur; 108, boulevard Saint Germain, 1896: vol. in 8° g. pag. 683.

EMILE ZOLA. — *Rome.* Édition complète en un Volume, — Paris 1896. G. Charpentier et E. Fasquelle, éditeurs.

AUCTOR OPERIS: — *Los Jesuítas de puertas adentro; o un barrida hacia afuera en la Compañía de Jésus* — Prohib. Decr. 17 Aprilis 1896 — laudabiliter se subiecit et opus reproba vit.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. L C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 22 Augusti 1896.

f SERAPHINUS CARD. VANNUTELLI
EPISCOPUS TUSCULANTJS PRAEFECTUS.

Fr. MARCOLINUS CICOGNANI, PROC. GEN. O. P. a Secretis.

Loco v£ Sigilli.

Die 24 Augusti 1896. Ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia *Mag. Cur s.*

APPENDIX L

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST.; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

S. C. S. Officii 9 Dec. 1784 — Vic. Apost. Fokien.
Dubia quoad contractum emptionis venditionis.

Praxis est valde usitata in hoc Imperio, quod mutuantes, ad securitatem mutui et usurarum, obligant mutuatarios ad assignandam et determinandam aliquam possessionem, fundum, aut agrum cum pacto quod non solvendo usuras, quando perveniant simul cum capitali mutuato ad iustum agri aut fundi pretium, celebretur contractus emptionis venditionis (vel ipsimet mutuum petentes ad illud facilius consequendum aliquam possessionem determinant cum supradicto pacto), et de facto, verificata non solutione usurarum, quae cum capitali mutuato adaequent iustum possessionis pretium, formant scripturam emptionis venditionis, computando capitale mutuo datum usuris non solutis pro iusto agri aut fundi pretio, et hoc modo usurarius capit possessionem agri aut fundi.

Contractus iste in hoc Imperio non videtur reprobatas, siquidem mandarini in suis tribunalibus, mota lite circa solutionem lucri ex mutuo, decidunt solvendas esse usuras non excedentes capitale; et si excedunt, determinant nil amplius solvendum quam capitale duplicatum. Unde videtur quod si capitale duplicatum adaequat iustum pretium agri vel fundi, reputantur talis contractus a mandarinis validus et licitus; et ab omnibus sinensibus ita reputatur: unde manent in pacifica possessione omnes qui tali modo acquisiverunt aliquem fundum aut agrum, quin aliquis audeat movere litem contra possessores per contractum modo praefato celebratum.

Certum est quod est error et ignorantia iuris naturalis reputare licitum talem contractum, sed dubitari potest an sit validus, ita ut per talem contractum acquiratur dominium rei traditae, nec ne. Ex una parte videtur quod non, quia in usura soluta dominium non transfertur, si id, quod per usuram extortum est, sit res, cuius usus non est consumptio, ut tenet D. Thomas. Sed ex alia parte cum in casu praesenti totus ager vel fundus non sit acquisitus ex usura, si quidem

non totum pretium est usura, intrat enim in pretium etiam capitale mutuatum, quod forte erit maior pars pretii; videtur quod, quamvis talis emptio et venditio sit iniusta, erit tamen valida, dummodo eius iniustitia non sit infra dimidium iusti pretii.

Unde interrogo, an propter istam rationem et propter leges huius Imperii, in quo mandarini approbant talem contractum, talis emptio venditio sit valida, ita ut usurarius acquirat dominium talis fundi aut agri? et ita ut quamvis teneatur restituere usuras, non tamen fructus ex agro aut fundo perceptos, quasi perceptos ex suo fundo, supra quem habet dominium? — Ex resolutione huius dubii dependet decisio alterius dubii, nempe an si aliquis postea a tali usurario emat, iustum pretium solvendo, talem agrum aut fundum, iste emptor acquirat legitimum dominium. Si enim primus contractus emptionis venditionis, ut dixi, a mandarinis reputatur validus, quanto magis iste secundus reputabitur validus? Si enim isti secundi emptores non acquirunt dominium, multi manebunt illaqueati sine ulla defensione suae indemnitatis ; quia nullus eis restat recursus ad recuperandum pretium solutum. Si enim recurrunt ad officium Iudicis, in vanum erit, litem enim perdent in iudicio mandarinorum. Quid ergo dicendum de istis secundis emptionibus? An molestan debeant pro usuris et fructibus restituendis de agro et fundo iusto pretio empto? Unde quaeritur:

I. Quomodo se gerere debeat missionarius, si aliquis infidelis habens agros aut fundos praefato modo per usuras acquisitus, petat Baptismum ; aut aliquis fidelis petat Confessionem : an debeat eos obligare non solum[1] ad restitutionem usurarum, sed etiam fructuum perceptorum, ut possint admitti ad Baptismum, vel Confessionem?

II. Quomodo se gerere debeat missionarius cum infidelibus petentibus Baptismum, aut fidelibus petentibus Confessionem, qui emerunt agros aut fundos praefato modo ab usurariis acquisitus : an molestandi sint super illis bonis venditis ab usurariis, ut ea restituant cum fructibus perceptis, et obligandi sint ad restitutionem faciendam sub negatione Baptismi vel Confessionis?

R. Respondendum iuxta Instructionem a Suamet Sanctitate exarandam, cuius hic tenor est :

Quoad 1 dubium. Contractum mutui cum conventione usurarum ac assignatione fundi pro assecuratione sortis et fenoris, adiecto pacto quod, non solutis usuris, si earum summa iuncta summae mutuatae attigerit iustum fundi valorem, mutuatarius teneatur eum vendere mutuanti, secundum ea quae proponuntur, et quatenus nullus intervenerit legitimus titulus exigendi aliquid ultra sortem, esse usurarium et illi-

citum, ac proinde, quoties fundi venditio traditioque secuta non fuerit, mutuantem petere tantum posse restitutionem sortis, imputatis in eam usuris exactis. Quoties vero fundi venditio traditioque secuta fuerit, si fundus apud eum maneat, teneri mutuantem restituere fundum ipsum et fructus omnes ex eo perceptos, quamvis consumptus, salvis tantummodo expensis et lucris industrialibus, et salva retentione seu repetitione summae mutuatae. Si fundus ab eo distractus fuerit, nec commode recuperan possit, teneri loco fundi restituere pretium, et in utroque casu restitutionem faciendam esse personis, quibus de iure competit; his autem non extantibus, Ecclesiae ut res et pecunias restituías in pios usus convertat: declarando, quod si mutuans contractum huiusmodi inierit tempore, quo in tenebris infidelitatis caecutiebat, non extantibus personis, quibus de iure facienda est restitutio, relinquatur penes eum tanquam in pium usum quidquid restituere deberet, prout in favorem suscepti Baptismatis sancivit Paulus III in sua Constitutione *Cupientes*, edita die 21 Martii 1542, et confirmata a s. m. Clemente XI in sua Constitutione *Propagandae*, edita die 21 Martii an. 1704.

Quoad 2. dubium. Secundus emptores, quoties bona fide et iusto emptionis titulo, fundum a mutuante acquisierint, vel illum tanto tempore possederint, quantum a legibus requiritur ad praescriptionem inducendam, non teneri ad restitutionem fundi et fructuum, quamvis, post legitime completam praescriptionem, cognoscant fundum a mutuante vendi nequivisse: cum satis sit, *ut qui praescribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae*, ut ait Lucius III. in capite *Quoniam*, 20. *De praescriptionibus.* Quoties vero emerint mala fide, vel, currente praescriptionis tempore, noverint fundum a mutuante non potuisse vendi, teneri restituere a die malae fidei fundum et fructus quamvis consumptos, salvis expensis et lucris mere industrialibus, ita tamen ut, si fundum acquisiverint ante susceptum Baptismum et ignotae sint personae, quibus facienda sit restitutio, res restituendae penes eos, tamquam in usum pium, relinquantur, ad formam praedictarum Constitutionum Apostolicarum.

Iuxta praemissa, ea qua decet sedulitate et prudentia sese gerere debent missionarii in Imperio Sinai um commorantes, ita ut, quatenus mutuans et possessores malae fidei, admoniti de eorum respectiva obligatione, iniuste renuant eam adimplere cum possint, admitti ab eis nequeant, si infideles sint, ad Baptismum : si fideles, ad alia Sacramenta.

S. C. S. Officii 9 Maii 1821. — Kentuky. — Dubia quoad usuras.

1. Estne usura omni iuri etiam naturae contraria?

2. Quomodo se geret confessarius qui.... usuras (quasdam) putans prohibitas, mandatum acciperet ab Episcopo nullam in publico mentionem faciendi eius materiae?

R. Ad d. Affirmative.

Ad 2. Quoad doctrinam Ecclesiae quod ex mutuo vi mutui non potest percipi usura aliqua illam silentio praeteriri non posse. Quoad decisionem casuum particularium in quibus vel ex alio titulo diverso a mutuo, vel vi contractus alterius indolis proventus legitime percipi asseritur, parere Episcopo posse et debere.

Instr. S. C. S- Officii 4 Febr. 1827. — Dubia quoad usuras.

In Congr. Gen... coram SSmo D. N. Leone PP. XII fer. v. 20 Iulii an. 1826 proposita fuere infrascripta dubia transmissa S. Congregationi de Prop. Fide ab adm. Rev. P. Paschali a Surrento Yice-Praef. Hospitii Terrae Sanctae Memphis, quae dubia ita se habent :

1 . . . .

2. Quam sententiam sequi (debet) et in usu habere cum iis qui pecuniam suam dant ad usuram exigentes 12. 18. atque etiam 24. annua scutata pro centum, cum vel sine aequivalenti assecuratione, quod satis pie posse arbitrantur?

Sanctissimus, auditis Emorum et Rmorum DD. Cardd. Gen. Inquisitorum suffragiis, iussit ut ad utrumque dubium responderetur Instructione ut sequitur :

. . . .**Quoad 2. dubium Sanctitas Sua exploratum habet, usurarium esse accipere in mutuo aliquid supra sortem immediate et praecise ratione mutui, non concurrente aliquo ex titulis tale lucrum iustum reddentibus, idest lucri cessantis, vel damni emergentis, vel periculi extrinseci (non autem intrinseci et ex natura negotiationis provenientis) amittendae sortis principalis.**

Super haec principia innixus SSmus D. N. decrevit pro regula in hac materia habenda esse decreta a S. Sede pluries emissa, sicuti illud et pro Sinarum regno, ubi pro licito habebatur semper et indiscriminatim exigere in mutuo aliquid ultra sortem, eo quod semper et ubique periculum extrinsecum sortis agnoscerent. Haec praxis tamquam imprudens atque illicita reprobatur, et tunc solum licita huiusmodi com-

pensatio dignoscitur cum periculum intervenit revera , et compensatio qualitati periculi respondet. Quod si periculum actu non interveniat, sed sit probabiliter imminens, statuitur non esse inquietandos eos, qui aliquid accipiunt hac ratione, dummodo habeatur ratio qualitatis, et probabilitatis periculi, ac servata proportione inter periculum, et id quod accipitur.

Praecipue vero Sanctitas Sua praecepit prae oculis habendam esse Encyclicam Benedicti XIV quae incipit: *Vix pervenit,* utpote quae illicitum et usurarium declarat aliquid in mutuo accipere ultra sortem praecise ratione mutui, et non concurrente aliquo ex legitimis supradictis titulis, quamvis id quod accipitur non sit excedens et nimium, sed moderatum et exiguum ; quamvis is, a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper sed dives existat; quamvis qui ipsum recipit, datam sibi mutuo summam non sit relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas.. utilissime sit impensurus. Ita ut quisquis suae conscientiae consultum velit, inquirat prius diligenter oportet vere ne cum ïnutuo iustus alius titulus, vere ne iustus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quaerit lucrum, omnis labis expers et immune reddatur : quae quidem omnia fusius explanata fuerunt ab eodem Pontifice in suo opere de Synodo Dioecesana, libro in postrema editione 10. capitibus 4. 5. 6. 7. et 8. Porro cum idem Pontifex instructionem mitti iusserit Praefecto missionariorum in Africa sub die 17 Aprilis 1749, quae ad rem opportune facit, eadem hic subiungitur ; in qua monet convenientius esse pro securitate christianorum illius loci eos adhortari, ut a similibus contractibus abstineant... Denique postremo apponitur responsio sub die 27. Septembris 1808 de mandato Pii PP. VII. fel. rec. data ad Vicarios Generales Pictavienses.

Istruzione inviata per ordine di Benedetto XIV al P. Carlo Felice Cappuccino missionario in Africa, ed indirizzata per ordine di Pio VII ai Vicarii Generali di Poitiers.

Nella Congregazione del S. Offizio tenuta nel Palazzo Apostolico avanti N. Signore sotto li 10 Aprile 1749 essendo stato riferito il quesito di V. P. sopra il danaro che cotesti schiavi cristiani sogliono dare ad interesse ai negozianti ebrei, Sua Santità si compiacque ordinare, che nel proposto ed altri simili casi si dovesse V. P. regolare a tenore della lettera circolare della medesima Santità Sua spedita ai Vescovi di Italia sotto il 1 Novembre 1745. la quale comincia « *Vix pervenit* », dalla quai lettera potrà comprendere che i contratti, nei quali si riceve il frutto del danaro dato altrui, non sono leciti, quando non hanno la loro denominazione o *di Censo* o *di Cambio vero,* sia per lettere, sia

per fiere, o di società reale, o non intervengano in essi i titoli compensativi di lucro cessante, e di danno emergente, per ragione dei quali si possa ricevere tanto frutto oltre la sorte del danaro dato, quanto bastino a ristorare il danno che soffre il datore, o a compensare il lucro che perde, e che dove mancano le dette denominazioni, o i riferiti titoli compensativi, e che per tal ragione non si possano risolvere in altro contratto che di mutuo, non è lecito in alcuna maniera ricevere, o esigere frutto del danaro dato altrui oltre il capitale e la sorte, benché il frutto sia moderato, o si esiga non da poveri ma da ricchi. Da queste regole prescritte dalla detta lettera circolare di N. Signore potrà V. S. prender norma sopra i contratti che si fanno da cotesti cristiani schiavi coi negozianti ebrei, per non permetterli assolutamente, quando non intervengano in essi le sopra riferite condizioni. E poiché tra quello che dà il danaro , e il negoziante che lo riceve con assicurare il datore o il capitalista della restituzione della sorte e •del capitale, e patteggiando con esso un frutto certo oltre la sorte data, non può intervenire vero contratto di società, però ogni guadagno o frutto che dal capitalista si esigesse oltre la sorte è ingiusto ed illecito, ancorché non intenda di dare il detto danaro in ragione di mutuo; e solamente nel caso che intervenissero i sopra riferiti titoli di compensazione, potrebbesi dal capitalista esigere oltre la sorte quel frutto •che bastasse o a compensare il danno che riceve, o il lucro che perde. E benché per ragione del pericolo non proveniente dalla natura della negoziazione, ma da altro incidente estrinseco, al qual pericolo il datore espone la sorte, possa esigere dal negoziante che la riceve un lucro proporzionato al detto pericolo, oltre la sorte medesima, nulladimeno poiché in pratica è cosa difficilissima il misurare la stima di questo pericolo, ed è cosa pericolosissima a proporzione di esso esigere il frutto, perciò si stima più conducente alla sicurezza della coscienza di questi poveri cristiani schiavi, che V. S. li esorti ad astenersi da tali contratti, ammonendoli del pericolo nel quale incorrono, e persuadendoli ad impiegare il loro danaro in altri contratti, certamente leciti, e che abbiano la loro propria denominazione, come di compra 4) vendita, o di una vera società, per mezzo dei quali, aggiunta al 4anaro la loro industria, possono riportare dallo stesso danaro onesto guadagno.

Risposta di S. E. Rma il Sigr. Card. Pacca a nome di S. Santità Pio VII ai Vicari Generali della diocesi di Poitiers f1808J.

Olmi Signori. È pervenuta al S. Padre una loro lettera dei 14 Agosto. . . . .Quanto poi ai dubbi da loro proposti nella medesima let-

tera S. Santità m'incarica di suggerirle di consultare 1' Enciclica della s. m. di Benedetto XIV del 1. Novembre 1745 che comincia *Vix pervenit,* ed insieme 1' opera del lodato Pontefice *De Synodo dioecesana, lib. 7. cap. 47.* ediz. rom. del Pagliarini dell'anno 1748, nei quali luoghi troveranno il fondamento per decidere con sicurezza qualsivoglia caso della natura di quelli da loro proposti. Ad effetto poi che oltre i dottrinali contenuti nell' anzidette pezze che sono stampate e reperibili ovunque, possano avere qualche più precisa norma, specialmente perciò che riguarda il *pericolo della sorte* se ciò sia, o non sia giusto titolo a qualche lucro nel mutuo, la medesima Santità S. ha ordinato che si compiegasse loro una copia di una istruzione che per comando del sullodato Pontefice Benedetto XIV. fu mandata ad un missionario dell'Africa, dopo una lunga consultazione tenuta avanti il Pontefice stesso due anni dopo emanata *Y* Enciclica succitata. Neil' eseguire esattamente gli ordini del S. Padre godo di poter soddisfare per questa parte ai desiderii loro prodotti sicuramente dall' impegno di additare ai fedeli di questa diocesi la sicura norma per non errare in sì delicato oggetto.

S. C. S. Officii 29 Novembr. 1854. — Vic. Ap. Cambodiae
Dubia quoad usuras apud Christifideles in Cambodia degentes.

In his regionibus iam a longo tempore multum insudarunt missionarii ad christianos sibi commissos ab omni labe usurae removendus, praesertim in casu de quo infra agitur.

Christifideles, infidelium mores et consuetudines nimis sedantes, quotidie dant mutuo pauperibus, debitis obrutis, quamdam summam pecuniae, v. g. 100 ligaturas, vel unum panem argenteum, et personam debitoris, vel uxorem, aut filios eius pro pignore debiti (quod aliunde a tertia persona saepe assecuratur) ut servos vel famulos apud se retinent. In hoc casu nihil ultra sortem percipitur, quia labor servi pro usura computatur. Porro, etsi debitor ipse, vel alius quispiam vices eius gerens, per 10 aut 20 annos et amplius famulatus fuerit, sortem integram nihilominus solvere cogitur ad libertatem obtinendam. Imo sors ipsa saepe saepius augetur, quia si quid confregit aut disperdidit apud herum in tempore servitutis, sive culpabiliter vel inculpabiliter, ipsi imputatur et sorti adiicitur. Aliquando etiam contigit sortem esse omnino exiguam, v. g., 30 vel 40 ligaturas, et in hoc casu creditor operam servi seu debitoris sibi etiam integram vindicat, sorte minime

imminuta. Quaeritur ergo utrum haec agendi ratio sit usuraria, et ut talis profliganda, sub poena restitutionis et negationis absolutionis?

Ut autem causam sub omni respectu pernoscat S. C, et suum iudicium secure proferre valeat, hic iuvat quaedam momenta prolixius exponere, ad maiorem quaestionis elucidationem.

1. Notandum est, legem civilem in Cambodia nihil praecise statuere circa usuram ex mutuo percipiendam; idcirco divitum cupiditati omnimode laxantur habenae. Iuxta consuetudinem, qui humanius tractant suos debitores usuram 60 pro 100 singulis annis exigunt plerique alii 100 vel 200 et saepe 300 et amplius pro 100 accipiunt; sed nulla est taxa legalis, et rex ipse a me interrogatus respondit, usuram stipulatam, quantumvis enormis sit, semper esse solvendam ; et revera istam regulam sequuntur tribunalia.

2. Inter eos qui in servitutem propter debita redacti sunt, quidam sunt aetate provecti, ut senes et vetulae, quorum opera vix compensare potest expensas victus aut vestitus eorum. Idem dicendum est de iunioribus a 10 annis usque ad aetatem 15 vel 16 annorum : hic non agitur de istis servis, qui ex levi labore ius nullum comparare possunt ad imminutionem debiti sui; agitur tantum de iis qui in aetate virili constituuntur. Porro isti in duas classes ordinari possunt. Quidam extra sed prope domum heri habitant, nihilque ordinarie ad victum ab eo accipiunt, nisi diebus quibus ei operam praestant. Sed plerique sub eodem tecto cum domino manent, eique semper inserviunt. Imo sub quocumque regimine servi constituuntur, si filios procréent in tempore servitutis, dominus eos ut servos suos habet et tractat, et, si libertate donentur, hoc non fit sine pretio argenti, quamvis grandiores facti sufficienter laboraverint ad compensandum sumptus infantiae suae. (Iuxta statutum legis civilis, herus potest exigere 80 ligaturas ab unoquoque filio servorum suorum in servitute procreato, cum libertatem obtinere voluerit.) — Ex supra dictis patet, servos in Cambodia servare facultatem sese redimendi, pretium emptionis hero refundendo ; attamen plures domini eos vendunt quanti possunt, non secus ac iumenta et búbalos.

3. Labor ordinarius servorum non idem est in singulis domibus, sed differt pro varia conditione vel industria heri, et ipso sexu aut viribus servorum. Si mulieres sint, coquere cibos, haurire aquam in flumine, contundere orizam , curare infantulos, emere et vendere in emporio, fila gossypii nere, suere, et telas texere, est occupatio earum ordinaria. Si masculi, praeter opera prius recensita, ipsorum est colligere et findere ligna , piscari, herbas secare, arundines in silvis ad

domum aedificandam caedere, culmum falcare et contexere ad tecta domus tegenda, remigare in cymbis et fruges advehere. Si vero dominus sit arator, quilibet servus, sive mas, sive femina, suo labore concurrit ad colendos agros, plantandas segetes, et eas metendas, advehendas et conculcandas. Imo sunt domini, lucro inhiantes, qui, opera, in domo sua deficiente, suos servos aliis conducunt, et mercedem sibi vindicant, vel eos cogunt per rivos et flumina cymbas ducere ad commercium pro ipsis agendum: hic labor, ut cultura agrorum, est gravissimus.

4. Ad praesentem quaestionem enucleandam, maxime interesset indicare qua mercede conducantur famuli in hoc Regno : inde enim pateret quantum creditores percipiant ex labore servorum suorum supra sortes pecuniae illis mutuatae. Sed haec regula nobis deest, cum nullus inveniatur famulus conductitius in Cambodia. Qui vult habere famulum solvit debitum alicuius personae, vel dat quamdam summam mutuo, et servum accipit, cuius labor, seu famulatus, pro usura computatur, ut supra dictum est. Quidam tamen missionarii famulos conducere potuerunt, ut sibi cibos pararent, quibus quotannis mercedem 40 ligaturarum solvunt. Sed hic famulatus alteri comparatus longe levior est. Aliquando etiam contingit debitores, propter dedecus servituti inflictum, alterum conducere, quem in sui locum sufficiunt, et hic mercedem 20 ligaturarum singulis mensibus accipit, quamvis opera eius non tanti valeat. Unum tantum servorum novi pretio 3 ligaturarum ad mensem conductum, sed in domo cuiusdam viduae cui operam levissimain impendebat. Summa 5 ligaturarum est pretium infimum et rarissimum,. et summa 20 ligaturarum est supremum, et tamen ordinarium. Reor ergo verum et legitimum pretium laboris servorum inter haec duo extrema esse quaerendum, habita ratione gravitatis istius laboris ut expositum est in num. 3. praecedenti.

Si deficiunt famuli conductitii in Cambodia, non tamen desunt alii operarii, ut vectores, remiges etc., qui singulis diebus praeter cibaria (quae hic sunt vilioris pretii) dimidiam ligaturam pro mercede accipiunt, seu 15 ligaturas in mense. En sola momenta mihi nota quae in medium afferri possunt ad valorem et pretium laboris servorum aestimandum. Scio laborem operariorum conductitiorum esse gravem et continuum, operam vero servorum, etsi aliquando gravem, interdum tamen remitti. Habita ergo ratione istius differentiae, si partem mitiorem secuti, et magis hero faventem, supponimus servum mercedem 6 ligaturarum singulis mensibus tantum mereri, inde sequetur herum percipere usuram 72 pro 100 quotannis ! Quis tantam oppressionem tolerare posset?

In tribunali Poenitentiae, fidem habens verbis fidelium qui se perhumanos in servos suos dictitabant, et in partem mitiorem alios inclinare studens, saepe poenitentibus meis iussi ut 20 ligaturas ei quotannis saltem remitterent, ita ut debitum 100 ligaturarum post 5 annos famulatus extingueretur. Sed vix unum aut alterum poenitentem obedire paratum inveni : omnes, consuetudini inhaerentes, récalcitrant, et cum mala fide contendunt servorum operam vix aequare expensas victus ac vestitus eorum. Si vero servorum verbis praebere aurem, et oculis nostris credere licet, pro certo tenendum est eos nunquam esse otiosos, sed quotidie a mane usque ad vesperam variis operibus addictos esse ; et hoc verum est. Si enim domini nullum lucrum ex labore servorum perciperent, non tam satagerent servos emere. Hic fere quarta pars populationis servituti mancipatur. Cum cambodiensis aliquis sua industria aut labore panem argenteum comparare potuerit, eo pretio unum aut alterum servum emere properat, ut pigritiae indulgere possit et alieno labore vivere. Quamvis dicta servitus sit impropria, cum servus sit pignus debiti et servet facultatem se redimendi, attamen saepe perpetua est. Dominus enim pro usura operam servi sibi adscribit: debitum ergo remanet integrum, et servus se eximere nequit quin aliud debitum contrahat, sese alteri domino mancipando, et sic, servitute remanente, mutantur tantum domini, nisi servus habeat parentes aut cognatos , qui ei succurrere velint et valeant. — En pessima lues cui remedium afferre intendimus, S. C. rogantes, ut Instructionem ad nos dirigere dignetur, qua innixi firmo pede inter tot et quotidianas difficultates rectam viam unanimiter tenere valeamus. Ut autem paucis verbis praecipuas difficultates, quibus irrt mur, indigitare queam, proponuntur sequentia dubia :

1. Christifideles in Cambodia degentes possuntne, tuta conscientia, operam servorum seu debitorum suorum sibi adscribere, ut superius expositum est, sorte principali minime imminuta, et hoc, secluso omni titulo extrinseco periculi sortis, damni emergentis et lucri cessantis ?

2. Si negative, quantum circiter domini imminuere debent singulis annis vel mensibus, habita ratione laboris servorum et valoris eius prout in num. 3 et 4 prius expositum est ?

3. Licerne hero seu creditori filios servorum suorum, durante servitute natos, sibi ut servos vindicare, aut retinere, eosque ut tales vendere, non secus ac si nati fuissent ex parentibus in vera et proprie dicta servitute constitutis?

4. Ut dicti servorum filii libertate donentur, potestne herus tuta conscientia, ab eis quidquam exigere, praeter sumptus infantiae eorum?

R. Prout exponitur, et agendo de pecunia mutuo data : Ad 1. Negative.

Ad 2. Interveniente iusto et vero titulo ipsi mutuo extrinseco, et dato aequo pretio operae et laboribus servorum, iuxta communem aestimationem , detractis sumptibus necessariis pro ipsorum alimonia, id tantum pro lucro, seu potius pro iusta compensatione, exigi poterit quantum idem titulus ad iustitiae libram vere postulat, reliquum vero in sortis diminutionem cedere debebit. Si vero iustus et verus titulus non intervenit, tunc meminerint nihil omnino ex mutuo, vi ipsius mutui, ultra sortem repeti posse, sed integrum pretium et valorem operum et laborum, detractis ut supra sumptibus pro alimonia, in sortis diminutionem cedere debebit; et ad mentem. Mens est: curent missionarii avertere Christifideles a similibus contractibus valde periculosis ut provideant animae tranquillitati.

Ad 3. Negative.

Ad 4. Negative, et detur Responsio fer. IV 17 Martii 1747, nempe: ***Feria IV, 17 Martii an.*** **1847. —** ***Ad dubium: Utrum christiani possint exigere a filiis servorum, factis adultis et volentibus ex eorum domibus exire, centum circiter francos in compensationem alimentorum in pueritia expensorum, EE. DD. mandarunt rescribi: Negative (V. n. 2105. ad 4)*** **(1).**

Ad dubium genericum, nempe : — Utrum haec agendi ratio sit usuraria, et ut talis profliganda sub poena restitutionis et negationis absolutionis. — Iam provisum per praecedentes responsiones, et, quoad absolutionem denegandam vel restitutionis onus imponendum, consulat probatos auctores.

(1) Recole Vol. XXVIII, 575; ibi iam relata fuerunt dubia et responsa, quae hic citantur.

LITTERAE Sanctissimi D. N. Leonis XIII ad Gulielmum Alliata praesidem Consilio Consociationi antimassonicae dirigendae, primoque in eam rem conventui disponendo.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem. Catholicos homines in coetu cogi ut, episcopis auspicibus, religionis com m oda tueantur ac provehant, pergratum Nobis accidit semper. Nostris autem optatis obsecundante perbenigne Deo, sic eiusmodi coetus in vario rerum genere quotidie sunt aucti, ut nihil admodum de iis relictum sit quae maxime ad Ecclesiae utilitatem conducunt, quod, in catholicis conventibus agitatum, proventus non inde aliquid coeperit.

Nunc vero, Dilecte Fili, nuntiasti Nobis, eo iam consilia Consociationis vestrae converti, ut delecti etiam universis nationibus viri Tridentum conveniant, quo scilicet adversus Massonum sectam, insolentius se in dies efferentem, communibus studiis délibèrent, animosque et sumant ipsi et inspirent aliis ad obsistendum ad decertandum acriores. Cetera ut praetereamus, unum est cur id consilii vehementer probetur. Inde etenim patet, latius populos intimam induere persuasionem, maxime a clandestinis societatibus publicae sacraeque rei parari damna.— Haec, Nos, allata partim extimescenda, opportunam omnem nacti occasionem, saepius persecuti sumus, dedita autem opera per Litteras Encyclicas *Humanum genus* aliasque, quas nominatim ad Italos, anno MDCCCXC iterumque MDCCCXCII dedimus. Enimvero curarum Nostrarum instantiam haud exitus fefellit: et fructus inter consecutos, propositum etiam istius aggrediendi coetus libentes censemus. Quem quidem coëuntium numero et praestantia, talem futurum confidimus, qualem et tractandarum rerum gravitas et sperandae utilitates postulant. — Eventus tamen, ut optatis cumulate respondeat, omnino est opus ut qui adeunt in coetu manus ad radices applicent rationesque studiose inquirant, quibus contra progredientem sectarum vim efficacius sit enitendum. Has quidem rationes in Litteris Encyclicis nuper commemoratis, copiose Nos exposuimus, quae tamen omnes in id unum conferri possunt, ut in quibus maxime oppugnatio a Massonibus instituitur, in iis ipsis a vobis propugnano suscipiatur. Oportet igitur ea pontificiae auctoritatis providentiaeque documenta sic habeantur et maneant tamquam praescripta certaeque normae, quibus maxima cum religione obtemperetur,

quum a vobis deliberantibus, tum ab iis subinde quotquot eidem causae ingenium suum ac operam sint collaturi.— Certe autem, quod alias diximus, audacissimae impietatis dogmata, quae secta illa consectatur et flagitatione, quibus nititur artes, minus afferent calamitatis sensimque per se concident, si catholici homines faciem suam Massonibus reddendam impensiore sollertia curent. Ii nimirum mendacio tenebrisque fidunt; ast ementita species si detrahatur, pronum est ut quotquot recte sentiunt eorum nequissimam perversitatem nolint ac detestentur. — Christi igitur et animarum urgente charitate, coeptis vestris gratulamur eisque, ut Dei benignitas faveat precamur volentes.— Confidimus sane conventum vestrum novos catholicis adiuturum stimulos, ut parcentes errantibus, errori ne pareant, et quae Christus hominibus impertiit; praestantissima bona violari ullo modo ne sinant. Haec autem ut pro votis cedant, tibi, Dilecte Fili, universisque qui congressui intererunt, auspicem caelestium munerum et benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam benedictionem amantissime in Domino elargimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die II Septembris MDCCCXCVI.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

PARISIEN.

NULLITATIS MATRIMONII

Die 25 Maii 1895, et 28 Martii 1896.

Sess. 24 cap. 1. De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Petrus dioecesis Baionen, in aetate *22* annorum constitutus, amore captus erga Margaritam puellam trilustrem, eiusdem dioecesis, illam in matrimonium ducere statuit. At huiusmodi nuptias viri pater adversatus, petitum consensum denegavit, nisi filius ipsi traderet summam 100000 libellarum, ex conspicuo censu ei a matre defüncta legato, quam Petrus praestare recusavit.

Cum autem, attento vehementi amore et nimia iuvenum familiaritate, expediret quantocius matrimonium celebrare, et aliunde vir a lege civili gallica prohiberetur usque ad 25 aetatis annum, sine patris assensu etiam coram ecclesia nuptias contrahere, propositum sponsis fuit *Tunetum* petere, ibique religiosum inire matrimonium.

Quo accepto consilio, sponsi mense Aprili 1880 una cum Margaritae matre eiusque fratre iter aggrediuntur *Tunetum* versus, cum animo, ut ipsi affirmant, nuptiis coram ecclesia contractis, redeundi in Galliam ut, viro in aetate maiori constituto, etiam matrimonium, quod civile vocant, contrahere possent.

Paucis diebus moram fecisse videntur in oppido *Pau,* deinde *Massiliae,* ac demum *Hipponae* (Bonne) in Africa, ubi per aliquos dies commorati sunt penes advocatum Dubarbier qui, ne optatae nuptiae diutius protraherentur, curavit, ut R. Desplas, parochus Hipponae, litteras Superiori Religiosorum Carthaginis mitteret, Vicario Apostolico Tuneti exhibendas, nec non elegit duos amicos, qui tamquam testes interessent matrimonii celebrationi.

Die *22 Maii 1880 Tunetum* perventi, die *24 eiusdem mensis* coram P. Aemilio a Trevi, Ordinis Capulatorum, Vicario Generali Suter Vicarii Apostolici, Petrus et Margarita matrimoniali foedere iuncti sunt in parochiali ecclesia *S. Crucis,* quare in paroecialibus matrimoniorum libris notatum fuit, coniuges *domicilium Hipponae habuisse.*

Post paucos dies neoconiuges, Tuneto relicto, Hipponam sunt reversi ibique, uti asseritur, aliquot dies commorati, discesserunt, ac tandem *Iuliam Caesaream* (Alger) petierunt, in qua fere duobus annis manserunt, usquedum in Galliam regressi fuere.

Cum autem Petrus 25 aetatis annum attigit, eo quod inhonestam vitam duceret et adulterinis amoribus indulgerei, mulier recusavit civile vinculum contrahere, imo perdurante eius pessima agendi ratione, anno 1884 illum dereliquit.

Progressu temporis, edocta, uti narrat, quod suum matrimonium nullitate laboraret ex non servata *Tridentini* forma, Parisiis commorans, anno 1892 Curiam archiepiscopalem adiit, petens, ut, praevio processu, matrimonium ex defectu clandestinitatis nullum declararetur. Cum non sufficienter constaret de eius domicilio Lutetiae Parisiorum, mulier a Summo Pontifice obtinuit, ut Parisien. Curia ad processum instaurandum delegaretur. Quapropter Archiepiscopus Parisiensis, accepta delegatione cum potestate subdelegandi, illico, tribunali rite constituto, per Iudicem delegatum actrix, eiusdem vir ac plures testes excussi fuerunt; donec die 14 Iulii 1894 lata est sententia matrimonium nullum declarans, utpote coram parocho non proprio celebratum.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MULIERIS. Actricis patronus, ut clarius probet clandestinitatis vitio matrimonium laborare, in tres partes suam orationem dividit, et in prima ostendit: Tuneti quoque vigere Tridentinum decretum « *Tametsi* » *cap. 1, sess. 24 de refor. matr.* Sane *S. C. de Propaganda Fide die 20 Septembris 1763* decrevit: « Publicetur decretum S. C. Trid. quoad matrimonia clandestina in qualibet paroecia Tuneti et Algeriae, servata forma ab eodem decreto praescripta, facto verbo cum SSmo: et deinde huiusmodi publicationis instrumentum transmittatur ad Sac. Congr. ». Porro tam Praefectus, quam Vicarius apostolicus ad S. C. instrumenta de peracta publicatione anno 1769 miserunt. Gasparri, *de Matrim, vol. 2, pag. 517 et Mansella, de lmpedim. matrim, diriment. pag. 133.*

In altera autem parte orator vult; nullam delegationem impertitam fuisse parocho Hipponae vel Apostolico Vicario Tuneti a parocho alterutrius sponsi vel ab Ordinario Baionen, ad nuptias benedicendas. Id enim, ait patronus, non solum fatetur actrix : « Nous n'avons même pas songé à

demander de délégation, sûrs d'avance du refus de M.r le curé », et implicite etiam vir, sed a plurimis testibus confirmatur. Re sane vera Margaritae mater ait : « Avant de quitter la France on ne fit aucune demande à Bayonne ou Mauléon-Soûle pour obtenir une permission quelconque ». Adelinda Robineau deponit : « Aucune délégation n'a été demandé, que je sache, à l'Bvêché de Bayonne, ni au curé de Mauléon ». Eugenius Communay testatur: « Ils partirent sans avoir aucune autorisation, ni du curé de Mauléon, ni de l'Evêché de Bayonne ». Idem declarant Noemis Tixier, parochus Charbonneau et ipsemet parochus loci *Mauléon,* actrici scribens : « Je n'ai pas souvenance d'avoir donné une délégation quelconque en vue de votre mariage ».

Ceterum nullam delegationem datam fuisse a parocho civitatis *Mauléon* vel *Pau,* aut ab Ordinario Bayonen., prosequitur advocatus, usque ad evidentiam constat, tum quia huiusmodi documentum haud recensetur inter illa a sponsis exhibita Vicario Apostolico Tuneti, tum quia in libro matrimoniorum nec verbum nec vola habetur.

Ad tertium denique suae defensionis punctum accedens, evincere contendit patronus, mulierem retinuisse domicilium civitatis *Mauléon,* virum autem urbis *Paie,* cum mense Maio 1880 *Hipponam* petierunt ad nuptias deinde *Tuneti* ineundas de consensu parochi *Hipponae,* quin ibi domicilium vel quasi domicilium acquisierint.

Si de muliere, ait ipse, quaeramus, ubi domicilium haberet, cum mense maii 1880 Hipponam perrexit, statim occurrit, ex lege liberorum domicilia in eo loco censeri, in quo paterfamilias vel, eo vita functo, materfamilias lares habet. Voet, *ad ff. lib. 5, tit. 1, n. 100,* et Lauren. *For. eccles, lib. 2, quaest. 78.* Quod eo magis obtinet in puella 15 annorum. Atqui de matris domicilio in civitate *Mauléon,* nuptiarum tempore, iuxta advocatum, ne leve quidem dubium suboriri potest. Sane actrix ait : » J'ai habité la ville de Mauléon depuis l'âge de 7 ans jusq'à mon mariage... J'habitais avec ma mère et mon frère ». Quod confirmatur a

viro ipso et a testibus. Idem vidua Reyé fatetur et Adelinda Robineau.

Nec minori evidentia, prosequitur oratricis defensor, demonstratur viri domicilium in oppido *Pau.* Sane percontatus de loco, ubi ante matrimonium commoratus fuerit, reponit: Se habuisse habitationem in civitate sua natali *Pau* usque ad annum 18 aetatis suae. Dein autem, post 18 menses transactos in navi, mensibus aliquot ante nuptias in loco *Mauléon* degit: et testatur, domicilium suae familiae esse civitatem *Pau.* Ac inter documenta, quae vir sibi comparavit ad nuptias Tuneti contrahendas, extant fides baptismatis in oppido *Pau* suscepti, ac duae declarationes syndici dicti loci, quarum una testatur, illum inibi ortum habuisse, altera quod ille « propriétaire à *Pau,* n'y avait jamais contracté mariage devant l'officier de l'Etat civil ».

Ex quibus testibus, iuxta advocatum, evidenter patet, ab immemorabili familiam viri locum *Pau* incoluisse et Petrum usque ad annum 18 aetatis suae ibidem assidue permansisse. Atque si deinde continuam moram in natali loco non amplius fecit, sua familia ibidem iugiter permanente, id evenit, quia iter in Americam suscepit et etiam alia itinera confecit; pluries Parisios apud suum avum petiit, et aliquibus mensibus ante nuptias in civitate *Mauléon* prope suam sponsam versatus fuit.

Nec difficultatem facere vult patronus assertionem viduae Reye, quod nempe vir « depuis longtemps avait quitté et pour toujours le domicile paternel ». Nam illa loquitur de habitatione Petri una cum patre eiusque familia, quod ex iis quae superius exposuit evidenter patet. « Certainement, ait illa, qu'à son mariage il ne pouvait pas penser aller habiter avec son père. Son père était remarié; il y avait des jeunes enfants, une belle mère; lui-même d'ailleurs avait la fortune de sa mère ». Et certe Petrus nunquam voluisset, ait orator, cum patre habitare, cum ab aliquibus annis gravis dissensus inter ipsos exortus fuerit. Pater enim aegre ferebat, quod sua prima uxor uni filio amplam -villani reli-

quisset, et ideo capta occasione consensus nuptiis a filio requisiti, non erubuit ingentem summam 100,000 libellarum pro pretio consensus expetere; filium e contra valde pigebat se cogi vel tanta pecuniae vi patris assensum emere vel extra Galliam nuptias inire.

Postea advocatus demonstrare contendit quod sponsi, cum Hipponam pervenerint ad nuptias quantocius ineundas, domicilium vel saltem quasi domicilium illic sibi non acquisierat. Relate ad domicilium, ait ipse, demonstratione non eget; nam uti docet *Voet ad Pand. lib. 5, tit. § 92,* domicilium in eo loco quaesitum iure censetur, in quo larem rerumque ac fortunarum suarum summam *(quisque)* constituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet, undeque cum profectus est, peregrinan videtur : *I. Cives 7, Cod. de incolis.* Hinc idem auctor *I. c. % 98* tradit, ad domicilium in aliquo loco acquirendum voluntatem et factum requiri. « Illud certum est, neque solo animo atque destinatione patrisfamilias aut contestatione sola sine re et facto domicilium constituit »; *I. Domicilium 20, I. Eius qui 17, § Si quis 1, ff.* Adde *Reiffenstuel in Decr. lib. 2, tit. 2, § 2, n. 17.* « Verum domicilium non nuda voluntate et assertione, sed animo et facto simul constituitur ». Nec secus *Zallinger.* et alii. Certe, inquit orator, ridiculum foret supponere, quod sponsi summam suarum rerum in disiectissima illa civitate constituissent, quod numquam discessuri forent, si nihil avocaret, quod ex illa proficiscentes peregrinan viderentur.

Praeterea extra controversiam est, iuxta patronum, sponsos Hipponam advenisse, ut pararen tur quae necessaria erant ad nuptias Tuneti ineundas, nonnisi septem vel octo circiter diebus et quidem penes advocatum Dubarbier commoratus fuisse. At qui lares hebdomada circiter in aliena domo constituunt, observat orator, non habitatores, sed hospites ac peregrini in iure censentur, ac propterea repugnat eos inibi domicilium acquirere. *Text. in I. 1, § Haec autem, vers. Hospes, ff. de his qui deiec.* Quamobrem animadvertit Card.

De Luca *de Servit, disc. 82, n. 3:* « Habitator dicitur ille qui conduxit domum animo habitandi, ad differentiam hospitis, qui licet de facto inhabitet, non dicitur inhabitator ». Cum itaque nec animus sponsorum domicilium Hipponae constituendi, nec incolatus excogitari possit, patet, ipsos domicilium ibidem sibi comparare minime potuisse.

Nec actricis defensori aliquid refert, quod vir percontatus, « Quo suum erant translaturi domicilium post suum matrimonium » reposuerit: *Bòne;* « quod habitaturi erant in aede separata », et quod rogatus, « utrum aedes illa iam esset parata » asseruerit «Tantum post matrimonium, sed statim quaesitam fuisse ». Nam, ait ipse, admisso parumper, haud tamen concesso, virum in animo habuisse, domicilium Hipponam post nuptias transferre et domum ante nuptias fuisse tantum quaesitam, non autem paratam, absonum omnino foret exinde asserere, nativum domicilium civitatis *Pau* statim amissum fuisse et aliud acquisitum. Sed insuper cum huiusmodi animus aliis et praesertim sponsae eiusdemque matri necessario significari debuisset, cumque nullus testium illum innuat, excludendus prorsus est. Demum ipsemet vir paullo inferius in apertam contradictionem incidit, cum expresse fateatur, se, suscipiendo illud iter, nullam aliam intentionem habuisse, quam nuptias ineundi, et ante nuptias nec unius horae moram Llipponae fecisse. Sane requisitus. « Quandonam praecise civitatem *Mauléon* reliquerif et propter quem finem? » reposuit: « Se reliquisse civitatem hanc, ut peterent *Tunis* ad contrahendum ibi matrimonium ecclesiasticum ». Rogatus autem, « Quaenam essent eorum intentiones relinquendo *Mauléon* », respondit, « Nullam se habuisse nisi contrahendi matrimonium et nullibi mansionem fecisse ante suam profectionem e civitate *Tunis* ». Hinc a veritate prorsus abhorrere vult orator quod in libro matrimoniorum paroeciae *Sanctae Crucis Tuneti* asseratur, sponsos Hipponae domicilium acquisivisse. Id enim neque parochus Hipponae expresse affirmât et ex traditis documentis ante nuptiarum celebrationem clare constat, virum in civitate

Pau, mulierem autem in oppido *Mauléon* domicilium retinuisse.

Sed nec ratione quasi domicilii, sustinet patronus, sponsos potuisse esse subditos parochi Hipponae. Tralatitii siquidem iuris est, ad quasi domicilium contrahendum requiri, ut quis propositum habeat commorandi per notabilem tempus in eo loco, in quo suam sedem posuit. Hinc DD. omnes unanimiter tradunt, domicilium a quasi domicilio in hoc tantum discriminari, quod in illo requiratur animus perpetuo inhabitandi in loco, ad quem suos lares quis transtulit, in altero vero animus habitandi per maiorem anni partem. Tale incolatum ad quasi domicilium omnino requirunt Reiffenstuel *lit. 3, de Cianci, desp. n. 60,* Schmalzgrueber *eod. tit. n. 150,* Pirhing *eod. tit. n. 19,* Barbosa *de Off. Episc, par. 2, alleg. 32, n. 68,* aliique innumeri.

Nec, pergit orator, djibium amplius esse potest, quae diuturna habitatio requiratur in loco ad praesumendum hunc animum incolendi ad maiorem anni partem, nam Benedictus XIV in notissima Constitutione *Paucis abhinc hebdomadis,* quas perpetuam in iudiciis normam praebuit, *saltem unius mensis* moram ad matrimonium necessariam renuntiavit.

Et hanc moram ineptam esse, recolit patronus, ad quasi domicilinm contrahendum, si quis alienam ditionem petit eo tantum consilio, ut matrimonium ineat, non ut ad longum tempus inhabitet, uti statuunt idem Benedictus XIV *Instit. 33, § 4,* et *S. Conc. Congr. die 22 Februarii 1831.* « Sacra etc. censuit, dandam esse declarationem in abstracto in forma sequenti. Vir et mulier a loco suae habitationis, absque animo illam relinquendi, discedentes et ad locum alterius parochiae solo animo illic matrimonium celebrandi, non autem domicilium contrahendi, se transferentes, ibi coram illius loci matrimonium inter se contraxerunt. Supplicato per S. C. declarari, an huiusmodi matrimonium sit nullum vel validum. - Die 22 Februarii 1831 «Sacra etc., secundum ea quae « proponuntur censuit *esse nullum* ».

His in iure praemissis, probare satagit advocatus, quod sponsi non perduxerint incolatum ad maiorem anni partem Hipponae, imo non habuerint animum ibidem per maiorem anni partem habitandi. Sane prae primis actrix penitus ignorabat, quid ad matrimonii validitatem requireretur ac nullimode cogitabat de quasi domicilio acquirendo. « Pour ce qui regarde la validité de mon mariage, ait ipsa, je ne pensais absolument à rien; j'étais alors trop enfant; je n'avais que 15 ans et demi à peine; je ne pouvais que faire ce qu'exigeait ma mère. Je ne savais nullement ce que était le mariage. . . . Je sais que nous avons été regardés dans l'acte de mariage comme domiciliés à Bòne, fait que je n'ai jamais pu m'expliquer ». Vidua Robineau ait : « La jeune fille se laissait faire sans rien comprendre ». Hisce consonant testis sacramentalis Pisani et parochus Charbonneau. Demum actricis mater putabat : « Dès qu'un prêtre consentait à nous recevoir dans son église nous régardions ce mariage comme valide ». Et quoad virum, parochus Charbonneau testatur : « Il a agi de mauvaie foi *in fraudem legis.* Il n'avait pas du tout l'intention d'établir un domicile à *Bòne.* A Pau, aussitôt après la séparation, il répétait partout que M.[116] Reyé avait été sa maîtresse et non sa femme »; ac Adrianus Lagarde refert, illum post separationem ab uxore dixisse, « heureusement queje n'ai jamais été lié ».

Postea inquirit procurator quanam intentione sponsi Hipponam petierint, et quanto tempore ibidem permanserint. Si virum audias, tam brevis fuit mora in illa civitate ante nuptias, ut ipse nec amplius recordetur. Cum praemisisset, se (sponsos) reliquisse civitatem hanc *(Mauléon),* ut peterent *Tunis* in ordine ad contrahendum ibi matrimonium ecclesiasticum, subdit, se recta via (a Mauléon) traiecisse usque *Tunis* et nullam (intentionem) se habuisse nisi contrahendi matrimonium et nullibi mansionem fecisse ante suam profectionem e civitate *Tunis.* Ibidem autem eos non habuisse intentionem manendi per longum tempus, nec figendi domicilium, sed habuisse solummodo intentionem contrahendi.

Actrix autem rem ita narrat: « Nous étions partis dans le but de nous marier . . . Nous avons fait un séjour à Pau •et un autre à Marseille, Nous nous embarquâmes directement pour *Bone* où nous restâmes chez Mr. Dubarbier, avocat, une huitaine de jours environ. De là nous sommes allés à *Tunis* avec l'intention de ne rester que le temps strictement nécessaire à notre mariage ». Igitur octo circiter diebus Hipponae commorati sunt uti hospites familiae Dubarbier, et ne cogitarunt quidem, observat orator, de mora protrahenda ad maiorem anni partem, ut quasi domicilium acquirerent, sed unice de nuptiis Tuneti quantocius ineundis. Sane prosequitur mulier: « Nous n'avons pas fait de démarches pour nous marier religieusement avant Tunis; mais nous en avons simplement causé à Mr. Dubarbier, qui nous donna deux de ses amis pour être les témoins de notre mariage à Tunis ». Die 22 Maii 1880 Tunetum -appulerunt, nempe biduo ante nuptias, et die 27 aut 28 discessere. Eadem addit: « Nous avons quitté Tunis vers le 27 ou le 28 Mai. De là nous sommes retournés à Bòne, ou nous sommes restés une huitaine. De là nous sommes allés à Constan tine, à Setif et nous avons dû arriver à Alger vers le milieu de Juin ». Iisdem fere circumstantiis, ait patronus, rem enarrant Margaritae mater, Adeunda Robineau, Eugenius Oommunay, Noemis Tixier, Pisani et Bourgoin testes sacramentales, uxor advocati Dubarbier ac parochus Charbonneau.

Nec aliquid officit, iuxta oratricis defensorem, quod parochus Hipponae Superiori Religiosorum Carthaginis significaverit : « Je tiens d'une personne honorable et digne de foi qu'il n'existe aucun empêchement canonique » inter sponsos. Nam si verum id reapse fuisset, aliquo documento debuisset ostendi et in matrimoniorum libro declarari, ut his in casibus fieri semper solet. Cum autem luculenter constet ex hucusque expositis, nullam delegationem a parocho alterutrius sponsi fuisse datam, eosdemque nec quasi domicilium Hipponae sibi comparasse, memorata parochi assertio nihil prorsus habenda est.

Notat demum orator, ipsos testes sacramentales, Pisani et Bourgoin, inspectis omnibus circumstantiis, et praesertim quod sponsi « venaient avec l'intention de faire le plus rapidement possible leur mariage », suspicatos valde fuisse eorum nuptias invalidas fore, proindeque testium munere fungi noluissent. At vieti precibus advocati Dubarbier, licet aegre, annuerunt. Sane Bourgoin ait, quod « hésita à servir de témoin », et Pisani fatetur: « J'ai d'abord refusé, disant que je ne voulais pas participer à un crime ».

ANIMADVERSIONES VINDICIS S. VINCULI. Matrimonii Defensor ex opposito affirmat meridiana luce constare de validitate huiusmodi matrimonii. Et in primis miratur, quod Margarita suspicata sit, matrimonium suum nullum esse clandestinitatis vitio, solummodo duodecim post annos ab hymeneo, quando iam vita functi fuere vicarius apostolicus Suter, presbyter Desplas Hipponae parochus et iurisconsultus Dubarbier, atque sacerdos, Dubarbier insaniae morbo correptus fuit, qui omnes certe, nedum monumenta parochiali codici consignata, verum etiam alia publicam in lucem non prodeunda cognoscebant. Dum ab initio autem contra sentiebat, etenim quaerenti iudici : « Depuis votre mariage à Tunis, êtes-vous considéré comme la femme légitime de Mr. Cazenave de la Roche? Avez-vous eu des enfants? Avez-vous cru pouvoir en conscience accomplir vos devoirs religieux, et vous approcher des sacraments ? » Margarita reponit : « Depuis mon mariage à Tunis, je me suis considéré comme la femme de Mr. de la Roche. Je n'ai pas eu d'enfants, et j'ai accompli toujours mes devoirs religieux et conservé toutes mes habitudes de piété sans aucun scrupule de conscience ». Nec aliter Petrus, qui percontatus: « Depuis votre mariage à Tunis, vous êtes-vous regardé comme légitimement uni à madame Cazénave de la Roche ? » respondit : « Oui ».

At Margaritae agendi ratio iuxta oratorem non est nova et recolit causam *Aquen. seu Massilien. Matrimonii,* diei 18 februarii 1889. Ibi agitur de Lazarina Massol d'André

et Alfrido d'Outhoorn, massiliensibus, qui cum matrimonium celebrare non possent, quia Lazarinae mater matrimonio resistebat, Helvetiam petierunt atque in civitate Agaunensi intra dioeceseos Sedunensis fines sita, die 5 octobris 1863 iugati sunt parocho Luder qui parochiali matrimoniorum libro amanda vit: « L'an 1863 le 5 octobre dans l'Eglise de S. Jacques d'Augune, Valais, Suisse, au vu des publications, -et de délégation du curé Mantel de Vevey, je soussigné declare avoir béni le mariage d'Alfred Eugène barone d'Outhoorn. . . . .et de Lazarme Massol d'André ». Alfridus et Lazarina non longius quam Petrus et Margarita in civitate Tuneti, in Agaunensi oppido commorati sunt. Nec constabat Alfridum et Lazarinam in loco Vevey quasi domicilium contraxisse.

Mortuis itaque, prosequitur defensor, praefatis parochis Mantel et Luder, necnon sacerdote G-uiol dioecesis Massiliensis, vicario in spiritualibus generali, qui sacerdoti Francisco Gignoux oretenus dixerat : « Comme Vicaire Général de Marseille je vous donne à vous, ou à tout prêtre que vous désigneriez, la juridiction pour bénir ce mariage », Lazarina, quoniam inter acta matrimonii nec praedicta massiliensis vicarii delegatio, nec sacerdotum Guiol et Gignoux nomina prostabant, clandestinitatis vitio matrimonium infectum proclamavit. At S. C. C. repetitis vicibus, rescripsit pro *matrimonii validitate.*

In causa autem Petri et Margaritae, iuxta vinculi tutorem, publica ipsa monumenta tanta luce fulgent, ut nullum de matrimonii valore dubitandi locum relinquant; at si praeterea de monumentis sive factis quaerendum foret evulgationi non obnoxiis, non certe Lutetiae Parisiorum inquisitio facienda esset. Ab ipsis itaque initiis denuntiat, defensor inquisitionem, si quis per documenta evulgationi obnoxia et evulgata matrimonii valorem extra omnem omnino dubitationis aleam non esse positum existimet, in loco celebrati matrimonii perficiendam esse, ad examen omnibus adductis, qui de re instructi censentur. Prae ceteris, ait ora-

tor, capucinus P. Aemilius a Trevi, tum temporis cancellarius curiae apostolicae vicariae, qui matrimonialem Petri et Margaritae consensum excepit, estne adhuc in vivis? si vivit absonum prorsus est de matrimonii clandestinitate disputare, ipso inaudito.

Ad obiecta matrimonii vindex postea descendens, suadere- contendit, praecipitanter, uti Margarita vult, eos non egisse, qui celebrationi matrimonii operam navarunt. In confessis namque est de matrimonii celebratione agi coeptum fuisse ad finem anni 1879, et sacerdotem Dubarbier ab ipsis initiis demonstrasse nupturientibus necessitatem ad exteras plagas confugieiidi. Die 9 aprilis 1880 comparatum est testimonium nativitatis Petri; die 24 dicti aprilis testimonium nativitatis Margaritae; die 10 eiusdem mensis testimonium baptismatis Petri; die 28 praefati aprilis testimonium baptismatis Margaritae; die 22 aprilis *fides,* ut aiunt, *status liberi* Petri; die 23 eiusdem *fides status liberi* Margaritae» Matrimonium autem celebratum est die 24 maii 1880. Ut omnia,, ait orator, rite procederent multum laborarunt presbyter et iurisconsultus Dubarbier, parochus Hipponae, P. Bresson seu Delattre religiosorum Carthaginis praeses, Suter Tuneti vicarius apostolicus et P. Aemilius a Trevi.

Praeterea, notat defensor, isti viri, qui matrimonii celebrationi operam dederunt, publicis in monumentis testati sunt Concilii Tridentini legi satisfactum esse.

Hae declarationes insuetae omnino sunt, observat vinculi propugnator, nec locum habent, quando monumenta, quae matrimonii celebrationi inserviunt, publicam in lucem edi possunt. Tunc enim in parochiali tabulario non affirmationes ecclesiasticorum virorum, aut parochorum, sed monumenta ipsa asservantur. Paucis: cum vicarius apostolicus affirmet : « Dans la forme prescrite par le Concile de Trente et seule légalement reconnue dans la Régence », cum P. Aemilius a Trevi matrimonium celebratum affirmet: «Après avoir été presenté à cette Curie vicariale tous les documents requis par les lois ecclésiastiques », cum parochus Desplas-

caveat : « Indépendamment des pièces qui seront fournies ad hoc, je tiens d'une personne honorable et digne de foi qu'il n'existe aucun empêchement canonique », non decepti, sed deceptores isti omnes essent, si in celebratione talis matrimonii, nihil praeter monumenta publica ob oculos habitum est, si servata minime est Tridentini Concilii lex. Quod suspicari stultum est.

Neque canones sinunt, ait orator, indiscriminatim eos audiri qui matrimonium absque licentia proprii parochi celebratum obiiciunt, sed distinguunt inter parochum proprium et alios quoscumque. Si parochus proprius statim clandestinum matrimonium proclamet, affirmans se licentiam non esse largitum, is auditur, et sacerdoti, qui matrimonio interfuit, incumbit onus probandi vel licentiam sibi concessam vel sibi subditum esse alterutrum nupturientium. Quicumque autem alius çlandestinitatem proclamet, non auditur, nisi demonstret licentiam non collatam et nupturientes ad aliam parochiam spectare, ita Sánchez *De matrim, lib. 3, disput. 35, n. 5,* Barbosa *De offic, et potest, episc, alleg. 32, n. 136* et Mascard. *De probat, conclus. 984.*

Verum prosequitur defensor, praesens matrimonium celebratum est anno 1880, nec Margaritae, nec Petri parochus clandestinum illud proclamavit, sed solum Margarita. Quocirca, iuxta defensorem, saltem tria Margarita cumulative demonstret oportet, nempe *primo* licentiam impartitam non esse a parocho loci *Mauléon,* Margaritae proprio : *secundo* proprium Petri parochum tunc temporis: *tertio* demum non a Petri parocho collatam esse licentiam.

Nullius autem valoris est argumentum, ait matrimonii vindex, cui Margarita innititur. Etenim cum praesens iudicium inchoaret, a parocho suo ipsa petit scriptis ut declaret an quempiam praesenti matrimonio delegaverit, cui ille respondit: « Madame, en réponse à votre lettre j'ai l'honneur de vous déclarer, que je n'ai pas souvenance d'avoir donné une délégation quelconque en vue de votre mariage ». At, clamat defensor, nemo sanus dicet epistolam huius tenoris

hisque in adiunctis a parocho scriptam apodicticum constituere argumentum ad demonstrandum secretam licentiam a Margaritae parocho haud fuisse collatam. Notae enim omnibus sunt graves poenae, quibus in Gallia plectuntur parochi, si matrimoniis, civili lege vetitis, sese immisceant. Eapropter parochi, quotiescunque ob animarum zelum opem ferunt nupturientibus contra civilium legum praescripta, omnes diligentias adhibent ne opera, quam ipsi praestant, apud tribunal laicum probari queat. Nemo insuper latet, ait orator, parochos delegationis rationabili de causa secreto concessae testimonium publicum, eo praesertim adhuc vivente, qui delegationem largitus est, non solum ab ipso delegationis auctore, sed et a quocumque alio denegari etiam cum iuramento posse et debere, *S. Bota decis. 370, part. 18, tom. 1, recent.*

Igitur, concludit Sacramenti tutor, cum Margarita alia argumenta ad rem non habeat, matrimonium iam in probatis est. At ad abundantiam prosequitur et quaerit, an Petrus Cazenave haberet parochum proprium. Si ita, vult orator argumentum ex quo liqueat licentiam a Petri parocho minime impertitam. Ast nihil huiusmodi prostat in actis. Ad parochum suum Margarita dedit epistolam, et responsionem consecuta est: sed ad Petri parochum ignoramus an ipsa scripserit, et an hic responderit. Ubinam est apodicticum non delegationis a Petri parocho secreto concessae argumentum? Aequunlne est, exclamat defensor, peritissimos viros, qui huius matrimonii celebrationi pro viribus incubuerunt, in homines ineptos atque stultos, imo impios atque sacrilegos absque probatione evidenti traducere?

Re vera, prosequitur ipse, si matrimonium in fraudem legis celebratum censeatur, fraudis auctores essent presbyter Dubarbier, iurisconsultus frater, parochus Hipponae, superior carthaginensium patrum, Tuneti vicarius apostolicus et P. Aemilius. Nupturientes neminem deceperunt, sed consilium secuti sunt. Porro Margarita fatetur: « Si nous sommes allés à Tunis, je crois que cela tient à l'idée que nous

avait suggérée Monsieur l'Abbé Dubarbier. Pour ce qui regarde la validité de mon mariage, je ne pensais absolument à rien.... Quant au domicile, je n'ai eu rien à dire, car on ne m'a rien demandé ». Petrus vero, etsi matrimonium dissolvi et ipse percupiat, attamen ad quaestionem « utrum indicasset sacerdoti ecclesiae Tunetensis Mauléon vel Bòne tanquam suum domicilium? » reponit : « Je crois devoir affirmer que j'ai répondu au prêtre que notre domicile était Mauléon, et je n'ai point présenté d'autres pièces que celles énumérées plus haut ».

Nec satis, pergit Sacramenti vindex: parochus Hipponae ad carthaginensium patrum superiorem tribus ante celebrationem matrimonii diebus scribit: « indépendamment de pièces qui seront fournies ad hoc, et que j'ai vues, je tiens d'une personne honorable et digne de foi qu'il n'existe aucun empêchement canonique entre le jeune homme auquel je m'intéresse et la personne qu'il désire et veut épouser ». Adesdum : monumenta ad hoc, quae parochus hipponensis se legisse fatetur, omnia complectuntur, quae in matrimoniorum celebratione exigi solent. Ergo hipponensis parochus dum ait : « Je tiens d'une personne honorable et digne de foi qu'il n'existe aucun empêchement canonique », necessario se refert ad clandestinitatis impedimentum, per licentiam secreto concessam, remotum.

Tria tamen extra omnem dubitationem, iuxta defensorem, posita sunt: scilicet, 1. delegationem intercessisse; 2. ab eo datam esse qui potestate ordinaria in nupturientes pollebat; 3. delegationis auctorem ea lege delegasse ut nomen suum maneret occultum : « Par expresse délégation de l'autorité ordinaire ». Iam vero, inquit orator, soli gallici parochi publicam delegationem conferre impune nequibant. A veritate quapropter aberrat actricis advocatus, cum existimat parochum hipponensem in celebratione matrimonii perinde se gessisse ac si Petrum sibi subditum crederet. Sufficit legere epistolam, tribus ante celebrationem matrimonii diebus ad rem datam. Ibi Petrus appellat « le jeune hom-

me porteur de ma présente lettre.... le jeune homme auquel je m'intéresse »; nunquam vero eum sibi subditum, nec quidquam simile nuncupat. Illa autem verba « domicilié à Bòne » libro matrimoniorum a P. Aemilio inserta, procul dubio adiecta sunt « Dans le but de couvrir la responsabilité (auctoris delegationis) devant l'Autorité civile », quemadmodum factum est in dicta Aquen. seu Massilien.

Praeterea defensor contendit delegationem necessariam non fuisse. Certe si alteruter nupturientium parocho proprio carebat, matrimonium absque delegatione celebrari valide poterat coram quocunque parocho; Sánchez *De matrim, lib. 3, disput. 25, n. 14.* Certum est illum sine parochia esse, qui amissa priori, nondum aliam acquisivit, Sánchez *loc. cit. 4.* Certum denique est eum, qui, relicta parochia, si alibi sine animo contrahendi domicilium vel quasi domicilium moram trahat, sive animo elegerit, sive non, domum seu parochiam ad quam migraturus sit, dici vagum respectu parochiarum, donec in novam parochiam de facto lares transferat, Sánchez *loc. cit.*

Hisce iuris principiis praemissis, orator quaerit, ubi Petrus domicilium aut quasi domicilium habebat. Non loquitur de domicilio *originis.* Notum enim est in celebratione matrimoniorum, non *originis,* sed *habitationis* parochum attendi ; ita Barbosa *De offic, et potest, parochi, cap. 21, n. 36.* Et notat Sánchez *op. cit., lib. 3, disp. 23, n. 7, § Tertio,* quod si originis parochus in matrimoniorum celebratione attenderete, actum esset de vagis.

Iamvero ipse non diffitetur in urbe « *Pau* » Petro esse parochum *originis,* ast parochus *habitationis* nullibi Petro erat. Siquidem parochus *originis* desiit esse parochum *habitationis* Petri eo tempore, quo, mortua matre, Petrus paternae domui animo et facto valedixit. In confessis namque est, Petrum usque ad 18 aetatis annum in collegio studiorum causa degisse et iampridem deliberatum in animo habuisse se ad paternos lares non amplius remeare atque de facto non amplius remeasse. Enimvero usque dum in colle-

gio permansit in oppido Mauléon, apud fratrem Margaritae vacationes Petrus transegit. Studiorum curriculo emenso, duodeviginti annos natus, Petrus in Americam profectus est. Post 18 menses rediit et, teste actricis matre, primum Burdigalae per aliquod tempus versatus est, postea in domo Margaritae mala valetudine affectus permansit per tres circiter menses, deinde Lutetiam Parisiorum, Parisiis pagum « Mauléon » petiit; postremo modo hic, modo illic, nunquam tamen in urbe « *Pau* » a collegio egressus commoratus est.

Quinimo, observat orator, statim ac a patria tutela exivit, Petrus domum, quae ei hereditate obtigerat locavit. Imo eam non vendidit, quia nondum sui iuris effectus « lui même ayant un Conseil Judiciaire ne pouvait rien faire ». Iam vero domicilium *habitationis* vel quasi domicilium sine aperta domo concipi nequit. Ab ingressu Petri in collegium usque in praesentiarum, non breve profecto intercedit annorum spatium, concludit tandem sacramenti vindex. At nec momento temporis per tot annos hac de re Petrus sententiam mutavit. « Depuis longtemps, ait Margaritae mater, il avait quitté, et pour toujours, le domicile paternel . . . Je ne sais pas s'il pouvait avoir la pensée de se fixer à un endroit quelconque après son mariage ».

Hisce praenotatis, fuit propositum diluendum

Dubium

An sententia Archiepiscopalis Curiae Parisien, sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Huic dubio sub die 25 Maii 1895 responsum fuit: *Dilata et scribatur Emo Archiepiscopo Parisien, ad mentem.*

Mens autem erat : « ut Parochus loci *Mau Mon* secreto et sub iuramenti fide formiter examinetur; ut a Curia Algeriensi quaeratur, an verum sit, Petrum secundum matritrimonium religiosum Algeri contraxisse, et in casu affirmativo, an et quae ratio habita fuerit de primo matrimonio ab eodem Tuneti contracto. Demum ut iterum audiatur Rev.

Charbonneau Parochus loci Maillé, ut dicat quomodo sciat, nullam delegationem datam fuisse pro celebratione saepe enunciati matrimonii.

Curia Parisien, iussa exequuta est ac mense Novembris elapsi anni nova acta transmisit.

Actricis Margaritae patronus in nova allegatione contendit usque ad evidentiae fastigium ex posterioribus actis, a Curia Parisien, collectis, patere de nullitate matrimonii suae clientis cum Petro. Ipse enim, brevi sermone reassumptis factis ac rationibus in prima causae disceptatione allatis, observat quomodo Parochus loci *Mauléon,* iuxta S. C. C. decretum, secreto et sub iurisiurandi fide formiter examinatus, fassus sit, se ante matrimonii celebrationem nihil prorsus scivisse de Margaritae et Petri proposito nuptias ineundi, de patris viri dissensu, et de sponsorum consilio Tunetum proficiscendi nuptias contrahendi gratia, ac proinde nullam delegationem concessisse.

Et presbyter Leo Charbonneau, qui percontari debebat, ut enarraret quomodo sciret nullam delegationem datam fuisse pro celebratione matrimonii, declarat, ait orator, se tempore minime suspecto ab ipsa muliere audivisse quod nulla interfuerit delegatio. Demum quoad aliam S. C. C. praescriptionem, advocatus notat, quod Petrus coram Vicario Gen. Algerien, iuratus deposuit: « J'ai réellement contracté un second mariage religieux à Alger le 2 Mars 1886 dans l'église cathédrale devant Mr. l'Abbé Pascanau Vicaire de cette église, avec Mlle Jeanne Adèle Ursule Communay, habitant Alger, d'une famille honorable. J'ai laissé ignorer ce mariage contracté à Tunis à ma nouvelle épouse, à sa famille et au clergé ». Qui autem malefacti nunc poenitens « désire ardemment être mis à même de pouvoir approcher des sacrements. Mlle Communay, qui a connu cette situation, après le mariage, est dans les mêmes sentiments ».

Quapropter ex hac iurata viri depositione clare constat, concludit patronus, quanta facilitate potuerit is Algerii secundum matrimonium religiosum in ipsa cathedrali ecclesia con-

trahere, quin exhibuerit aliquod documentum., ecclesiasticae auctoritatis, quo status libertas comprobaretur. Ex quo facto sponte consequitur, mirandum minime fore, si paucis ante annis Petrus et Margarita, in finitima dioecesi, nempe Tuneti, potuerint matrimonio coniungi absque ulla proprii Parochi delegatione.

Sacramenti vindex e contra observat quomodo EE. PP. mandantur, ut parochus loci *Mauléon* secreto et sub iuramento examinare tur. At iste parochus uti ex actis constat subiectus examini quidem est, sed non secreto; quae circumstantia maximum, uti vult orator, in themate continet valorem, agitur enim de parocho, qui in iudicium arcessitur ut denuntiet, an ipse licentiam dederit ut matrimonium contra civiles patriae leges contraheretur. Quam quidem licentiam largitus esset ex conscientiae debito. Nam Petrus ait: « Propositionem matrimonii provenisse ex affectu et desiderio reparandi culpam commissam inter se ». Iam vero ex doctorum sententia parochus superiori vel iudici publice interroganti collatam his in adiunctis licentiam aperire minime tenetur.

S. C. C. praecipit insuper, prosequitur vinculi tutor: « Ut a curia Algeriensi quaeratur, an verum sit, Petrum Cazenave secundum matrimonium religiosum Algerii contraxisse, et in casu affirmativo, an et quae ratio habita fuerit de primo matrimonio ab eodem Tuneti contracto ». At ab Algerien. Curia hoc unum factum est; Vicarius Generalis accersivit Petrum eumque scrutatus est inter se et eum solum. Quod examen pro infecto habendum est ex celebri Constit. « *Dei miseratione* » in qua § 7 cavetur: « Quaecumque, defensore matrimonii non legitime citato aut intimato, in iudicio peracta fuerint nulla, irrita, cassa declaramus, ac pro nullis, cassis ac irritis haberi volumus, perinde ac si citata et intimata non esset ea pars, cuius citari intererat, et quam iuxta legum et canonum praescripta ad legitimam iudicii validitatem citari aut intimari omnino necessarium erat ».

Tametsi, notat defensor, haud mandavit S. Congr., ut Petrus iterum ad examen adduceretur, sed ut Curia Algerien., parochialibus atque episcopalibus examinatis codicibus, doceret an et quibus innixa monumentis Petrum ad alias nuptias admiserit. Hac de re Curia silet, et Petrus ait: J'ai laissé ignorer ce mariage contracté à Tunis à ma nouvelle épouse, à sa famille, au clergé ».

Decreverunt demum EE. PP., ait orator, « ut iterum audiatur Rev. Charbonneau loci *Maillé*, ut dicat quomodo sciat, nullam delegationem datam fuisse pro celebratione saepe enunciati matrimonii ». Iste parochus enim in primo iudiciali examine asseruit: « Aucune autorisation n'à été demandée ni à Bayonne, ni à Mauléon » ; et iterum ad examen vocatus, ut suae affirmationis rationem redderet, mille incommoda adducens, recusavit ad iudicium accedere et solummodo per literam denuntiat se didicisse ab actrice : « Qu'ils étaient partis de France n'emportant aucune lettre de M.r le Curé de Mauléon ». Ergo testis in causa propria innititur famosa assertio: « Aucune autorisation n'a été demandée ». Huc quadrat Rotae *decis. 301, n. 20, part. II, rec:* « Unde intrat vulgatum axioma quod non praestetur fides testibus, quorum repelluntur auctores ».

Praeterea iuxta sacramenti defensorem non statim ex quo Petrus et Margarita nullam parochi de Mauléon epistolam secum tulerint, consequitur licentiam a parocho de Mauléon haud esse collatam, sed, dato et non concesso licentiam a parocho de Mauléon, Margaritae proprio, non esse datam, nihil prohibet quominus proprius Petri parochus vel Ordinarius Baionen, licentiam largitus sit.

Quibus notatis, vinculi defensor dilemmate se expedit. Petro erat, aut non parochus proprius. Si primum, cedit monumentum ex quo liqueat a Petri parocho licentiam non esse impertitam. Hanc enim ad rem nihil, prorsus nihil prostat in actis. Si alterum, loquendum non est, de vitio clandestinitatis. Etenim tum dumtaxat agi potest de matrimonio clandestino, cum certus est utriusque nupturientis parochus.

Quibus animadversis propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia Curiae Archiepiscopalis Parisien, sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C C. re discussa sub die 28 Martii 1896 censuit respondere: *Sententiam esse confirmandam.*

Ex QUIBUS COLLIGES: I. Matrimonia ut validitate fruantur, celebranda esse coram Parocho proprio, aut alio sacerdote de eius aut Episcopi delegatione.

II. In themate defuisse proprium parochum omnemque delegationem formiter evictum esse videri, et ideo Curiae Parisiensis confirmatam fuisse sententiam, qua nullum declaratum fuerat matrimonium.

MONTISFALISCI

NOMINATIONIS AD BENEFICIUM CANONICALE

Die 13 Iulii 1896.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Maria Catharina Pieri actu supremae voluntatis, prouti constat ex declaratione sui executoris testamentarii, exhibita ad acta archivii Episcopalis Curiae Montisfalisci, haec iussit : praedium, ab eadem designatum, constituere debere dotem praebendae canonicalis , erigendae in Ecclesia Cathedrali ; cuius *ius patronatus,* quoad nominationem, contulit Revmo Capitulo eiusdem Ecclesiae, excepta prima nominatione, facienda a suo haerede fiduciario, quatenus non praemoriatur ; quo casu idem Capitulum illico potiatur iure nominandi.

Pia testatrix iussit ut nominandus esset dignior inter suos parentes, tum moribus, tum scientia, hisce deficientibus nominaretur presbyter Montisfalisci, eisdem praefulgens requisitis, et ex familiis primis.

Cum vacaverit huiusmodi beneficium Stephanus Volpini, Umbertus Foderini, et Philippus Balestrieri ad Capitulum recursum habuerunt, nominationem ad praefatam praebendam implorantes; at capitularibus visum est nulli Oratorum requisitas adesse qualitates. Ex his unus, nimirum Philippus Balestrieri ad S. C C . conquestus est de violato iure.

Episcopus rogatus de informatione , retulit, Capitulum censuisse, neminem ex tribus postulantibus, etsi testatricis parentes credantur, eligi posse ad praebendam canonicalem; utpote qui careant requisitis a pia testatrice volitis ; et praesertim quia distant a Sacris Ordinibus tum aetate, tum studiis. Interdum iam tempus utile ad nominationem transiisse, ait Ordinarius, sibique cessisse capitulum ius nominandi pro hac vice.

Prima in irritum cessa nominatione, pro secunda novum edictum factum est. Tunc solus comparuit R. Ioseph Perla, presbyter e Monte fai isco, qui neque piae testatricis consanguineus est, neque ad primas pertinet loci illius familias; sed moribus praestans est.

Disceptatio Synoptica

Ex OFFICIO ANIMADVERSUM FUIT, ipsam petitionem Oratoris Philippi Balestrieri quod spectat, patroni prae primis obiecerunt, hunc nimium processisse in diebus suis. Verum non triginta annos natus est, uti videtur aestimare etiam Episcopus in sua informatione; sed 26 annos, quippe in lucem editus est *die 18 Novembris 1869.* Eius Institutor attestationem exhibuit fidem faciens, eumdem recurrentem iam apud se in privato perfecisse secundum cursum gymnasiale, et esse iam habilem pro tertio. - De eius bonis moribus testes sunt duo parochi, in quorum paroecia hisce posterioribus annis moratus est. Mater vero aliique consanguinei Philippo Balestrieri vindicant ius patronatus *passivum* idemque abiudicant alii candidato Umberto Foderini, utpote nullo cognationis vinculo piae Fundatrici adstricto, contra

ea quae refert Episcopus. Reapse Philippum abnepotem esse Testatricis extra controversiam versatur prouti etiam testatur Montisfalisci Syndicus, relatis tabulis genealogicis. — Sacerdos Ioseph Perla, cui favet Episcopus, sane neque fundatrici cognatus est, neque ex familia patricia ortum habuit, prout tabulae fundationis iubent.

Praeterea extra dubium est, iis qui pollent iure quod vocant *passivo* patronatus integrum esse impugnare praesentationem factam a patronis, si ii non obtemperaverint legibus fundationis, uti patet ex integro Tit. « De iure patronatus ». Nam tralatitii iuris est, eum qui reperitur *passive* vocatus ; qui nempe requisitis satisfacit conditionibus, a fundatore constitutis, censeri praesentatum per ipsum fundatorem, adeoque instituendum esse, licet patronus eum praesentare recusaverit. - Piton. *De cont. part. alleg. 66, n. 10;* Rocca *Disput, iuris patr. cap. 190, n. 21;* Rota *decis. 135, numero 2, part. 19 recent.;* et hoc in casu per oppositionem seu comparitionem, quam *passive* vocatus fecit coram Ordinario dicitur illi ius quaesitum, cum oppositio assimiletur et aequipolleat praesentationi. Piton, *loc. cit. Alleg. 85, n. 2.*

E contra opponi posset, ad beneficium praesentari nullum deberi, nisi tempore praesentationis sit dignus et habilis, id est habeat qualitates a ss. Canonibus requisitas ; adeo ut secus praesentatio nulla sit. Inquam - *tempore praesentationis* - in quod propositum haec habet Reiffenst. *De iure patr. num. 71 :* « Nec sufficit quod brevi post praesentationem et quidem ante institutionem adhuc habilitetur v. g. aetatem habeat, *Clericus fiat,* ab excommunicatione solvatur etc. » Barbosa *De off. et pot. Epis, alleg. 72, n. 77-78;* Gonzalez ad *Reg. 8 Cancell. Gloss. 2, num. 66.* Et hanc reddit rationem ipse Reiifenst. *loc. cit.* «... quia in beneficiis attenditur capacitas tempore praesentationis, cum per eam statim acquiratur *ius ad rem:, arg. Eccl. S. Mariae-De Constit.* »

Reponit vero Philippi mater, filium adhuc clero adscribi

non valuisse, quamvis hoc exoptet, quippe necessarias expensas, destitutus redditibus beneficii, ferre non potest.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quodnam responsum esset dandum.

RESOLUTIO. Sacra C. O. re disceptata sub die 13 Iunii 1896 censuit respondere : *Cum passive vocati careant qualitatibus a iure et a Fundatrice praescriptis, attenta cessione a Capitulo facta, Episcopus provideat.*

MECHLINIEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII.

Die 28 Martii 1896.

Sess. 24 cap. 5 De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Franciscus ludimagister 38 aetatis annum agens, *die 13 Septembris 1888* coram parocho Ecclesiae *Notre Daine* in Mechliniensi Dioecesi, servatis Tridentinis legibus, matrimoniali foedere iunctus est puellae Eugeniae, 22 annos natae.

Coniuges a die matrimonii usque ad mensem Septembris an. 1892 eadem habitatione ac thoro usi fuere, quin, uti videtur, manifesta dissensionis signa praeberent. Cum autem post praedictum tempus vir arripere debuerit fugam, eo quia a publicae iustitiae ministris insectaretur, ob scelestus impudicitiae actus, super nonnullos scholae pueros patratos, uxor paternam repetiit domum. Quam cito Franciscus in iustitiae manus incidit ac reus pessimi criminis convictus, ad luendam quinque annorum carceris poenam damnatus fuit.

Tunc primum Eugenia matri revelavit, quod in toto maritalis cohabitationis tempore matrimonium haud consummatum fuit, ob Francisci impotentiam. Asserit itaque ipsa, quomodo usque a primis condormitionis noctibus frustra debitum coniugale a viro peteret; ille enim haud poterat copulam perficere, sed diversis praetextibus suam ex-

cusabat impotentiam. Nec in posterum infelix coniugum conditio mutata est.

Franciscus enim, ut Eugenia fatetur, numquam maritale debitum petebat ; et solummodo ab uxore requisitus copulam experiebatur, sed nequaquam eius vaginam penetrare valuit ; nec ad reiteratas mulieris instantias salutares artis peritos consulere voluit circa suum defectum.

Quapropter Eugenia, attenta praecipue vituperosa mariti condemnatione, nec non prodigalitate ac aspera eius indole, statuit eum derelinquere atque petiit solutionem, ita dicti, matrimonii civilis. Sueta facilitate obtento divortio, statim Eugenia recursum habuit ad auctoritatem ecclesiasticam supplicans Emum Archiepiscopum mechlinien., ut suum matrimonium nullum declararetur ob viri impotentiam.

Cum autem Emus Praesul difficilis probationis existimaverit impotentiam viri antecedentem ac perpetuam, petiit a Summo Pontifice licentiam instruendi processum super non consummatione pro obtinenda dispensatione. Archiepiscopi petitioni S. Congr. Concilii illico satisfecit ; ideoque ipse, constituto tribunali, per Iudicem delegatum absque mora processum inchoavit. Excussa in primis fuit actrix eiusque septima manus. Vir in carcere examinatus est, qui autem praefracte recusavit respondere Iudicis interrogationibus circa eius impotentiam atque matrimonii non consummationem ; imo nec permisit sui corporis inspectionem, et testes septimae manus indigitare noluit. Hac de re Iudex, ut supplere tur huiusmodi defectui, censuit subiicere novo interrogatorio actricem, atque ex officio examinare parochum loci et medicum Bruylants, qui praevia Eugeniae inspectione iam testaverat in causa divortii civilis, eam esse adhuc virginem.

Expletis denique processualibus actis, Emus Archiepiscopus ea transmisit S. C. C. mense Maio 1894, sequentem informationem adiungens : « Liceat autem preces uxoris multum commendare, cum graves urgeant rationes, ut mulier non amplius cum viro cohabitare cogatur, et aliunde satis de inconsummatione constet.

« Uxor enim ex omnium testimonio fide digna asseveranter affirmât, numquam fuisse matrimonium consummatum, eiusque assertio praecipue confirmatur ex relatione trium medicorum, inter quos duo professores Universitatis Catholicae Lovaniensis, qui de integritate corporali mulieris ita deponunt, ut nullus de ea dubitandi locus superesse posse videatur.

« Silentium autem viri dicta uxoris potius confirmat quam infirmât, cum ipsius, utpote * cupientis redintegrare cohabitationem, interesset affirmare consummationem, si revera locum habuisset.

« Nec uxor minus digna com miseratione exinde haberi debet quod, priusquam causam suam Ecclesiae iudicio subiiceret, ad tribunal civile pro divortio obtinendo confugerit. Error iste non raro committitur, ac provenit tum ex eo quod fideles pro matrimonio civili contrahendo prius adire coguntur magistratum civilem, tum ex eo quod non satis pro foro conscientiae distinguentes inter separationem corporis et bonorum ac ipsum divortium, facilius inducuntur a causidicis, praesertim liberalismi erroribus addictis, ad hoc petendum potius quam meram separationem : id quod in casu contigit. Porro compertum est uxorem, ceteroquin piam, in his optima fide egisse ».

Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Theologi nunc ego munere fungens miunctione S. Cong. sub infausta die 20 Sept. 1895 actaque discutiens in hac causa, quasdam imprimis omissas formalitates deprehendo in inspectione corporis mulieris. Defuerunt balneum, Matrona, obstetrices etc. Per se ipsos periti delegati rem totam perfecerunt. Num sanationis opus esset in casu ? Haud mihi videtur, saltem interpretative. In instructione *De iudiciis ecclesiasticis causarum matrimonialium* pro imperio Austriaco data, § 174 praxis- inspectionis medicae admittitur; admittitur in Concilio Baltimorensi III

num. 304. Consequens esset, in reliquis regionibus, nisi saltem peculiaris habeatur ratio, eamdem praxim defectum substantialem non importare. Nonne tutius inspectioni immediatae peritorum innitemur prae illa et relationibus obstetricum ? falli eas saepissime, licet a medicis instructas, aiunt Tortosa *Medie, forense part. III, c. I, § 18 ;* Morgagni *Opuse, miscel. p. 3, pag. 43,* et fatetur Rota *decis. 16 an. 1890.* Addo S. Congreg, coactam fuisse aliquando, spretis obstetricibus, ad medicos recurrere. Cfr. Neapolitanam *Dispens, matrim, die 22 Ap>r. 1826,* et fatendum est in dies rationem imminui, medicos in causis matrimonialibus non adhibendi, quemadmodum et in partubus obstetricibus medicos non praeferendi.

Utique desunt etiam ex parte viri, ultra consensum in petitione, inspectio eius corporis et testimonium ex eo septimae manus. Sed nullimode haec se praestare velle professus est, et pluries S. Congregatio hac reluctantia non obstante pro largienda dispensatione iudicavit. Videre est Mediolanen. *Dissol. Matrim. 24 Maii 1733;* Ianuen. 7 *Septemhr. 1783 ;* Neapolitana *27 Iun. 1822 ;* Neapolitana *28 Apr. 1827.* Hisce in casibus usa est ead. S. Congreg, semel et bis etiam praefigere alterum terminum ad praefatam curandam inspectionem et acta processus complenda, quo elapso contumaciam habendam esse iudicabat pro ultronea confessione non secutae consummationis et suae impotentiae ; ideoque nunquam possibile futurum esse ei ad alia vota transire, etiamsi alteri coniugi indultum a SSmo concedatur. At peculiaris conditio viri in casu nostro suaderet forsan vulnus vulneri non addere. Rei consuli posset aliqua conditione de qua inferius.

Quod tertio loco notandum emergerei, ex actibus est : iuramentum nulli vel partium vel testium delatum fuisse in fine examinis se vera dixisse. Specialis de hoc lex est in Instructione Sac. Congreg. *22 Aug. 1840 § Si quod. Indulgentia* Summi Pontificis id sanandum esse arbitror, praesertim cum in subscriptione uniuscuiusque quae apponitur

depositioni et in facto iurisiurandi initio praestiti, virtualiter idem contineatur.

Rem nunc in merito attingens, a quaestione nullitatis, severissimae trutinae, opus est praescindere ex circumstantiis. Nihilominus a dubio quod ad eam referretur non praescinderem. Conditionato enim modo procedit dispensatio super rato cum de validitate dubitari potest, absolute cum dubitari non potest. In 1. casu utrumque dubium ponendum est, in 2. sufficit dubium : *An consulendum SS»lio etc.* Atqui ex inferius dicendis evidens fiet, de validitate matrimonii in casu posse aliquantisper dubitari. Ergo utraque dubia poni debent I. *An constet de nullitate matrimonii in casu,* et quatenus Negative II. *An consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.*

Hisce responderem : Ad I. *provisum in secundo.*

Ad II. *Affirmative et ad mentem,* quae esset nimirum, ut curet Emus Archiepiscopus, ne vir transeat ad alias nuptias inconsulta S. Congregatione.

De affirmativa responsione ad alterum dubium et insimul de ratione mentis satis est loquamur.

Si quae est difficultas, in causis magis pro dispensatione quam in facto inconsummationis quaerenda esset. Revera, triplici quo utimur rationum momento, inconsummationem in casu solide arbitror ostendi.

1. *Iurata partium affirmatione.* Ad mulierem quod spectat, duobus vicibus, initio processus et in fine citata et interrogata mirum est qua prudentia, claritate et cohaerentia semper omnibus quae ad rem apposite proponebantur reposuerit.

Quoad virum. Obmutescens interrogationibus tantum respondit : « si Madame demande à juste titre la dispense du mariage, quant à moi je ne fais pas cette demande. Je suis disposé à reprendre la vie commune, si ma femme y consent . . . » Quaenam ex his interpretatio danda esset silentio eius super consummationem vel inconsummationem

matrimonii ? tacite inconsummationem fateri. Mulieri casus fuisset contradicere quantum possibile. Quid etiam aliud ostendunt eius responsiones ad 10: « Songez-vous à présent à vous soumettre à une visite médicale ? Non. Je repète que je ne me soumettrai pas à une visite médicale, mais je n'ai pas de motifs particuliers à alléguer pour ce refus >.

Testimonio septimae manus. Duplicem in finem hoc invocatur, 1. pro fide partibus nec ne praestanda, 2. pro facto ipso inconsummationis vel consummationis matrimonii ex eorum scientia. Testibus a sola Eugenia inductis duo ex officio a Iudice delegato adiunguntur Dr. Arthurus Bruylants et sac. Mathias Oliver Parochus-Decanus. Porro, quoad fidem partibus praestandam Parochus ait : « Oui, vous pouvez avoir toute confiance dans Madame Eugénie ; elle est pieuse et fréquente bien les sacrements, et jouit d'une excellente réputation. Quant au mari il ne mérite pas de confiance ». Huic concinit Dr. Bruylants : « Je crois à la véracité de Madame, mais je doute de celle du mari ». Eugeniae Mater: « Oui, vous pouvez avoir pleine confiance dans ma fille Eugénie pour toutes le dépositions qu'elle a faites, ou qu'elle ferait devant ce tribunal ». Pater addit : « Je vous l'affirme sous serment ». Eadem ab aliis testibus, quorum omnium verbis vim addit Parochus Olivier cum quaest. 10, 11 reposuerit: « Oui, jedes connais (testes omnes) ils sont tous mes paroissiens et sont tous dignes de foi. . . . . .Oui, le Dr. Bruylants remplit ses devoirs religieux et jouit d'une bonne réputation comme médecin ».

De eorum iudicio quoad inconsummationem, excepto teste Bruylants, omnes sunt ex auditu et quidem nonnisi post desertum thalamum.

Demum *Iudicio medicorum.* Quanti hoc faciendum sit in casu, cfr. De Luca *De Iudiciis disc. 33 n. 20,* et Abbas *in Cap.* Proposuisti *4 de Probat, n. 3.* Habemus eorum duos ab Iudice deputatos clariss. Eugenium Hubert et clariss. Carolum Ledresseur, utrumque in Universitate Catholica Lovaniensi institutorem: unum obstetriciae et gyne-

cologiae, alterum in medica facultate. Uterque mulieris integritatem confirmat.

Ex his omnibus nescio an quis moraliter certus non evadat, matrimonium in casu consummatum non fuisse.

Ad *Causas* largiendae dispensationis gradum facientes, singulas quae in casu occurrunt expendamus. Si impotentia viri, quaecumque ea sit, nequivit adhuc probari, certum est ex allatis eamdem nequire excludi, quin imo valde esse probabilem. Atqui id iam sufficientem praebere rationem ad habendam dispensationem aiunt Ursaja *tom. III, part. II, Discept. XXI, n. 30,* De Luca *De Matrim. Discept. VII, n. 7,* et omnes communiter sive Theologi sive Canonistae.

^OTUM CANONISTAE. Prout Emi PP. probe norunt, ad obtinendam dispensationem super aliquo matrimonio rato et non consummato, duo veluti extrema fundamentalia concurrant necesse est, factum scilicet non consummationis matrimonii et existentia causarum, ad eandem dispensationem impellentium. Quibus semel positis, SSmus expetitam dispensationis gratiam solet semper benigne largiri.

Constare vero in themate certitudine morali de matrimonii non consummationis facto, colligitur in primis ex mulieris depositione, quae sub iuramenti religione candide fassa est, a primis usque maritalis consortii temporibus maritum suum, etsi a se frequenter sollicitatum, variis sub praetextibus a debito reddendo se excusasse ; ceteris vero vicibus eius ad hoc tentamina in irritum semper cessisse : membrum virile erectionem ab initio praeseferens in actu congressus mox rigiditatem amittere, adeo ut ipsum nunquam in vaginam penetrare potuerit. Hinc ipsa mulier saepe virum adhortata est, ut medicum consuleret. Haec aliaque huiusmodi eadem Eugenia magno animi candore, absque ambagibus, sine tergiversatione, sine ulla nec in minimis contradictione in altero examine apprime confirmat, plene satisfaciendo omnibus dubiis et consultissimis iudicis delegati interrogationibus.

Iam vero huiusmodi confessio in quonam pretio sit habenda et quantum in iure conferat ad demonstrandam inconsummationis veritatem, nemo ignorat, et docent Spondenus *Ann. Eccl. an. 1599,* Conrad. *Prax. Disp. lib. 6, cap. 7,* aliique. Agitur enim in casu non de simplici et nudi facti enunciatione, quae rationabile de mendacio dubium facile posset ingerere, sed agitur de confessione pluribus vallata circumstantiis, prolata a puella ingenua et mentiri nescia ; iudici siquidem sciscitanti : « Quand avez-vous rapporté à votre mère que le mariage n'avait pas été consommé ? » Candide respondit : « Le soir même de la fuite de mon mari j'ai dit à ma mère, que ce n'était pas possible que mon mari fût coupable d'attentats sur des garçons, puisqu'il n'avait jamais eu de relations avec des femmes et que moi-même j'étais encore comme avant mon mariage ».

Quae probatio omnem vim et firmitatem accipit ex septimae manus suffragio. Mulieris enim consanguinitate et affinitate propinqui, et quod pluris est, ipse Parochus loci Tirlemont ex officio vocatus, non modo dictis mulieris nullimode contradicunt, plus minusve per eam narrata confirmant, sed uno ore Bugeniam renuntiant honestissimam ac fide prorsus dignam.

Concors vero septimae manus attestatio « quamvis deponere non valeant de facto occulto, eorum tamen depositio sufficit pro adhibenda fide coniugibus » ait Cosci *De separat, tiior. lib. 3, cap. 2, num. 138.* Et rationem affert Turrecremata, iuxta D. Bonaventuram in *can. Requisivisti 2, caus. 33, q. 1, n. 4:* « Quod quamvis de actu illo numquam habeatur certitudo per facti evidentiam, homo tamen, ut plurimum per signa probabilia et coniecturas deponit ; quae quamvis non sufficiant ad generandam scientiam, sufficiunt tamen ad generandam fidem seu credulitatem ».

Et si quis forte dubitaret de iudicio ingenuo mulieris in puncto consummationis, quae si non fallere saltem falli posset, praesto est medicus Ladresseur, qui ad rem a iudice rogatus, reponit : « Madame Eugénie me parait donnée

d'assez.de calme et de sang-froid pour avoir pu constater l'introduction, soit par la douleur qu'elle aurait éprouvée, soit par d'autres sensations ».

Neque officit in casu defectus testium septimae manus ex parte viri eiusque absolutum silentium in facto non consummationis matrimonii ; praeterquam enim defectui huiusmodi supplevit iudex ex officio, ut supra innui, silentium viri potius dicta mulieris confirmare videtur; et in iure habetur veluti tacita confessio, praesertim in casu cum viri magis intererat consummationem affirmare, si revera intercessisse^ utpote cupienti consortium cum uxore sua post expletam poenam iterum restaurare. Ceterum alteri parti nocere haud debet defectus proveniens unice ex mala alterius partis voluntate, et aliunde sexcenties S. C. processit ad consulendam gratiam dispensationis, licet septima viri manus deesset ut in *Parisien. 28 Martii 1857.*

Allatis concludentibus probationibus ad certitudinem moralem adstruendam de matrimonii Eugeniae inconsummatione, accedit certitudo physica ex oculari eiusdem muliebrium exploratione a peritis viris peracta. Praeter enim iudiciales depositiones doctoris, qui antea corpus Eugeniae inspexerat, quique eam integram renuntiat, duo medici professores in Universitate Catholica Lovaniensi ab archiepiscopali Curia deputati, expleta inspectione, testantur se in Eugeniam invenisse omnia anatomica virginitatis indicia : hymenem integrum, orificium vaginae adeo arctum, ut admitti haud posset normalem in ea virilis penis introductionem absque eiusdem membranae effractionis signis, aut saltem vaginalis ostii ampliationis et deformationis : et hoc, addunt, etiam in hypothesi quod virile membrum fuisset infra mediam dimensionem. Quin imo iidem doctores aliquam adiiciunt facti explicationem deductam ex ratione vitae viri, quem designant perversimi seu corruptum circa appetitum carnalem « *an invertì du sens génital »;* et experientia docet, huiusmodi homines, ut plurimum parum appetere femineum sexum.

Porro si paulisper attendatur ad communem canonista-

rum sententiam, quod scilicet periti cognitores non ad testificandum, sed potius ad iudicandum solent adhiberi, De Luca *de iudic. disc. 33, num. 70.* Abbas in *Cap. Proposuit 4 de prob.* Trescus *Biscep. f or ens. cap. 572, n. 48,* iam quin cetera loquar, nullum superesse videtur dubium in casu matrimonium non fuisse consummatum.

Verum equidem est, inspectionem contra iuris praescriptum expletam fuisse directe per medicos et non per obstetrices, sed hodie id a S. C. C. non improbari exploratum est.

Neque officit quod mulieris balneum non fuerit eius explorationi praemissum : etenim balneus non censetur adeo necessarius ad detegendas fraudes, ut eius omissio constituat gravem difficultatem pro veritate dignoscenda : praesertim quando nulla existat fraudum fundata suspicio. Hinc in Istructione a Suprema S. C. Officii data pro conficiendo processu in huiusmodi causis, legitur : « Adhibito prius mulieris balneo, *si necessario phisyci iudicaverint ».*

Demum ad difficultatem quod mulier per quatuor annorum spatium numquam reclamaverit contra viri impotentiam responderi potest, iuxta deducta per Sánchez *De Matrim, lib. 7, disp. 109, n. 6 et 7,* et late docet Panimoll. *dec. 15, an. 14,* quod nempe mulier semper est audienda quando in negando copulam parata est ad sui corporis ostensionem. Unde S. C. C. licet mulier post trium et amplius annorum spatium reclamasset, quandoque solvit matrimonium, ut in *Romana Matrimonii 22 Aug. et 25 Nov. 1840.* Praesumptio enim consummationis matrimonii ex longo mulieris silentio derivata, veritati per alias demonstrationes probatae cedat oportet, ut tradunt Barbosa in *lib. Decret, tit. 26, cap. 1, n. 8,* Pontius *De Matrim, lib. 7, cap. 66, n. 11,* et Constantinus *vol. uH. an. 18.*

Ceterum rationem sui silentii assignat ipsamet mulier inquiens : « Je n'en ai rien dit à mes parents, ni à d'autres personnes, parceque mon mari m'avait demandé de ne rien dire. . . . j'ai souvent parlé de ces difficultés à mon mari ;

il a fini par dire que cela pouvait être aussi bien de ma faute que de la sienne ».

Post haec, ad causas pro dispensatione impetranda quod spectat, brevi me expediam, cum eas in casu non deesse cuique speciem facti vix legenti manifestum appareat. Atque in primis frequentes Francisci excusationes a debito coniugali reddendo, inania ad id conamina, integritas mulieris post quatuor annorum cohabitationem, studiosum hac in re viri silentium eiusque obstinata recusatio ad sui corporis ostensionem, nonne haec in animum iudicis ingerunt fundatum ad impotentiae dubium ? Porro translatitium est solam etiam et unicam alterutrius coniugis dubiae vel probabilis impotentiae rationem semper habitam esse uti iustissimam et gravem ad obtinendam dispensationis gratiam. Ad rem Sánchez *lib. 2, disp. 16, num. 5:* et Cosci *lib. 2, cap. 16, n. 197 ac lib. 3, cap. 2, n. 386,* ait : quando impotentia adstruitur pro motivo et causa gratiosae dispensationis, non illam exigit certam et concludentem probationem, sed satis est, quod dicta impotentia sit adeo probabilis, ut Summus Pontifex illam veram existimare possit, et ad gratiam moveri.

Huic causae et altera non minoris gravitatis accedit, periculum scilicet incontinentiae pro puella, in fiorenti aetate constituta et spiritualis inde eius utilitas. Ita Doctores unanimiter docent, et praesertim laudatus Cosci *lib. 3, cap. 2, n. 107.*

Tertia ratio reponi potest in themate in iudicio separationis apud laicum tribunal iam favorabiliter expleto.

Quarta assignari legitime debet in animorum alienatione et reconciliationis impossibilitate. Ursaya *Discept. 21, n. 60 et seq., tom. 3, part. 2, et discept. 7, n. 76, 77, tom. 3, part. 1.* Audiatur sane mulier, quae plura complectens ait : « La vie commune me serait désormais impossible, je ne saurais retourner avec lui. J'ai trop souffert pendant les quatre ans que j'ai été avec lui. Il n'est jamais parvenu à remplir ses devoirs d'époux ; il fait des dépenses exagérées ;

il a un caractère très difficile, et à tout cela s'ajoute une *condamnation infamante* ».

Et revera si homo cum sit in honore comparatur quandoque iumentis insipientibus, hic contemptibilior, immo et abominabilis evadit, quum detestabilium nefandorumque criminum, a quibus ipsa natura abhorret, in conspectu Dei et hominum noxius factus sit. Et profecto valde repugnare debet honestae mulieri cum tali viro communem ducere vitam.

Omnibus igitur perpensis, mihi videtur miserae mulieri suppetias ferendas esse, et consulendum SSmo pro dispensatione super eius matrimonio rato et non consummato, prouti etiam in votis est Emi Archiepiscopi Mechliniensis.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Matrimonium, quod die 13 Septembris anni 1888 Eugenia in aetate tum annorum 22 constituta, contraxit cum ludimagistro Francisco, 38 aetatis annum agente, post quartum cohabitationis annum opere imperfectum proclamavit.

Assertionem Eugeniae pronis auribus excipiunt lectissimi consultores, theologus et canonista ; fide dignam existimant Eugeniam testes *septimae manus* ac parochus ; at Franciscus sive pro, sive contra consummationem matrimonii testimonium dicere mordicus recusat.

Iudicium obstetricum ad tramites Instructionis die 22 Augusti 1840 a S. C. C. editae frustra quaeris. Iudex enim inquisitor, nescio quo fato, revisionem corporis Eugeniae non tribus obstetricibus, sed duobus medicis commisit, qui absque honestae matronae praesentia, absque balneo perfunctorie negotium absolverunt.

Hisce minime obstantibus medici cognitores ea renuntiant, quae inconsummati matrimonii argumentum, physicam scilicet uxoris virginitatem extra dubitationis haud ponunt aleam. Porro medicus Hübet ait : « *T y remarque quelques traces d'inflammation ancienne* » alter peritus Ledresseur inquit : « *Tai constaté à Vexamen des organe* génitaux externes la persistance de Vhymen pea modifie. Il offre à*

droit et à gauche des fissures très peu profondes, qui ne semblent p) as avoir été produites par des rapprochements sexuels».

Quaerenti iudici : « Les fissures que l'hymen offre à droite et à gauche, ne peuveut-elles pas avoir été produites par des rapprochements sexuels ? Ces mêmes fissures se rencontrent elle parfois chez des vierges qui n'ont subi aucune tentative du coït ? » Medicus Ledresseur reponit : « Elle ne ressemblent pas aux déchirures irregulières, habituellement produites par les rapprochements sexuels, et elles peuvent du reste se rencontrer chez des vierges ».

Iudici urgenti : « N'avez-vous pas remarqué aux parties génitales quelques traces d'inflammation ? Celle-ci ne peut-elle pas avoir été provoqué par des rapprochements sexuels ? » respondet idem medicus : « Madame Eugénie porte des traces évidentes d'inflammation des organes génitaux internes. Oui, cette inflammation peut parvenir de rapprochements sexuels, mais elle peut parfaitement se retrouver chez des personnes vierges ».

Iterum iudex : « Pourrait-on soutenir que, s'il existe des traces d'inflammation ancienne aux parties génitales ou des fissures à la membrane hymen, des rapprochements sexuels normaux en ont été la cause ; ou bien l'état actuel des organes exclut-il cette cause ? » Ad haec medicus :
o
« L'état actuel des organes plaide plutôt en faveur de l'exclusion de cette cause ».

Adhuc iudex : « Avez-vous la certitude qu'un seul rapprochement sexuel aurait déchiré l'hymen, de sorte que après un pareil rapprochement, l'état des organes serait autre qu'il ne l'est maintenant ? » Medicus : « Il est fortement probable qu'un seul rapprochement sexuel aurait suffi, dans les circonstances ordinaires où se pose cet acte, pour déchirer l'hymen et lui enlever les caractères qu'il offre encore aujourd'hui. Je n'ose pas exclure la possibilité du contraire à cause de la dilatabilité de l'orifice hyménéal, dont j'ai fait mention dans mon rapport, mais la chose ne me paraît guère probable ».

Igitur medici cognitores deprehenderunt quae assertam Eugeniae integritatem reddunt ancipitem. Idque etsi periti praeter genitalia reliquum muliebris corporis habitum non explorarunt, nec adhibuerunt balneum. Iam vero proceres salutaris artis, quos inter Zachias *quaest, med. legal, lib. 6, tit. 2, q. 7, num. 3 et seqq. lib. 4, tit. 2, q. 3, n. 13,* tradunt argumenta amissae virginitatis nedum a cunnu, verum etiam ab aliis corporis partibus deprehendi. De balneo autem celebris archiater Paulus Brouardel in causa *Parisien, matrimonii 21 Iul. 1888* et 7 *Septemb. 1889* monet : « *II est possible que sous V influence d* Un bain, la* laxité *de la membrane ait été plus grande* ».

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SS?ao pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congr. C. re disceptata sub die 28 Martii 1896, censuit respondere : *Affirmative.*

PACTEN.

IURIUM PAROCHIALIUM

Die 13 Iunii 1890.

Sess. 24 Cap. 1 De Ref.

COMPENDIUM FACTI. In oppido *vulgo divi Petri supjra Pactas* Dioecesi Pacten. Archiepiscopali Messanensi subiecta, inde ab immemorabili annorum serie, praeter unam Matricem Ecclesiam sub invocatione S. Pancratii, et unum Parochum, Archipresbyteri titulo insignitum, alia extabat filialis Ecclesia titulo *S. Mariae,* omnimode matrici Ecclesiae subdita, adeo ut sacerdotes servitio huius filialis Ecclesiae adscripti, nullo non tempore ceu proprie dicti archipresbyteri coadiutores et habiti sint, et reapse extiterint.

Huiusmodi Ecclesia a *S. Petro supra Pactas* nuncupata, suam administrandi rationem, prouti ex Actis perhibetur, tertio fere abhinc saeculo immutatam non parum habuit. Quandoquidem, Sede episcopali pactensi vacante, Archiepiscopus Messanen. Fr. Bonaventura Secusio sacram exolvens huius dioeceseos perlustrationem *die 6 Maii 1607*, qua Visitator et proinde etiam qua Apostolicae Sedis Delegatus, *ob excretam nimis populi multitudinem* videtur Ecclesiam S. Mariae usque tunc omnimode ab Ecclesia matre dependentem, suo decreto in proprie dictam Paroeciam instituisse et erexisse.

Attamen in tali Paroeciae erectione decernenda, uti fertur, Archiepiscopus Secusio aliquot praelationis et praeeminentiae iura ipsi Archipresbytero Matricis Ecclesiae, tribuenda esse statuit. Paucis autem a decreto Institutionis novae Paroeciae transactis diebus, *die* nimirum *19 Maii 1607,* ipsemet Archiepiscopus, indicto concursu et omnibus adhibitis canonicis solemnitatibus, Ascanium Salerni, datis collationis et Institutionis litteris, erectae recens Paroeciae *S. Mariae* praefecit.

Quam ordinationem non nisi aegro animo tulerunt Archipresbyteri ad S. Pancratii. Namque vel inde ab exordio acerrimum certamen archipresbyteros inter et Parochos S. Mariae excitum et exercitum est; quum illi primaeva iurisdictione parochiali super Ecclesiam S. Mariae per illud episcopale decretum destituios fuisse detrectarent ; isti vero per illud ipsum decretum vere et proprie parochos effectos esse, abscisse contenderent. Longo annorum intervallo hinc inde haec iurisdictionis assertio et detrectatio efferbuit. Verum hisce postremis annis factum est, ut ex conniventia Parochorum ad S. Mariae, archipresbyteri omnem prorsus super Ecclesiam S. Mariae iurisdictionem absorbuerint et usque in praesens libere exercuerint.

Demum anno 1892, in parochum ad S. Mariae renunciatio est Ioseph Anzà et ex Pontificio *diei 15 Octobris eiusdem anni* collationis diplomate iuridicam Paroeciae S. Ma-

riae possessionem adeptus est. Hic aegre ferens subiectionem suae paroeciae ab Ecclesia matrice et ab Archipresbytero ad S. Pancratii , >prout huc usque ceteri parochi tulerant, S. C C . petiit, ut iuxta S. Concilii Tridentini legem restitueretur in essentialia veri et proprie dicti Parochi iura ab Archiepiscopo Messanensi solemni decreto collata.

Iamvero allegationes partium quod spectat, Decretum erectionis paroeciae exhibitum non fuit, litterae vero productae fuerunt collativae tituli primo Parocho nempe Ascanio Salerni ; aliaque proferuntur documenta ab Archipresbytero ad probandam Ecclesiae S. Mariae subiectionem, quorum authenticitas non omni gaudet firmitate; quamobrem de iuribus partium haec disserit Episcopus in suis litteris commendatitiis.

Quamvis exhiberi nequeat actum erectionis Paroeciae, tamen ex actu nominationis primi parochi a R. P. D. Secusio peractae, colligi est, Archiepiscopi intentionem fuisse erigendi in Ecclesia S. Mariae veram paroeciam ad normam Tridentini.

Ordinarium adductum ad eiusmodi erectionem fuisse gravibus atque iustis de causis , ita ut illius temporis Archipresbyter ipse nullam fecerit oppositionem.

Etsi actum erectionis lateat, tamen ex documento primae parochi institutionis, erui eidem collatam fuisse iurisdictionem paroecialem absque ulla limitatione.

Contentiones inter parochum et Archipresbyterum, hunc tantum habuisse finem ut alter resumeret quod amiserat, alter conservaret quod receperat.

Prosequitur Ordinarius : quando etiam maiores usurpationes de iuribus Paroeciae factae fuere ab Archipresbyteris, tamen Parochus S. Mariae electus semper fuit eodem modo ac primus, nempe praevio concursu, ad mentem Tridentini.

Hisce aliisque animadversis Ordinarius exoravit, ut S. C C decerneret, Parochum S. Mariae, iuxta primam institutionem, verum esse parochum ad mentem Tridentini, et illi soli esse iurisdictionem celebrandi matrimonia suorum paroe-

cianorum. Archipresbyterum vero agere contra sacros canones quando usurpât eiusmodi iurisdictionem. Deberi tamen eidem Archipresbytero rependi a Parocho, iuxta antiquam consuetudinem 50 libellas annuas, *iure recognitionis et superioritatis,* omnesque praeeminentias eidem reservari supra Parochum.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO PAROCHI. Parochus ad S. Mariae contendit ex decreto collationis ab Archiepiscopo Messanensi edito, vere et proprie dictum Parochum renunciatum fuisse, et proinde omnibus iuribus, muneribus et praeeminentiis veri et proprie dicti parochi fuisse instructum , iuxta ss. Canonum statuta et praesertim S. Conc. Trident., *Sess. XXIV, Cap. I De reform.*

Iamvero litterae collationis sunt sequentis tenoris: « Nos Frater Bonaventura Secusio Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Patriarcha Constantinopolitanus, Archiepiscopus Messanensis, Regiusque Consiliarius etc. dilecto nobis in Christo filio Reverendo utriusque iuris doctori D. Ascanio Salerni, terrae Sancti Petri supra Pactas, nostrae Messanensis Dioecesis, salutem in Domino semper.

« Cum in discursu nostrae Visitationis Terrae praedictae quaedam Parochialis Ecclesia sub titulo Sanctae Mariae in qua animarum cura exercetur a pluribus sacerdotibus in Communia existentibus sub cura Reverendi Archipresbyteri ultra maiorem Ecclesiam terrae praedictae sub titulo Sancti Pancratii Archipresbyteri nuncupata, quam idem Reverendus Archipresbyter terrae praedictae possidet a nobis initum (statutum) fuerit corrigere pluribus curatis Ecclesiis tamquam oneri incompatibili per se nequeat, sed unicuique proprium assignare decrevit.

« Propterea tam auctoritate ordinaria, quam ex S.Conc. Trid. Decreto, nec non sacris canonibus, Apostolicis constitutionibus, et ordinibus nobis attributis et omni alio meliori modo, *decrevimus (ob populi numerositatem, ne cura ipsa*

aliquod patiatur detrimentum) ipsam Ecclesiam in Parochialem erigere, et de proprio Parocho per concursum providere, et quia proposito publico edicto in forma, tam in valvis eiusdem S. Mariae, quam maioris Ecclesiae S. Pancratii, quam in valvis nostrae metropolitanae Messanensis Ecclesiae per concursum fiendo, et per examen ad dictam parochialem et solus comparuit et nemo alius, et in dicto concursu abstrictus, et praesentatus, et praevio et rigoroso examine de doctrina Sacramentorum, aliorumque administratione de qua animarum cura regenda interrogatus, statutis primo die a nobis examinatoribus synodalibus, nec paucioribus quam tribus ad praedictam curam animarum regendam in praedicta Ecclesia S. Mariae idoneus et habilis fuit repertus meritorum suorum propria virtute, tenore praesentium Ecclesiam ipsam S. Mariae in Parochialem erectam *cum annexis omnibus ac pertinentiis iuribus suis expressis praecipue in quodam actu, a nobis facto in discursu visitationis dictae terrae* et iuxta* formam ipsius actus auctoritate praedicta ordinaria et delegata ut supra, qua in hac parte fungimur, et omni alio meliori modo, tibi praefato D. Ascanio Salerni conferimus, et de illa quoad vixeris pro videmus ; quare Reverendo Archipresbytero, Vicario Foraneo, Clero et populo eiusdem terrae S. Petri supra Pactas, virtute sanctae obedientiae praecipiendo mandamus, quatenus quilibet eorum a te requisitus te praefatum D. Ascanium Salerni in dicta Parochiali per nos *canonice* provisum in talem habeant, tractent, reputent et admittant, sibique de praedicta Parochiali Ecclesia consuetis fructibus, ut supra in ipso actu expressis et assignatis ad illius onera supradicta integre faveant, reprehenderé contradictores et rebelles per censuras ecclesiasticas compeliendo, in quo cum fide praesentium etc.

« Datum in Terra Tortoreti in discursu nostrae visitationis die 19 Maii quintae indictionis 1607. Frater Bonaventura Patriarcha Constantinopolitanus, Archiepiscopus Messanensis ».

Exinde deducit parochus S. Mariae, se inamovibilem esse et, iure proprio, facultate pollere exercendi munera parochialia, independenter a quocumque alio parocho, eo magis quod in praefato collationis decreto nulla restrictio munerum parochialium facta sit, et nulla conditio aut praerogativa sive favore parochi archipresbyteri, sive in favorem matricis adiecta conspiciatur. Quod parocho videtur evidenter probare, ecclesiam S. Mariae in veram et proprie dictam paroeciam erectam fuisse absque ulla restrictione et dependentia ab ipso archipresbytero matricis ecclesiae.

DEFENSIO ARCHIPRESBYTERI. EX adverso archipresbyter ad S. Pancratii subdit, parochi intentionem potuisse admitti, si huiusmodi parochiae S. Mariae institutio facta fuisset per simplicem erectionem, sed non per dismembrationem. Ast quum ipsa in titulum paroeciae fuerit ab Archiepiscopo Secusio noviter erecta per dismembrationem a sua matrice, videndum est an in ipsius erectionis decreto (quod haud dubie collationem istius paroeciae novo parocho factam, anteire canonice debuit) fuerunt appositae huiusmodi limitationes, quarum vi saltem in aliquibus parochus S. Mariae remanere deberet archipresbytero ad S. Pancratii subiectus.

Porro explorati iuris est, prosequitur, Episcopum in. erectione novae paroeciae, maxime si haec ab Ecclesia matrice seiungendo fiat, posse in decus et favorem Ecclesiae matricis limitationes auctoritatis in novo parocho constituere; ipse quippe est qui delegat novo parocho partem sui pastoralis officii. Si ergo Archiepiscopus Secusio limitationes in erectione Sanctae Mariae constituit, hae quidem observandae sunt, et parochus Sanctae Mariae cum hisce limitationibus semel institutus, semper eisdem limitationibus subiacere debet.

Neque opponi potest, observat archipresbyter, Episcopum non posse adimere vel minuere iura parochorum eorumque officium, lege communi constitutum; nam hoc verum est, si agatur de parocho . iam constituto cum omni facultate ordinaria, non vero de parocho, qui noviter institutus fuerit, per matricis ecclesiae dismembrationem.

Verum quia parochus instat advertendo, Episcopum non posse limitationes addere, quae minuant facultatem ordinariam et substantialia munera parochi noviter instituti ; archipresbyter contra reponit non posse Episcopum, nisi ex gravi causa, in exteriori foro probanda, limitare, suspendere vel adimere substantialia munera parochialia parochi postquam haec adeptus fuerit, posse vero in decreto novae paroeciae, quae per dismembrationem a paroecia matrice fìat, limitare et minuere eiusmodi facultatem etiam quoad substantialia munera parochialia.

Praeterea non infìciatur archipresbyter, Archiepiscopum messanensem decrevisse erectionem S. Mariae in paroeciam, eamque de proprio parocho provisisse, sed autumat vi decreti erectionis *diei 6 Maii 1607,* statuisse favore archipresbyteri ecclesiae matricis aliqua recognitionis et superioritatis iura, quae in documento exhibito , ita recensentur ; « Subiectum vero dicto archipresbytero in aliquibus, scilicet in solvendo quolibet anno tárenos duodecim, tuminum unum tritici, et petiam unam easei, iure recognitionis et superioritatis, pariter quod dictus archipresbyter percipere debeat pro quocumque defuncto tam parvo, quam magno tarenum unum; tandem determinavit quod in dicta parochiali ecclesia non possit celebrari matrimonium absque expressa licentia in scriptis dicti archipresbyteri, pro qua percipere debeat tarenum unum; decrevit quod archipresbyter residere debeat in matrice ecclesia. »

Documentum istud plurimis rationibus adnititur parochus S. Mariae reiicere, utpote authentiâ destitutum et nulla fide dignum, sed inepte id obten tari a parocho non uno nomine archipresbyter contendit. In primis observans illud documentum antiqua manu, tempore non suspecto exaratum exhiberi in vetustissimis libris archivii parochialis, praestans stylo, indole et phraseologia, quibus notatur decretum collationis paroeciae noviter erectae.

Valorem documenti ex eo magis urget archipresbyter, quod nullo non tempore archipresbyteri ecclesiae matricis

eisdem libere usi et fruiti sint, tametsi non difnteatur archipresbyter, observantiam harum limitationum et privilegiorum, haud semper fuisse uniformem ob luctas, hinc inde exardescentes.

Huiusmodi iura ecclesiae matricis in suam filialem, ait archipresbyter, luculenter inferri ex eo quod constat centenario iam et ultra annorum decursu, omnes istas detrectationes evanuisse, et archipresbytero, nemine contradicente, has easdem ante, diu tam acriter oppugnatas praerogativas usque nunc pacifice retinuisse et exercuisse, eisdemque hactenus usos esse. Adeo ut ipse parochus fateatur: « Egli è vero, che nei libri parrocchiali esiste una deplorevole alternativa ; di matrimonii celebrati dal parroco ora *cum licentia,* archipresbyteri, ora *auctoritate propria.* »

Pro eadem documenti authentia, uti Archipresbyter subiungit, militat etiam receptissimum illud principium Capitis III *Ad audientiam, tit. 3, De ecclesiis aedificandis, lib. III,* quo disponitur - *Praeter iuspatronatus, parochiali antiquae suae matrici competenten honorem praestandum et assignandum esse.* - In quibus autem eiusmodi honor consistat, in plurimis contineri canonistae docent. Ita Fagnanus in cap. *Ad audientiam* III, *De ecclesiis aedificandas, num. 8,* exponit « *Ecclesiam constructam infra limites alterius paroeciae teneri aliquem honorem impendere matrici Ecclesiae* scilicet annuum census um in signum subiectionis; arg. cap.- Omnis anima - supra de censibus,* moderandum arbitrio Episcopi. . . . . *vel die clericos Ecclesiae noviter aedificatae teneri maiorem ecclesiam adire pro baptismo, scrutinio, capitulo et consimilibus, vel solvere illa iura, quae capellae debent Ecclesiae matrici* etc. »

Demum a partibus hinc inde , in libellis typis editis, afferuntur documenta sub saeculo decimo septimo edita, quibus unusquisque suam intentionem evincere conatur. — Sed neque in unam, neque in aliam partem rem conficere videntur haec documenta, quia possunt accommodari utriusque partis petitioni, sed eo magis quia de earum authentia aut

genuino fonte serio dubitari potest, quippe iam pridem in remotiore aetate et aestus contentionis producta fuerunt.

Ex quaestionis autem indole pronum est perspicere, hic agi an reapse Ecclesia S. Mariae in parochialem titulum erecta fuerit. Huiusmodi erectioni admittendae sane non obstant iura praeeminentiae et obsequii reservata Ecclesiae matrici, imo hoc est conforme praescriptioni iuris communis. Nihilominus inter haec signa subiectionis non videtur posse recenseri ius quod vindicari vellet Ecclesiae matrici privativum quoad matrimonia celebranda. Siquidem praecipue post Concilium Tridentinum, quum matrimonia ineunda sint coram *Parocho proprio,* nempe coram Parocho Ecclesiae apud quam *domicilium quis, aut quasi domicilium fovet,* evidenter fluere videtur ius celebrandi matrimonia necessario, ex voluntate iuris communis cohaerere cum officio parochi, adeo ut disiungi non valeat ab Episcopo. Quamobrem si evinci posset, hoc ius fuisse haud concessum Rectori Ecclesiae S. Mariae, sed idem perseverasse intactum apud Ecclesiam matricem, iam actum esset de iuribus parochialibus Ecclesiae S. Mariae.

Quod in propositum adverti debet hodiernum Ecclesiae Rectorem, expletis solemnitatibus collationi beneficiorum parochialium praeviis, institutum fuisse in hoc beneficio per Bullam Pontificiam collationis *diei 15 Octob. 1893;* qua haec significantur, nempe - *Parochialem Ecclesiam praefatam... cum adnexis* (fructibus) *huiusmodi ac omnibus illius iuribus et pertinentiis Apostolica Auctoritate tibi conferimus.* -

Hisce praenotatis proposita fuerunt diluenda

Dubia

An iura Parochiae competant Ecclesiae S. Mariae in casu. Et quatenus *Affirmative :*

An et quaenam iura debeantur Ecclesiae Matrici in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa sub die 13 Iunii 1896 censuit respondere : *Ad I*[um] *Affirmative. Ad II*[um] *Pro quacumque reservatione favore Apchipresbyteri solvendas esse*

a Parocho libellas quinquaginta tantum, facto verbo cum SSmo.

Ex QUIBUS COLLIGES: I. Cum ex Tridentino matrimonia iniri debeant coram parocho proprio, seu coram parocho Ecclesiae, apud quam domicilium aut quasi domicilium quis retinet, necessario fluere videtur ius assistendi matrimoniis digatum esse officio parochi, neque ab Ordinariis ipsis disiungi posse.

II. Ideo concipi nequiret in themate ecclesiam S. Mariae erectam fuisse in paroeciam, et ius assistendi matrimoniis permansisse in Ecclesia matrice.

THEATINA

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die i S Iunii 1896.

Sess. 24, cap 5 de ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Ioseph Giuliani vix duodeviginti annos natus desideriis matris acquiescens, ineunte Octobre 1889 sponsalia contraxit cum puella Nicolaa Antonia Masciarelli decimum septimum agente annum; ambo ex oppido *Casoli* Theatinae Archidioecesis.

Matrimonii celebratio autem protrahenda erat usque dum vir attingeret aetatem requisitam ad pseudo-matrimonium civile ineundum; at cum interea timeretur, ne pactae nuptiae a quodam iuvene, qui Antoniam videbatur deperire, disrumperentur, statutum fuit a partibus eorumque parentibus, ut ad quodcumque periculum praecavendum' matrimonium coram ecclesia quam cito celebraretur.

Quapropter *die 27 Novembris* praedicti anni Ioseph et Nicolaa legitimo iuncti sunt coniugio, hac autem sub expressa conditione, ut sponsi postea separati manerent, nec matrimonii consummationi operam darent usque ad civilis contractus celebrationem. Ac de facto, sacro ritu expleto, uterque coniux propriam repetiit domum, ibique sub vigili

parentum custodia moratus est, quin, uti videtur, ne brevi quidem temporis spatio simul fuerint solus cum sola.

Aliquot mensibus decursis, Ioseph ut barbitonsoris artem perfectius edisceret, annuente uxore eiusque matre *Lancianum* se contulit. Hac in Iosephi absentia iuvenis Pantaleo *di Bartolomeo* e loco *Caldari*, qui iam Nicolaam in sponsam appetiverat, circumvenire eam iterum cepit ;• quae, utpote levissimae indolis atque nefariis consiliis sororis et patrini impulsa, haud tardavit callidis Pantaleonis artibus illaqueari. Cuius amore obcoecata, Nicolaa, inscia matre, non horruit die 13 Septembris 1890 cum amasio fugam arripere, atque cum eo vinculum civile contrahere, quo ex contubernio iam tres filios suscepit.

Infelix Ioseph reversus in patriam probe noscens amplius coniungi non posse cum scelesta uxore et alioquin eius infirmam ac senescentem matrem indigere auxilio, de alia uxore ducenda serio cogitavit. Ideoque supplices Summo Pontifici, porrexit preces, postulans dispensationem sui matrimonii rati et non consummati.

Ex officio animadversum fuit, processuales tabulas haud bene confectas esse ; siquidem ex iis certe non constat, num Iudex delegatus, actuarius et praesertim vinculi defensor ex officio, emiserint iuramentum, nec pariter dignoscitur an ipsis coniugibus eorumque septimae manus testibus iuramentum de veritate dicenda delatum fuerit. Dum e contra processui annectitur sententia declarans matrimonium non consummatum, quam non requisitus et absque potestate Iudex protulit. Nam S. C. C. commisit Archiepiscopo Theatino tantum instructionem processus ad normam Const. *Dei miseratione* et *instructionis* anni 1840 eiusdem sacrae Congregationis.

Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Quaerit iste utrum de matrimonii in casu inconsummatione constet, et affirmative respondendum esse putat. Nam ex actis constat, matrimonium fuisse con-

tractum sub hac conditione, quod individua vitae consuetudo inter coniuges non stabiliretur, nec illud consummaretur, nisi post impletum actum civilem ; idque roborari videtur .ex tota coniugum et parentum, post initum matrimonium, agendi ratione, scilicet ex sedula vigilantia ne coniuges una simul vel ad instans convenirent.

Iamvero quemadmodum ex coniugum cohabitatione exurgit praesumptio matrimonium fuisse consummatum, Glossa *in cap. 4 Siquis accepit caste;* De Iustis *De dispens, matr. lib. 2, cap. 10, n, 24;* Pignatellus *Consult. 149, n. 1 etc.,* ita ex facto non constitutae individuae consuetudinis vel cohabitationis exurgere videtur praesumptio pro matrimonii inconsummatione.

Quae praesumptio sin minus vim addere videtur argumento quod ex coniugum confessione, septimae propinquarum testimonio roborata, deducitur.

Confessioni coniugum quae, cum septimae manus testimonio roboratur *arg. capit. 6, De frigid, et malef.,* magnam hac in re vim habet, accedit illum argumentum quod vulgo dicitur *coarctata.*

Ad hoc argumentum adstruendum notabat peritissimus Sacramenti vindex penes S. C. in Anconitana 14 Apr. 1894, « minime sufficit non coniugum cohabitatio, sed omnino requiritur, ut iidem coniuges numquam in eodem loco, remotis arbitris, convenerint prout tradit Conscius *De separ. tori, Cons. lib. 1, cap. 16, num. 14* - ibi - Hanc probationem facere possunt testes qui deponant, quod coniuges contracto matrimonio numquam una simul in eodem loco convenerint aut saltem quod coram aliis personis semper permanserint, iisque videntibus se separaverint ».

Atqui in themate haec amussim adstrui videntur, non solum ex iurata coniugum fide, sed ex aliis testibus omni exceptione maioribus.

Ex dictis testimoniis, ex publica fama et ex aliis adminiculis, quae fuse in tabulis processualibus exponuntur, in tuto positum esse videtur, coniuges numquam una simul et

solos convenisse in eodem loco, sed semper coram aliis personis permansisse, iisque videntibus se separavisse, quod, ceu monuimus, sufficit ad stabiliendam *coarctatum.*

Quae cum ita sint supervacaneum videtur adducere in confirmationem inconsummationis testimonium Pantaleonis, ex propria scientia deponentis se reperisse intactam mulierem, et Nicolai Porreca testantis, se tempore non suspecto audivisse haec a Pantaleone proferri.

Constare igitur videtur certitudine morali de matrimonii in themate inconsummatione.

Sed neque causae deesse videntur, quibus Rom. Pontifex moveri solet ad dispensationis gratiam impertiendam. Ex fuga enim et ex corruptione mulieris et ex ipsius coniugio contractu civili, inito cum seductore, qui insuper inimicus familiae Giuliani exhibetur, talis supervenit animorum dissociatio ac aversio, ut nulla de instaurando matrimonio spes affulgere videatur.

Dispensationi favet insuper vinculum civile iam contractum cum Pantaleone, ad quod, ob iniuriam temporum, ad graviora mala vitanda, respectum haberi debet.

Favet periculum scandali et perversionis Iosephi; favet demum infelicis seductae puellae conditio, quae a primi coniugii vinculo soluta, posset et coram ecclesia matrimonium contrahere cum eodem, cum quo nunc vinculo civili coniuncta est, et sic filios legitimare.

VOTUM CANONISTAE. Praesens quaestio tota reducitur ad hoc, nempe ut inquiratur an matrimonium inter Iosephum Giuliani, et Nicolaam Antoniam Masciarelli manserit *ratum j>* seu *inconsummatum,* cum de valore disputare non liceat, et an sit locus a Summo Pontifice vinculi sacramentalis relaxationem implorare.

His praemissis, ad quaestionem, utrum hoc matrimonium manserit *inconsummatum,* et an sit locus ad dispensationem a Summo Pontifice implorandam a vinculo matrimonii rati, non consummati : Respondeo affirmative.

Ex iudiciali enim Processu colligi posse, morali certi-

tudine, videtur, matrimonium hoc mansisse inconsummatum, et adhuc esse. Fundamentum iudicii ex actibus praebet ipse sponsus actor Giuliani, qui ab Archiepiscopo et " testibus omnibus exhibetur, et commendatur tamquam iuvenis benemoratus, honestus, religiosus, mendacii et periurii incapax eique fidem habendam esse sentiunt et conveniunt. Testes vero quamplures vocati, consanguinei, affines, amici, viciniores bene numerosi, omnes uno ore, et unanimi concentu idipsum affirmant iurati de bonitate vitae Giuliani, quem *numquam solum cum sola* fuisse in iudicio deponunt, sed semper coram vel matre, vel amicis colloquutum unanimiter asserunt et cum istis, quod notatu dignum est, etiam Pantaleo di Bartolomeo, et Nicolaa Masciarelli consentiunt.

Probata igitur, ut supra , inconsummatione, superest quaestio an consulendum sit SSmo Principi, ut dignetur dispensare super matrimonio *rato,* et non consummato, sicuti enixe postulat, et deprecatur actor Giuliani. Has autem iustas gravesque causas non deesse in casu patet.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. — Ioseph Giuliani, barbitonsor, matrimonium, quod die 27 Novembris 1889, aetatis 18 annum agens, cum Nicolaa Masciarelli, 17 annos nata, contraxit, opere imperfectum proclamat.

Laetissimi consultores, theologus et canonista, censent coniuges nunquam fuisse *solum cum sola.* Ast in probatis id minime esse mihi videtur.

Ad rem Cose. *De separat, tor. lib. I, cap. 16, n. 14:* (ibi) « Hanc probationem facere possunt testes qui deponunt, quod coniuges, contracto matrimonio nunquam una simul in eodem loco convenerint, aut saltem quod coram aliis personis semper permanserint, iisque videntibus se separaverint ».

Adesdum : pacificum est neo-coniuges in uno eodemque oppidulo « *Gasoli* » versatos esse per septem ferme menses; et in more habuisse *una simul in eodem loco convenire.* Quis auctor est, illos *coram aliis personis* semper *permansisse iisque* videntibus *se separasse?*

De scientia propria ne unus quidem id testatur: sed com-

plures loquuntur de *credulitate;* -iam vero testes de credulitate minime probant, ut tradit Leuren. *For. eccles, lib. 2, q. 612, n. 1:* (ibi) « Testes de credulitate, quales dicuntur qui iurati deponunt, se credere, rem se sic habere; v. gr. per verbum : *Videtur mihi,,* vel meo *iudicio,* etsi duo sint aut plures, ordinarie seu regulariter, *non admittuntur* nec probant.... Cum enim credulitas non nisi ex variis indiciis, coniecturis et praesumptionibus, ad summum tantum probabilibus et ex aliena scientia concipitur, nihil certi affirmare videntur, ac proinde multum deficiunt a ratione testium proprie talium, quales sunt qui deponunt de propria scientia sua, seu de eo quod ipsi sensu corporeo perceperunt ».

Huc accedit ut propalam sit credulitatem testium praesenti in causa falsis inniti *indiciis, coniecturis et 'praesumptionibus:* scilicet : « *che Nicolantonia non era lasciata mai sola . . . . e si confessava spesso* ». Si enim custodia matris atque sacramentalis confessionis frequentia minime prohibuerunt quominus Nicolantonia adulterinos foveret amores fugamque cum amasio condiceret, stultum et ludicrum est credere, eam per septem fere menses ne una quidem vice virum suum, quem tum deperibat, amplexatam esse.

Alii vero testes ne credunt quidem, coniuges non fuisse solum cum sola, sed affirmant tantum se perspectum non habere eos fuisse momento temporis absque arbitris.

Sed Pantaleo de Bartolomeo, inquis, testatur : sese mulierem integram reperiisse. Respondeo: si honestas, si a studio partium immunitas in iis qui testimonium dicunt requiritur, nescio quo iure iste Pantaleo accenseatur testibus. Sperandumne erat hominem illius furfuris iudici denuntiaturum, se pseudo-matrimonio sibi iunxisse feminam a viro compressam?

Ne videar actum agere, non immoror iudicialium tabularum vitiis, et mora haud interiecta ad inscriptum dubium rescribi submisse postulo «*Negative* ».

Hisce praeiactis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita sub die 13 Iunii 1896 censuit respondere : *Affirmative.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

DECRETUM quoad Missam et Officium s. Matthaei Apostoli et s. Agapiti Pontificis.

Per Decretum Sacrae Rituum Congregationis, datum die 5 Februarii elapso anno 1895, statutum fuit, ut quando die vigesima Septembris, in Laudibus et Missa facienda est commemoratio Vigiliae S. Matthaei Apostoli et Evangelistae, et Missa celebratur de Sancto Agapito Pont. et Conf., haec sit *Sacerdotes,* pro altera *Statuit.* Ad nonnullas vero difficultates praecavendas, Emus et Rmus Dominus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi, Episcopus Albanen, et Almae Urbis Vicarius a SSmo Domino Nostro Leone Papa XIII humiliter postulavit, ut deinceps, a Clero ipsius Urbis eiusque Districtus, semper et in quolibet casu, de praefato Sancto Agapito, dicantur Lectiones III Nocturni de Communi Conf. Pont., secundo loco, seu de homilia super Evangelium *Vigilate,* ac Missa *Sacerdotes.* Occurrente vero festo ipsius S. Pontificis *Quatuor temporibus,* Lectiones I Nocturni sint: *Laudemus.* Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, benigne annuit pro gratia iuxta preces: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 24 Iulii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI, *S. R. C. Secretarius.*

IANUEN. Beatificationis et Canonizationis Ven. servi Dei fr. Francisci a Camporubeo laici professi ordinis minorum sancti Francisci Capuccinorum.

E numerosa Fratrum Capuccinorum Familia, quae omnigenae virtutis professione iugiter emicuit, humilis proponitur Frater operarius animi candore et simplicitate praefulgens. Ortus in oppido *Camporubeo,* Archidioecesis Ianuensis, die 27 Decem-

bris anno 1804, e piis agricolisque parentibus Anselmo Croese et Antonia M. Garza, in sacro fonte a Ioanne nomen accepit. A prima aetate ad virtutem proclivis, statim ac rationis lumen acquisierit, Parocho loci instituendus traditur. Grandiusculus factus et pascendo gregi addictus, nec tempus nec operam insumebat frustra. Nam partim orando,-partim fldei rudimentis morumque praeceptis imbuendo socios, et ad pietatem infiammando, parvulus videbatur apostolus. Cum iisdem solebat quotidie Missae sacrificio interesse, antequam pecus in pabulum adigeret ; atque iuvenilia fugiens solatia, et ad sanctam conversationem et meditationem intentus, adeo spiritu proficiebat, ut de perfectioris vitae instituto ineundo excogitaret. Voti compos factus, in Coenobium *Sexti* tertiarius inter Fratres Conventuales receptus fuit; ibique biennio moratus, ad austeriorem vitam sese attrahi persensit ; praesertim quum tyronem capuccinum piissime orantem vidisset. A Conventualibus ad Capucemos gradum faciens Dei Servus, primum Vulturii habitum coetus tertiarii induit, deinceps Genuam missus, in Coenobio S. Barnabae tirocinium naviter explevit. Ibidem, relicto natalitio nomine, Franciscus appellatus, solemnia vota, mense Decembri anno 1826, professus est. Haud multo post in alterum coenobium, a Deipara sine labe Concepta nuncupatum, ex obedientia translatus, in eo usque ad vitae exitum permansit. Officia, quae Fratribus operariis imponi solent, Franciscus docili tutarique animo diligentissime exequebatur ; eidemque per septennium probato in domesticis ministeriis, alterum externum commissum fuit quaeritandi stipem pro coenobio ac coenobii valetudinario. Amplior tunc campus illi patebat multiplices virtutes ac praesertim charitatem ac zelum in proximum exercendi. Nam in hoc humili ac laborioso ministerio interdum iniuriis, alapis ac saxis quoque impetitus, omnia pro Christo cum gaudio ferebat. Ofierentibus stipem, a Largitore Deo centuplicem apprecabatur. Paupertatis amans, ne pecuniam tangeret, saepe puerum ipsam recepturum, secum ducebat. Haec et alia de servo Dei Processus Ordinarius refert, ex quo item constat eius oratio assidua, sacramentorum frequentia et singularis devotio in Deiparam Virginem et in Sanctos Patronos Franciscum Assisiensem et Antonium Patavinum, quos etiam, ipso deprecante, egentibus suppetias tulisse compertum est. Ineunte autem anno 1866, ut dira lues, quae hac illae grassabatur, a civium capitibus arceretur, per S.P. Franciscum se Deo victimam obtulit; indeque pluries Servus Dei resolutionis suae diem praedixisse fertur. Interim ad Beatae Mariae Virginis Sanctuaria, quae Vulturii extant, unum *ab Aqua Sancta,* alterum a *Gratiis* cognomine appellatum, se contulit. Genuam reversus, quum iam infirma et attrita valetudine uteretur, gravius aegrotare coepit, sancteque recepit abeuntium sacramenta. Tandem a Fratribus adstantibus et plorantibus venia implorata, veluti serena dormitione abreptus, in osculo Domini

e vita migravit, die Festo Impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci 17 Septembris eodem anno. Corpus Servi Dei rite .compositum in coemeterio, cui *a Stalieno* nomen est inditum, pie reconditum, atque a communi sepulcro in monumentum marmoreum, Ianuensium pietate impensisque erectum, dein translatum, cives e quolibet ordine confluentes attrahit. Praeterea humilis laici Professi fama magis magisque increbrescente, Ordinaria Inquisitio in Ecclesiastica Curia Ianuensi super ea iure instituta fuit et Sacrae Rituum Congregationi exhibita. Instante vero Rmo Dno Bernardo M. Nardi Episcopo Thebano et Postulatore Generali Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, iam approbata, die 11 Februarii 1895, sententia Sacrae eiusdem Congregationis super revisione scriptorum Servi Dei, subsequentibus Decretis 15 Iunii 1895 et 8 Iunii 1896 benigne concessit, ut dubium de Causa introducenda eiusdem Servi Dei, ante praescriptum lapsum decennii, in Congregatione ordinaria absque interventu et voto Consultorum proponeretur. Quare ad enixas iteratasque preces memorati Postulatoris, attentis epistolis postulatoriis plurium Rmorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum et Capitulorum, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Camillus Mazzella, huiusce Causae Relator, in ordinario Sacrae Rituum Congregationis Coetu, subsignata die, ad Vaticanum habito, sequens dubium discutiendum proposuit, nimirum : « *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum, de quo agitur?* » Et Sacra eadem Congregatio, omnibus mature perpensis et audito R. P. D. Gustavo Persiani, Sanctae Fidei Promotoris munere fungente, rescribendum censuit : « *Affirmative, seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo Domino placuerit* ». Die 28 Iulii 1896.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est commissionem introductionis Causae praedicti Venerabilis Servi Dei Francisci a Camporubeo, die 9 Augusti eodem anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, & *R. C. Praefectus.*

L. * S.

A. TRIPBPI, *S. R. C. Secretarius.*

LITTERAE APOSTOLICAE SSmi D. N. Leonis Papae XIII.
De ordinationibus anglicanis.

Apostolicae curae et caritatis, qua *Pastorem magnum ovium. Dominum nostrum Iesum Christum* (1), referre pro munere et imitari, aspirante eius gratia, studemus, non exiguam partem pernobili Anglorum nationi tribuimus. Voluntatis in ipsam Nostrae ea praecipue testis est epistola, quam superiore anno dedimus propriam *ad Anglos, regnum Christi in fidei unitate quaerentes:* eiusdem quippe gentis et veterem cum Ecclesia matre coniunctionem commemorando revocavimus, et felicem reconciliationem , excitatâ in animis orandi Dei sollertia, contendimus maturare. Rursusque haud ita pridem,quum communibus universe uteris de unitate Ecclesiae fusius agere visum est, non ultimo loco respeximus Angliam; spe praelucente, posse documenta Nostra tum catholicis firmitatem, tum dissidentibus salutare lumen afferre. Atque illud fateri libet quod aeque gentis humanitatem ac multorum sollicitudinem salutis aeternae commendat, id est quam benevole Anglis probata sit instantia Nostra et dicendi libertas, nullo quidem acta humanae rationis impulsu. — Nunc autem eadem Nos mente eodemque animo deliberatum habemus studia convertere ad quamdam non minoris momenti causam, quae cum ea ipsa re votisque Nostris cohaeret. Quod enim apud Anglos, aliquanto postquam ab unitatis christianae centro abscessum est, novus plane ritus ordinibus sacris conferendis, sub rege Eduardo VI, fuit publice inductus; defecisse idcirco verum Ordinis sacramentum, quale Christus instituit, simulque hierarchicam successionem, iam tenuit communis sententia, quam non semel Ecclesiae acta et constans disciplina firmarunt. Attamen recentiore memoria hisque maxime annis invaluit controversia, sacrae ne Ordinationes ritu eduardiano peractae, natura sacramenti effectuque polleant; faventibus, affirmate vel dubitanter, non modo scriptoribus anglicanis nonnullis, sed paucis etiam catholicis praesertim non anglis. Alteros quippe movebat praestantia sacerdotii christiani, exoptantes ut duplici eius in corpus Christi potestate ne carerent sui ; movebat alteros consilium expediendi quodammodo illis reditus ad unitatem: utrisque vero hoc persuasum esse videbatur, iam studiis in eo genere cum

(1) Hebr. xm, 20.

aetate provectis, novisque litterarum monumentis ex .oblivione erutis, retractari auctoritate Nostra causam non inopportunum fore. Nos autem ea consilia atque optata minime negligentes, maximeque voci obsequentes apostolicae caritatis, censuimus nihil non experiri quod videretur quoquo modo conducere ad animarum vel avertenda damna vel utilitates fovendas.

Placuit igitur de retractanda causa benignissime indulgere: ita sane, ut per summam novae disquisitionis sollertiam, omnis in posterum vel species quidem dubitandi esset remota. Quapropter certo numero viris doctrina et eruditione praestantibus, quorum compertae erant dissimiles in ipsa causa opiniones, negotium dedimus ut momenta sententiae suae scriptis mandarent: eos deinde ad Nos accitos iussimus communicare inter se scripta, et quidquid eo amplius ad rem cognifcu esset dignum, indagare atque expendere. Consultumque a Nobis est, ut ipsi diplomata opportuna omni possent copia in tabulariis vaticanis sive nota recognoscere, sive inexplorata educere; itemque ut prompta haberent quaecumque eiusdem generis acta apud sacrum Consilium, quod *Supremo,* vocatur, asservarentur, neque minus quaecumque ad hoc tempus doctiores viri in utramque partem evulgassent. Huiusmodi adiumentis instructos, voluimus eos in singulares congressiones convenire ; quae ad duodecim sunt habitae, praeside uno ex S. R. E. Cardinalibus a Nobismetipsis designato, data singulis facultate disputandi libera. Denique earumdem congressionum acta, una cum ceteris documentis, Venerabilibus Fratribus Nostris Cardinalibus ex eodem Consilio iussimus exhiberi omnia ; qui meditata causa eaque coram Nobis deinde agitata, suam quisque sententiam dicerent.

Hoc ducendae rei ordine praestituto, ad intimam tamen aestimationem causae aequum erat non ante aggredi, quam id perstudiose quaesitum apparuisset, quo loco ea iam esset secundum Apostolicae Sedis praescriptiones institutamque consuetudinem; cuius consuetudinis et initia et vim magni profecto intererat reputare. Quocirca in primis perpensa sunt documenta praecipua quibus Decessores Nostri, rogatu reginae Mariae, singulares curas ad reconciliationem ecclesiae Anglicae contulerunt. Nam Iulius III Cardinalem Reginaldum Polo, natione Anglum, multiplici laude eximium, Legatum de latere ad id opus destinavit, *tamquam pacis et dilectionis angelum suum,* eique mandata seu facultates extra ordinem normasque agendi

tradidit (1) ; quas deinde Paulus IV confirma vit et declaravit. In quo ut recte colligatur quidnam in se commemorata documenta habeant ponderis, sic oportet fundamenti instar statuere, eorum propositum nequaquam a re abstractum fuisse, sed rei omnino inhaerens ac peculiare. Quum enim facultates Legato apostolico ab iis Pontificibus tributae, Angliam dumtaxat religionisque in ea statum respicerent; normae item agendi ab eisdem eidem Legato quaerenti impertitae, minime quidem esse poterant ad illa generatim decernenda sine quibus sacrae ordinationes non valeant, sed debebant attinere proprie ad providendum de ordinibus sacris in eo regno, prout temporum monebant rerumque conditiones expositae. Hoc ipsum, praeter quam quod ex natura et modo eorumdem documentorum perspicuum est, inde pariter liquet, quod alienum prorsus fuisset, ita velle de iis quae sacramento Ordinis conficiendo necesse sunt, propemodum commonefleri Legatum, eumque virum cuius doctrina etiam in Concilio Tridentino eluxerat.

Ista probe tenentibus non difficulter patebit quare in litteris Iulii III ad Legatum apostolicum, perscriptio die VIII martii MDLIV, distincta sit mentio de iis primum qui *rite et legitime promoti,* in suis ordinibus essent retinendi, tum de iis qui *non promoti ad sacros ordines,* possent, *si digni et idonei reperti fuissent, promoveri.* Nam certe definiteque notatur, ut reapse erat, duplex hominum classis: hinc eorum qui sacram ordinationem vere suscepissent, quippe id vel ante Henrici secessionem, vel si post eam et per ministros errore dissidio ve implícitos, ritu tamen catholico consueto; inde aliorum qui initiati essent secundum Ordinale eduardianum, qui propterea possent *promoveri,* quia ordinationem accepissent irritam. Neque aliud sane Pontificis consilium fuisse, praeclare confirmat epistola eiusdem Legati, die XXIX ianuarii MDLV, facultates suas episcopo Norwicensi demandantis. Id amplius est potissime considerandum quod eae ipsae Iulii III litterae afferunt, de facultatibus pontificiis libere utendis, etiam in eorum bonum quibus munus consecrationis, *minus rite et non servata forma Ecclesiae consueta,* impensum fuit: qua quidem locutione ii certe designabantur qui consecrati eduardiano ritu; praeter eam namque et catholicam formam alia nulla erat eo tempore in Anglia.

(1) Td factum augusto mense MDLIII per litteras sub plumbo, *Si ullo unquam tempore* et *Post nuntium Nobis,* atque alias.

Haec autem apertiora fient commemorando legationem quam Philippus et Maria reges, suadente Cardinali Polo, Romam ad Pontificem februario mense MDLV miserunt. Regii oratores, viri tres *admodum insignes et omni virtute praediti,* in quibus Thomas Thirlby episcopus Eliensis, sic habebant .propositum, Pontificem de conditione rei religiosae in eo regno notitia ampliore edocere, ab ipsoque in primis petere ut ea quae Legatus ad eiusdem regni cum Ecclesia reconciliationem curaverat atque effecerat, haberet rata et confirmaret: eius rei causa omnia ad Pontificem allata sunt testimonia scripta quae oportebat, partesque Ordinalis novi proxime ad rem facientes. Iamvero Paulus IV legatione magnifice admissa, eisdemque testimoniis per certos aliquot Cardinales *diligenter discussis,* et *habita deliberatione matura,* litteras *Praeclara carissimi* sub plumbo dedit die xx iunii eodem anno. In his quum comprobatio plena et robur additum sit rebus a Polo gestis, de ordinationibus sic est praescriptum :.... *qui ad ordines ecclesiasticos... ab alio quam ab episcopo rite et recte ordinato promoti fuerunt, eosdem ordines.... de novo suscipere teneantur.* Quinam autem essent episcopi tales, *non rite recteque ordinati,* satis iam indicaverant superiora documenta, facultatesque in eam rem a Legato adhibitae: ii nimirum qui ad episcopatum, sicut alii ad alios ordines promoti essent, *non servata forma Ecclesiae consueta,* vel non servata *Ecclesiae forma et intentione,* prout Legatus ipse ad episcopum Norwiciensem scribebat. Hi autem non alii profecto erant nisi qui promoti secundum novam ritualem formam; cui quoque examinandae delecti Cardinales attentam operam dederant. Neque praetermittendus est locus ex eisdem Pontificis litteris, omnino rei congruens; ubi cum aliis beneficio dispensationis egentibus numerantur qui *tam ordines, quam beneficia ecclesiastica nulliter et de facto obtinuerant Nulliter* enim obtinuisse ordines idem est atque irrito actu nulloque effectu, videlicet *invalide,* ut ipsa monet eius vocis notatio et consuetudo sermonis; praesertim quum idem pari modo affirmetur de ordinibus quod de *beneficiis ecclesiasticis,* quae ex certis sacrorum canonum institutis manifesto erant nulla, eo quia cum vitio infirmante collata. Huc accedit quod, ambigentibus nonnullis quinam revera episcopi, *rite et recte ordinati,* dici et haberi possent ad mentem Pontificis, hic non multo post, die XXX octobris, alias subiecit litteras in modum Brevis :

atque, *Nos,* inquit *haesitationem huiusmodi tollere, et serenitati conscientiae eorum qui schismate durante ad ordines promoti fuerant, mentem et intentionem quam in eisdem litteris Nostris habuimus clarius exprimendo, opportune consulere volentes, declaramus eos tantum episcopos et archiepiscopos qui non in forma Ecclesiae ordinati et consecrati fuerunt, rite et recte ordinatos diei non posse.* Quae declaratio, nisi apposite ad rem Angliae praesentem, id est ad Ordinale eduardianum, spectare debuisset, nihil certe confecerat Pontifex novis litteris, quo vel *haesitationem tolleret* vel *serenitati conscientiae consulere.* Ceterum Apostolicae Sedis documenta et mandata non aliter quidem Legatus intellexit, atque ita eis rite religioseque obtempera vit: idque pariter factum a regina Maria et a ceteris qui cum ea dederunt operam ut religio et instituta catholica in pristinum locum restituerentur.

Auctoritates quas excitavimus Iulii III et Pauli IV aperte ostendunt initia eius disciplinae quae tenore constanti, iam tribus amplius saeculis, custodita est, ut ordinationes ritu eduardiano, haberentur infectae et nullae, cui disciplinae amplissime suffragantur testimonia multa earumdem ordinationum quae, in hac etiam Urbe, saepius absoluteque iteratae sunt ritu catholico. — In huius igitur disciplinae observantia vis inest opportuna proposito. Nam si cui forte quidquam dubitationis resideat in quamnam vere sententiam ea Pontificum diplomata sint accipienda, recte illud valet: *Consuetudo optima legum interpres.* Quoniam vero firmum semper ratumque in Ecclesia mansit, Ordinis sacramentum nefas esse iterari, fieri nullo pacto poterat ut talem consuetudinem Apostolica Sedes pateretur tacita ac toleraret. Atqui eam non toleravit solum, sed probavit etiam et sanxit ipsa, quotiescumque in eadem re peculiare aliquod factum incidit iudicandum. Duo eiusmodi facta in medium proferimus, ex multis quae ad *Supremam* sunt subinde delata: alterum, anno MDCLXXXIV, cuiusdam Calvinistae Galli, alterum anno MDCCIV, Ioannis Clementis Gordon; utriusque secundum rituale eduardianum suos adepti ordines. In primo, post accuratam rei investigationem, consultores non pauci responsa sua, quae appellant vota, de scripto ediderunt, ceterique cum eis in unam conspirarunt sententiam, *pro invaliditate ordinationis:* tantum quidem ratione habita opportunitatis, placuit Cardinalibus respondere, *Dilata.* Eadem vero acta repetita et ponderata sunt

in facto altero: quaesita sunt praeterea nova consultorum vota, rogatique doctores egregii e Sorbonicis ac Duacenis, neque praesidium ullum perspicacioris prudentiae praetermissum est ad rem penitus pernoscendam. Atque hoc animadvertisse oportet quod, tametsi tum ipse Gordon, cuius negotium erat, tum aliqui consultores inter causas *nullitatis* vindicandae etiam adduxissent illam prout putabatur ordinationem Parkerii, in sententia tamen ferenda omnino seposita est ea causa, ut documenta produnt integrae fidei, neque alia ratio est reputata nisi *defectus formae et intentionis.* Qua de forma quo plenius esset certiusque iudicium, cautum fuerat ut exemplar Ordinalis anglicani suppeteret; atque etiam cum eo singulae collatae sunt formae ordinandi, ex variis orientalium et occidentalium ritibus conquisitae. Tum Clemens XI, Cardinalium ad quos pertinebat consentientibus suffragiis, ipsemet feria v, die xvn aprilis MDCCIV, *decrevit:* « Ioannes Clemens Gordon *ex integro et absolute* ordinetur ad omnes ordines etiam sacros et praecipue presbyteratus, et quatenus non fuerit confirmatus, prius sacramentum Confirmationis suscipiat ». Quae sententia, id sane considerare refert, ne a defectu quidem *traditionis instrumentorum* quidquam momenti duxit: tunc enim praescriptum de more esset ut ordinatio *sub conditione* instauraretur. Eo autem pluris refert considerare, eamdem Pontificis sententiam spectare universe ad omnes Anglicanorum ordinationes. Licet enim factum attigerit peculiare, non tamen ex peculiari quapiam ratione profecta est, verum ex *vitio formae,* quo quidem vitio ordinationes illae aeque afficiuntur omnes: adeo ut quoties deinceps in re simili decernendum fuit, toties idem Clementis XI communicatum sit decretum.

Quae quum ita sint, non videt nemo controversiam temporibus nostris exsuscitata m, Apostolicae Sedis iudicio definitam multo antea fuisse documentisque illis haud satis quam oportuerat cognitis, fortasse factum ut scriptor aliquis catholicus disputationem de ea libere habere non dubitant. Quoniam vero, ut principio monuimus, nihil Nobis antiquius optatiusque est quam ut hominibus recte animatis maxima possimus indulgentia et caritate prodesse, ideo iussimus in Ordinale anglicanum, quod caput est totius causae, rursus quam studiosissime inquiri.

In ritu cuiuslibet sacramenti conficiendi et administrandi iure discernunt inter partem *eaeremonialem* et partem *essentialem,*

quae *materia et forma* appellari consuevit. Omnesque norunt, sacramenta novae legis utpote signa sensibilia atque gratiae invisibilis efficientia, debere gratiam et significare quam efficiunt et efficere quam significant. Quae significatio, etsi in toto ritu essentiali, in materia scilicet et forma, haberi debet, praecipue tamen ad formam pertinet; quum -materia sit pars per se non determinata, quae per illam determinetur. Idque in sacramento Ordinis manifestius apparet, cuius conferendi materia, quatenus hoc loco se dat considerandam, est manuum impositio ; quae quidem nihil definitum per se significat, et aeque ad quosdam Ordines, aeque ad Confirmationem usurpatur. — Iamvero verba quae ad proximam usque aetatem habentur passim ab iVnglicanis tamquam forma propria ordinationis presbyteralis, videlicet, *Accipe Spiritum Sanctum,* minime sane significant definite ordinem sacerdotii vel eius gratiam, et potestatem, quae praecipue est potestas *consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini* (1), eo sacrificio, quod non est *nuda commemoratio sacrificii in Cruce peracti* (2). Forma huiusmodi aucta quidem est postea iis verbis, *ad officium et opus presbyteri:* sed hoc potius convincit, Anglicanus vidisse ipsos primam eam formam fuisse mancam neque idoneam rei. Eadem vero adiectio, si forte quidem legitimam significationem apponere formae posset, serius est inducta, elapso iam saeculo post receptum Ordinale eduardianum : quum propterea, Hierarchia extincta, potestas ordinandi iam nulla esset. Nequidquam porro auxilium causae novissime arcessitum est ab aliis eiusdem Ordinalis precibus. Nam, ut cetera praetereantur quae eas demonstrent in ritu anglicano minus sufficientes proposito, unum hoc argumentum sit instar omnium, de ipsis consulto detractum esse quidquid in ritu catholico dignitatem et officia sacerdotii perspicue designat. Non ea igitur forma esse apta et sufficiens sacramento potest, quae id nempe reticetquod deberet proprium significare.

De consecratione episcopali similiter est. Nam formulae, *Accipe Spiritum Sanctum,* non modo serius adnexa sunt verba, *ad officium et opus episcopi,* sed etiam de iisdem, ut mox dicemus, iudicandum aliter est quam in ritu catholico. Neque rei proficit quidquam advocasse praefationis precem *Omnipotens*

(1) **Trid. Sess. xxm,** ***de sacr. Ora., can.*** *1.*
(2) **Trid. Sess. xxn,** ***de sacrif. Missae, can.*** **5.**

Deus : quum ea pariter deminuta sit verbis quae *summum sacerdotium* declarent. Sane, nihil huc attinet explorare, utrum episcopatus complementum sit sacerdotii, an ordo ab illo distinctus; aut collatus, ut aiunt, *per saltum,* scilicet homini non sacerdoti, utrum effectum habeat necne. At ipse procul dubio, ex institutione Christi, ad sacramentum Ordinis verissime pertinet, atque est praecellenti gradu sacerdotium ; quod nimirum et voce sanctorum Patrum et rituali nostra consuetudine *summum sacerdotium, sacri ministerii summa* nuncupatur. Inde fit ut, quoniam sacramentum Ordinis verumque Christi sacerdotium a ritu anglicano penitus extrusum est, atque adeo in consecratione episcopali eiusdem ritus nullo modo sacerdotium confertur, nullo item modo episcopatus vere ac iure possit conferri : eoque id magis quia in primis episcopatus muniis illud scilicet est, ministros ordinandi in sanctam Eucharistiam et sacrificium.

Ad rectam vere plenamque Ordinalis anglicani aestimationem, praeter ista per aliquas eius partes notata, nihil profecto tam valet quam si probe aestimetur, quibus adiunctis rerum conditum sit et publice constitutum. Longum est singula persequi, neque est necessarium : eius namque aetatis memoria satis diserte loquitur, cuius animi essent in Ecclesiam catholicam auctores Ordinalis, quos adsciverint fautores ab heterodoxis sectis, quo demum consilia sua referrent. Nimis enimvero scientes quae necessitudo inter fidem et cultum, inter *legem credendi et legem supplicandi* intercedat, liturgiae ordinem, specie quidem redintegrandae eius formae primaevae, ad errores Novatorum multis modis deformarunt. Quamobrem toto Ordinali non modo nulla est aperta mentio sacrificii, consecrationis, sacerdotii, potestatisque consecrandi et sacrificii offerendi; sed immo omnia huiusmodi rerum vestigia, quae superessent in precationibus ritus catholici non plane reiectis, sublata et deleta sunt de industria, quod supra attigimus. Ita per se apparet nativa Ordinalis indoles ac spiritus, uti loquuntur. Hinc vero ab origine ducto vitio, si valere ad usum ordinationum minime potuit, nequaquam decursu aetatum, quum tale ipsum permanserit, futurum fuit ut valeret. Atque ii egerunt frustra qui inde a temporibus Caroli I conati sunt admittere aliquid sacrificii et sacerdotii, nonnulla dein ad Ordinale facta accessione : frustraque similiter contendit pars ea Anglicanorum non ita magna, recentiore tempore coalita, quae arbitra tur posse idem Ordinale ad sanam re-

ctamque sententiam intelligi et deduci. Vana, inquimus, fuere et sunt huiusmndi conata : idque hac etiam de causa, quod, si qua quidem verba, in Ordinali anglicano, ut nunc est, porrigant se in ambiguum, ea tamen sumere sensum eumdem nequeunt quem habent in ritu catholico. Nam semel novato ritu, ut vidimus, quo nempe negetur vel adulteretur sacramentum Ordinis, et a quo quaevis notio repudiata sit consecrationis et sacrificii : iam minime constat formula, *Accipe Spiritum Sanctum,* qui Spiritus, cum gratia nimirum sacramenti, in animam infunditur, minimeque constant verba illa, *ad officium et opus presbyteri* vel *episcopi* ac similia, quae restant nomina sine re quam instituit Christus. — Huius vim argumenti perspectam ipsi habent plerique Anglicani, observationis Ordinalis interpretes ; quam non dissimulanter eis obiciiunt qui nove ipsum interpretantes, Ordinibus inde collatis pretium virtutemque non suam spe vana attingunt. Eodem porro argumento vel uno illud etiam corruit, opinantium posse in legitimam Ordinis formam sufficere precationem, *Omnipotens Deus, bonorum omnium largitor,* quae sub initium est ritualis actionis; etiamsi forte haberi ea posset tamquam sufficiens in ritu aliquo catholico quem Ecclesia probasset. — Cum hoc igitur intimo *formae defectu* coniunctus est *defectus intentionis,* quam aeque necessario postulat, ut sit, sacramentum. De mente vel intentione, utpote quae per se quiddam est interius, Ecclesia non iudicat: at quatenus extra proditur, iudicare de ea debet. Iamvero quum quis ad sacramentum conficiendum et conferendum materiam formamque debitam serio ac rite adhibuit, eo ipso censetur id nimirum facere intendisse quod facit Ecclesia. Quo sane principio innititur doctrina quae tenet esse vere sacramentum vel illud, quod ministerio hominis haeretici aut non baptizati, dummodo ritu catholico, conferatur. Contra, si ritus immutetur, eo manifesto consilio ut alius inducatur ab Ecclesia non receptus, utque id repellatur quod facit Ecclesia et quod ex institutione Christi àd naturam attinet sacramenti, tunc palam est, non solum necessariam sacramento intentionem deesse, sed intentionem immo haberi sacramento adversam et repugnantem.

Isthaec omnia diu multumque reputavimus apud Nos et cum Venerabilibus Fratribus Nostris in *Suprema* iudicibus ; quorum etiam Coetum singulariter coram Nobis advocare placuit feria v, die xvi iulii proximi, in commemoratione Mariae D. N.

Carmelitidis. Iique ad unum consensere, propositam causam iam pridem ab Apostolica Sede plene fuisse et cognitam et iudicatam : eius autem denuo instituta actaque quaestione, emersisse illustrius quanto illa iustitiae sapientiaeque pondere totam rem absolvisset. Verumtamen optimum factu duximus supersedeo sententiae, quo et melius perpenderemus conveniret ne expediretque eamdem rem auctoritate Nostra rursus declarari, et uberiorem divini luminis copiam supplices imploraremus. — Tum considerantibus Nobis ut idem caput disciplinae, etsi iure iam definitum, a quibusdam revocatum sit in controversiam, quacumque demum causa sit revocatum ; ex eoque pronum fore ut perniciosus error gignatur non paucis qui putent se ibi Ordinis sacramentum et fructus reperire ubi minime sunt, visum est in Domino sententiam Nostram edicere.

Itaque omnibus Pontificum Decessorum in hac ipsa causa decretis usquequaque assentientes, eaque plenissime confirmantes ac veluti renovantes auctoritate Nostra, motu proprio certa scientia, pronunciamus et declaramus, ordinationes ritu anglicano actas, irritas prorsus fuisse et esse, omninoque nullas.

Hoc restat, ut quo ingressi sumus *Pastoris magni* nomine et animo veritatem tam gravis rei certissimam commonstrare, eodem adhortemur eos qui Ordinum atque Hierarchiae beneficia sincera voluntate optent ac requirant. Usque adhuc fortasse, virtutis christianae intendentes ardorem, religiosius consulentes divinas litteras, pias duplicantes preces, incerti tamen haeserunt et anxii ad vocem Christi iamdiu intime admonentis. Probe iam vident quo se bonus ille invitet ac velit. Ad unicum eius ovile si redeant, tum vero et quaesita beneficia assecuturi sunt et consequentia salutis praesidia, quorum administrant fecit ipse Ecclesiam, quasi redemptionis suae custodem perpetuam et procuratricem in gentibus. Tum vero *hau rient aquas in gaudio de fontibus Salvatoris,* sacramentis eius mirificis : unde fideles animae in amicitiam Dei, remissis vero peccatis, restituuntur, caelesti pane aluntur et roborantur, adiumentisque maximis affluunt ad vitae adeptionem aeternae. Quorum bonorum revera sitientes, utinam *Deus paeis. Deus totius consolationis* faciat compotes atque expleat perbenignus. — Hortationem vero Nostram et vota eos maiorem in modum spectare volumus, qui religionis ministri in communitatibus suis habentur. Homines ipso officio praecedentes doctrina et auctoritate, quibus profecto

cordi est divina gloria et animorum salus, velint alacres vocanti Deo parere in primis et obsequi, praeclarumque de se edere exemplum. Singulari certe laetitia eos Ecclesia mater excipiet omnique complectetur bonitate et providentia, quippe quos per arduas rerum difficultates virtus animi generosior ad sinum suum reduxerit. Ex hac vero virtute dici vix potest quae ipsos laus maneat in coetibus fratrum per catholicum orbem, quae aliquando spes et fiducia ante Christum iudicem, quae ab illo praemia in regno caelesti ! Nos quidem, quantum omni ope licuerit, eorum cum Ecclesia reconciliationem fovere non desistemus; ex qua et singuli et ordines, id quod vehementer cupimus, multum capere possunt ad imitandum. Interea veritatis gratiaeque divinae patentem cursum ut secundare contendant fideliter, per viscera misericordiae Dei nostri rogamus omnes et obsecramus.

Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur, nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere decernimus; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari declarantes, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides quae Nostrae voluntatis significationi his praesentibus ostensis haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagésimo sexto, idibus septembribus, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

A. CARD. BIANCHI *Pro-Datarius*
C. CARD. DE RUGGIERO.

VISA

DE CVRIA I. DE AQVILA E VICECOMITIBVS

Loco ✠ *Plumbi*

Reg. in Secret. Brevium.

I. CUGNONI

EPISTOLA ENCYCLICA SSmi D. N. Leonis Papae XIII.
De mariali rosario.

Fidentem piumque animum erga Virginem beatissimam, quem inde a teneris haustum, **tota** vita studuimus alere et augere, iam saepius in summo Pontificatu licuit Nobis apertiusque testari. Tempora enim nacti aeque calamitosa rei christianae ac populis ipsis periculosa, nempe cognovimus quanti foret ad providendum, commendare vel maxime illud salutis pacisque praesidium quod in augusta Genitrice sua benignissime Deus humano generi attribuit, perpetuo eventu in Ecclesiae fastis insigne. Hortationibus votisque Nostris multiplex gentium catholicarum sollertia respondit, religione praesertim sacratissimi ROSARII excitatâ: neque copia desiderata est fructuum optimorum. Nos tamen expleri nequaquam possumus celebranda Matre divina, quae vere est *omni laude dignissima,* et commendando amoris studio in Matrem eamdem hominum, quae *plena est misericordiae, plena gratiarum.* Quin etiam animus, apostolicis curis defatigatus, quo propius sentit demigrandi tempus instare, eo contentiore fiducia respicit Illam, ex qua, tamquam ex felici aurora, inocciduae faustitatis laetitiaeque processit dies. Quod si, Venerabiles Fratres, iucundum memoratu est, aliis Nos datis ex intervallo litteris collaudasse Rosarii precem, utpote quae multis modis et pergrata sit ei, cuius honori adhibetur, et iis perutilis cedat qui rite adhibeant, aeque est iucundum posse nunc idem insistere et confirmare propositum. Hinc autem praeclara se dat occasio ut mentes animosque ad religionis incrementa more paterno adhortemur, et acuamus in eis praemiorum spem immortalium.

Precandi formae, de qua dicimus, appellatio adhaesit propria Rosarii, velut si rosarum suavitatem venustatemque sertorum contextu suo imitetur. Quod quidem ut peraptum est instituto colendae Virginis, quae *Rosa mystica* Paradisi merito salutatur, quaeque universorum Regina stellante ibi corona praefulget, ita videtur nomine ipso adumbrare augurium, cultoribus suis ab illa oblatum, de gaudiis sertisque caelestibus. — Hoc autem perspicue apparet, si quis Rosarii marialis rationem consideret. Nihil quippe est quod Christi Domini et Apostolorum tum praecepta, tum exempla gravius suadeant, quam invocandi Dei exorandique officium. Patres deinde ac doctores commonuerunt

tantae id esse necessitatis, ut homines eo neglecto, sibi frustra de sempiterna salute assequenda confidant. Quum vero cuiquam oranti, ex rei suapte vi atque ex promissione Christi, aditus pateat ad impetrandum, ex duabus tamen praecipue rebus, ut nemo ignorat, maximam efficacitatem trahit precatio; si perseveranter assidua, si complurium sit in unum collata. Alterum ea declarant plena bonitatis invitamenta Christi, *petite, quaerite, pulsate* (1); plane ad similitudinem parentis optimi, qui liberorum vult ille quidem indulgere optatis, sed etiam gaudet se diu rogari ab eis et quasi precibus fatigari, ut ipsorum animos arctius sibi devinciat. De altero idem Dominus non semel testatus est: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo,* eo quod, *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (2). Ex quo illud Tertulliani nervose dictum: *Coimas in coetum et congregationem, ut ad Deum, quasi manu facta, precationibus ambiamus; haec Deo grata vis est* (3): illudque commemorabile Aquinatis : *Impossibile est multorum preces non exaudiri, si ex multis orationibus fiat quasi una* (4).— Ea utraque commendatio egregie in Rosario praestat. In hoc enim, plura ne persequamur, eisdem ingeminandis precibus regnum gratiae et gloriae suae a Patre caelesti implorare contendimus; Virginemque Matrem etiam atque etiam obsecramus ut culpae obnoxiis succurrere nobis deprecando velit, quum in omni vita, tum sub horam extremam quae gradus est ad aeternitatem. Eiusdem autem Rosarii formula ad precationem communiter habendam optime accommodata est ; ut non sine causa nomen etiam *psalterii mariani* obtinuerit. Atque ea religiose custodienda est vel redintegranda consuetudo quae apud patres viguit, quum familiis christianis, aeque in urbibus atque in agris, id sanctum erat ut, decedente die, ab aestu operum ante effigiem Virginis rite convenientes, Rosarii cultum alterna laude persolverent. Quo ipsa fideli concordique obsequio admodum delectata, sic eis aderat perinde ac bona mater in corona filiorum, pacis domesticae impertiens munera, quasi pacis praenuncia caelestis. — Hac quidem communis precationis virtute spectata, inter ea quae pluries de Rosario placuit

(1) Matth, VII, 7.
(2) Matth. XVIII, 19, 20.
(3) *Apologet,* c. xxxix.
(4) *In Evang. Matth.* c. xvm.

decernere, etiam ediximus « .Nobis esse in optatis ut in dioece- « seon singularum templo principe quotidie, in templis curialibus « diebus festis singulis, ipsum recitetur (1) ». Id autem constanter et studiose fìat: libentesque videmus id fieri et propagari in aliis quoque publicae pietatis solemnibus, atque in pompis peregrinantium ad insigniora templa, quarum commendanda est frequentia increscens. — Quiddam praeterea et periucundum et salubre animis habet ista precum laudumque marialium consociatio. Nosque ipsi tunc maxime sensimus, ac memor gestit animus revocare, quum per singularia quaedam tempora Pontificatus Nostri in basilica Vaticana adfuimus, circumfuso omnium ordinum numero ingenti, qui una Nobiscum mente, voce, fiducia, per Rosarii mysteria et preces enixe supplicabant Adiutrici nominis catholici praesentissimae.

Ecquis vero fiduciam in praesidio et ope Virginis tantopere collocatam, putare velit et arguere nimiam? Certissime quidem perfecti Conciliatoris nomen et partes alii nulli conveniunt quam Christo, quippe qui unus, homo idem et Deus, humanum genus summo Patri in gratiam restituent: *Unus mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* (2). At vero si *nihil prohibet,* ut docet Angelicus, *cdiquos alios secundum quid diei mediator es inter Deum et homines, prout scilicet cooperantur ad unionem hominis eum Deo dispositive et ministerialiter* (3), cuiusmodi sunt angeli sanctique caelites, prophetae et utriusque testamenti sacerdotes, profecto eiusdem gloriae decus Virgini excelsae comulatius convenit Nemo etenim unus cogitari quidem potest qui reconciliandis Deo hominibus parem atque illa operam vel unquam contulerit vel aliquando sit collaturus. Nempe ipsa ad homines in sempiternum ruentes exitium Servatorem adduxit, iam tum scilicet quum pacifici sacramenti nuncium, ab Angelo in terras allatum, admirabili assensu : *loco totius humanae naturae* (4), excepit : ipsa est *de qua natus est Iesus,* vera scilicet eius Mater, ob eamque causam digna et peraccepta *ad Mediatorem Mediatrice.—* Quarum rerum mysteria quum in Rosarii ritu ex ordine succedant piorum animis recolenda et contemplanda, inde simul

(1) Litt. apost. *Salutaris ille,* datae die xxiv decembr, an. MDCCCLXXXIII.

(2) I Tim. n, 5, 6.

(5) III, q. XXVI, aa. 1. %

(4) S. Iii. III, q. XXX, a. I

elucent Mariae promerita de reconciliatione et salute nostra. Nec potest quisquam non suavissime affici quoties eam considerat, quae vel in domo Elisabethae administra charismatum divinorum apparet, vel Filium pastoribus, regibus, Simeoni praebet infantem. Quid vero quum consideret, sanguinem Christi causa nostra profusum ac membra in quibus ille Patri vulnera accepta, *nostrae pretia libertatis,* ostendit, non aliud ea esse nisi carnem et sanguinem Virginis? *siquidem caro Iesu caro est Mariae; et quamvis gloria resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen carnis mansit et manet natura quae suscepta est de Maria* (1).

Sed alius quidam fructus insignis e Rosario consequitur, cum temporum ratione omnino connexus; cuius Nos alias mentionem intulimus. Is nimirum est fructus, ut quando virtus fidei divinae tam multis vel periculis vel incursibus obiecta quotidie est, homini christiano hinc etiam bene suppetat quo alere eam possit et roborare. —*Auctorem fidei et consumino torem* nominant Christum divina eloquia (2) : *auctorem,* eo quia docuit ipse homines multa quae crederent, de se praecipue in quo *inhabitat omnis plenitudo divinitatis* (3), idemque gratia et velut unctione sancti Spiritus benigne dat unde credant; *consummatorem,* quia res per velamen in mortali vita ab eis perceptas, pandit ipse apertas in caelo, ubi habitum fidei in claritudinem gloriae commuta bit. Sane vero in Rosarii instituto luculenter eminet Christus; cuius vitam meditando conspicimus, et privatam in gaudiis, et publicam summos inter labores doloresque ad mortem, denique gloriosam, quae ab anastasi triumphantis, in aeternitatem profertur sedentis ad dexteram Patris. Et quoniam fides, ut plena dignaque sit, se prodat necesse est, *corde enim creditur a.d iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (4); propterea ad hanc etiam habemus ex Rosario facultatem optimam. Nam per eas quibus intexitur vocales preces, licet expromere ac profiteri fidem in Deum, providentissimum nostri patrem, in venturi saeculi vitam, in peccatorum remissionem; etiam in mysteria Trinitatis augustae, Verbi hominis facti, maternitatis divinae atque alia. Nemo autem est nescitis quantum sit pretium

(1) *De (tssumpt B M. V.* **c. v.** *inter op.* **S, Aug.**
(2) **Hebr. xn, 2.**
(o) **Col. n, 9.**
(4) **Rom. x, 10.**

meritamque fidei. Quippe fides non secus est ac lectissimum germen, virtutis omnis flores in praesentia emittens, quibus probemur Deo, fructus deinde allaturum qui perpetuo maneant: *Nosse enim te consummata iustitia est, et scire iustitiam et virtutem tuam radix est immortalitatis* (1). — Admonet locus ut unum adiiciamus, attinens nimirum ad officia virtutum quae iure suo postulat fides. Est inter eas poenitentiae virtus, eiusque pars etiam est *abstinentia,* non uno nomine et debita et salutaris. In quo quidem si filios suos Ecclesia clementius in dies habet, at videant ipsi diligentiam sibi omnem esse adhibendam ut indulgentiam maternam aliis compensent officiis. Libet vero in hanc pariter causam eumdem Rosarii usum cum primis proponere, qui bonos poenitentiae fructus, maxime ab angoribus Christi et Matris recolendis, aeque potest efficere.

Nitentibus igitur ad summum bonorum, sane quam providenti consilio hoc Rosarii adiumentum exhibitum est, idque tam promptum omnibus atque expeditum ut nihil magis. Quivis enim religione vel mediocriter institutus eo facile uti et cum fructu potest; neque res est tanti temporis quae cuiusquam negotiis afferat moram. Opportunis clarisque exemplis abundant annales sacri: satisque est cognitum multos semper fuisse, qui vel sustinentes graviora munera, vel curis operosis distentí, hanc tamen pietatis consuetudinem nullo unquam die intermisere. — Qua cum re suaviter congruit intimus ille religionis sensus quo animi erga coronam sacram feruntur, ut eam adament tamquam individuam vitae comitem fidumque praesidium; eamdemque in agone supremo complexi, auspicium dulce teneant ad *immarcescibilem gloriae coronam.* Auspicio plurimum favent beneficia *sacrae indulgentiae,* si perinde habeantur ac digna sunt: his enim amplissime Rosarii institutum a Decessoribus Nostris et a Nobismetipsis est auctum. Eaque certe et morientibus et vita functis, quasi per manus misericordis Virginis impertita, valde sunt profutura, quo maturius expetitae pacis lucisque perpetuae fruantur solatiis.

Haec, Venerabiles Fratres, permovent Nos, ut formam pietatis tam excellentem, tamque utilem ad capiendum salutis portum, laudare et commendare gentibus catholicis ne cessemus. Sed alia praeterea id ipsum suadet causa gravissima, de qua

(1) Sap. XV, 3.

iam saepius litteris et allocutione animum aperuimus. — Videlicet, quum Nos quotidie acrius ad agendum impellat id votum, quod ex divino Christi Iesu Corde concepimus, initae dissidentium reconciliationis fovendae, intelligimus quidem hanc praestantissimam unitatem nulla re melius parari posse et adstringi quam sanctarum precum virtute. Obversatur exemplum Christi, qui ut alumni disciplinae suae essent in fide et caritate *unum,* effusa ad Patrem obsecratione rogavit. Deque valida in idem deprecatione Matris eius sanctissimae, illustre documentum in historia est apostolica. In qua commemoratur primus Discipulorum coetus, promissam almi Spiritus amplitudinem magna spe fiagitans et expectans; simulque Mariae praesentia comprecantis singulariter commemoratur: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione eum Maria matre Iesu* (1). Ut igitur ad eam, tamquam ad unitatis fautricem et custodem eximiam, recte se Ecclesia exoriens precando adiunxit, id similiter his temporibus per orbem catholicum fieri peropportunum est; toto praesertim octobri, quem mensem iamdiu Nos divinae Matri, pro afflictis Ecclesiae temporibus implorandae, deditum sacrumque solemni Rosarii ritu voluimus.— Proinde caleat ubique huiusmodi precis studium, ad propositum in primis sanctae unitatis. Neque aliud quidquam Mariae gratius acceptiusque fuerit, utpote quae Christo maxime coniuncta, maximopere id cupiat et velit ut qui uno eodemque donati sunt eius baptismate, una omnes eademque fide perfectaque caritate cum ipso et inter se cohaereant. — Eiusdem vero fidei mysteria augusta altius in animis per Rosarii cultum insideant, eo felicissimo fructu ut *imitemur quod continent et quod promittunt assequamur.*

Interea munerum divinorum auspicem caritatisque Nostrae testem, singulis vobis cleroque ac populo vestro Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XX Septembris anno MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri decimo nono.

LEO PP. XIII.

(1) Act t. 14.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

PARISIEN.

MATRIMONII

Die 28 Marii 1896'.

Sess. 24, Cap. 1 et 5, De reform, matr.

COMPENDIUM FACTI. Sub anno 1873 inter nobiles puellas Lutetiae Parisiorum eminebat Maria annorum circiter 17, venustate, educatione ac mira cantus suavitate praestans. Huiusmodi Mariae qualitatibus captus fuit nobilis iuvenis 18 annorum Comes Robertus, qui eam deperire cepit. At puella ipsius amori haud videtur respondisse, ceu, praeter nonnullorum testium depositiones, ipsamet Maria fatetur in secundis tabulis processualibus.

Roberti autem amor erga Mariam, sicuti ipse refert, tractu temporis eo pervenit, ut anno 1877 « sans tenir compte des conseils de la propre famille, il la demanda en mariage, par l'entremise de Madame la Comtesse, mère de la jeune personne ».

Roberti petitio arrisisse videtur Mariae matri, quae una cum filia seiunctam a viro suo vitam ducebat, ideoque haec respondit : « Ma fille est très touchée de votre demande, mais elle ne veut pas se marier, et n'y consentirait, que si quelqu'un lui prouvait qu'il l'aime vraiment, par patience à l'attendre, alors peut-être arriverait-il à la décider. Comptez sur moi, me dit elle ; vous avez un auxiliaire dans la maison, qui ne vous fera jamais défaut, et si mes prières, et mon influence peuvent la décider en votre faveur, c'est une chose faite. Mais voyez vous, me dit elle, l'idée du mariage l'effraye ».

Post haec, anno scilicet 1878 Robertus Parisiis discessit, at postea re versus apud matrem suam ins te tit, ut pro matrimonio hoc ineundo aliquid moliretur. Tunc eius mater

comitem Arthurum consanguineum familiae puellae rogavit, ut penes Mariam eiusque matrem instaret ad hoc, ut vel nuptiae cum filio conciliarentur, vel omnis abrumperetur tractatus. Comes Mariam persuadere conatus est, sed ut ipse refert, illa desideriis Roberti haud annuere voluit, eo quod « elle le trouvait insuffisant . . . . . et ne lui plaisait pas ».

Roberti mater, hoc responso accepto, litteras dedit idem petens, ad Mariae matrem, sed, uti nunc refert, « La demande fut mal accueillie par la jeune fille, non par sa mère ».

Tunc, ut Maria ad matrimonium induceretur, fertur, huius matrem et Robertum convenisse, quod ipse per duos tresve annos iure coniugali haud uteretur et praecipue filios suscipere vitaret. Imo Mariae mater, ut quamprimum filiam moveret, proprias aeconomicas difficultates ei manifestavit, eisque nullo alio modo mederi posse ostendit, nisi per matrimonium cum Roberto ineundum. Ideoque per nuptias Maria Roberto coniungi acquievit, atque statutum fuit has celebrandas fore mense Iunio 1879.

At cum nonnulli menses interfluere deberent ante nuptias celebrandas, hinc instante matre Mariae, iter ad Montes Pyreneos aggressum fuit una cum familia Roberti. Quo in itinere, narratur, Mariam irae et antipathiae impetu actam in Robertum, annulum sponsalitium ab eo acceptum, in huius faciem iniecisse. Ex quo nuptiae disruptae fuissent, nisi Mariae mater sollicita curasset, ut pax inter sponsos rediret ; ac tunc matrimonium ad diem 16 Octobris 1879 definitive demandatum fuit.

Statuto itaque die, Robertus et Maria, praemisso pseudo matrimonio civili, et matrimoniali foedere iuncti sunt in Ecclesia *S. Petri du Gros Caillon* Lutetiae Parisiorum assistente R. P. Didon Ord. Praed. a parocho delegato, qui una cum primo suo vicario nuptiali caeremoniae adfuit.

Robertus prima nuptiarum nocte, sicuti refert, debitum coniugale petiit, sed sponsa reddere recusavit, ipsumque adeo inurbane repulit, ut noctibus insequentibus, nec commune

cubiculum habere voluerit. Imo die prima Ianuarii 1880 coniugale domicilium dereliquit ac per aliquot tempus a viro separata fuit. Opera autem Comitissae de Rochefoucauld reconciliatio inita est, sed haud stabilis fuit. Siquidem cum Robertus, ex Algeria quo, hortante uxore, profectus erat, improviso reditum suum nuntiasset, Maria eiusque mater illico Belgium petierunt. Quamobrem Robertus rediens et neminem Parisiis inveniens vel ipse cum uxoris patre Bruxelles se recepit.

Postea omnes Parisios redeunt, ubi opera R. P. Didon iterum coniuges reconciliantur. Tunc solummodo dicitur Maria, amicorum suasionibus veluti commota, sui corporis copiam Roberto fecisse, raro tamen, atque ita, ut maternitas semper evitaretur, opportuna pharmaca etiam sumendo.

Interea autem factum est, ut Robertus adulterinis indulgerei amoribus, qua arrepta occasione Maria, tertio a nuptiis anno virum definitive dereliquit, atque sub die 6 Decembris 1882 a civili tribunali, recusante Roberto sese defendere, corporum bonorumque separationem obtinuit.

Inde vero magnum iter Robertus aggressus est, ac tandem rediens Ecclesiasticam auctoritatem adivit, declarationem nullitatis matrimonii enixe implorans ob defectum consensus ex parte mulieris.

Curia Archiep. Parisien., habitis necessariis et opportunis facultatibus, subito tribunali constituto processum ad finem perduxit.

Post haec causa acta fuit, utraque parte pugnante, et tandem *die 3 Iulii 1886* sententia prolata est declarans « Sub nullo respectu constare de nullitate matrimonii contracti inter Robertum et Mariam ».

Ab hac sententia Robertus appellationem ad S. Concilii Congregationem interposuit.

Pendente autem appellatione, Robertus petiit atque obtinuit a Romano Pontifice potestatem iterum aperiendi processum; et novae processuales tabulae a Curia Parisien, absolutae, ad S. C. C. missae fuerunt. Interim actor ad suas

rationes augendas a S. Congregatione petiit, ut praeter dubium nullitatis matrimonii , alterum adiungi posset pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato.

Cui petitioni S. Congr. rescripsit : *Habebitur ratio in die p7 opositionis caicsae.*

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MARITI. Roberti Defensor in tria capita orationem suam dispartitur. In primo capite agit de matrimonii nullitate. In secundo de dubii disputatione super matrimonio rato, et non consummato. In tertio de Pontificia dispensatione. Primum vero caput in tres articulos subdividit, quorum in primo propugandum assumit praetensum matrimonium, si vere et proprie matrimonium dici potest, nullum atque invalidum esse pronunciandum, quia consensu haud spontaneo et libero, ceu Sacri Canones volunt, sed importunis precibus et suasionibus matris puellae contractum fuit, etsi minae, vis, et metus haud intervenerint. In secundo pro viribus defendit, ac tuetur nullum atque irritum definiendum esse, quia non modo consensus haud fuit spontaneus et liber, sed quia consensus iste absolute requisitus, et necessarius in matrimoniis, in themate omnino defuit. In tertio tandem articulo probare satagit praetensum matrimonium non modo nullum, atque irritum esse ex eo quod defecerit omnino consensus, sed etiam ex eo quod conditiones in ipso appositae fuerint substantiae ipsius matrimonii contrariae.

In secundo vero capite demonstrandum assumit disputationem super matrimonio rato et non consummato denegari non posse.

In tertio tandem capite acriter propugnat, quod licet per hypothesim matrimonium extiterit, et validum dici vellet, illud tamen omnino dispensandum foret.

Ad primum itaque articulum primi capitis descendens contendit, matrimonium plena libertate et spontaneitate gavisum haud fuisse quandoquidem ipsa puellae mater fatetur,

sese filiam impulisse ad nuptias istas ineundas. Dixit enim corniti Roberto. « Che sua figlia aveva poca propensione al matrimonio, ma che più tardi essa l'avrebbe indotta », quod repetit in brevi facti conspectu, quem supplici libello ad Summum Pontificem iunxerat.

Subiungit demum Roberti patronus id magis ac magis confirmari a plurimis testibus, quorum unum, et alterum solummodo refert, ne taedio sit, et oratio longius quam par est, amplietur.

Porro, prosequitur orator si in facto exploratissimum est Mariae matrimonium haud plena spontaneitate et libertate gavisum fuisse, illudque Mariam iniisse a Matre compulsam, ideoque sine consensu spontaneo et libero, sponte veluti sua fluere ait, huiusmodi matrimonium nullum, irritum, atque invalidum fuisse ; quandoquidem Sacri Canones rigide praescribunt, matrimonia inita sine consensu spontaneo et libero irrita et invalida esse. *Cap. 24, De spons. et matrim.*

Neque subsumi posse asserit advocatus, quod huiusmodi matrimonium contractum fuerit sine minis, sine vi, et metu ; ideoque non irritum sed validum esse pronunciandum, quandoquidem Canonistae ac S. Congregatio tradunt ad concedendam nullitatem matrimonii, non semper probandum esse, quod intervenerint minae, vis, et metus cadens in constantem virum, sed sufficere, quod etiam aliunde constet, liberum non fuisse consensum, ceu post Castill. *Controv. iur. in comment, lib. 3, cap. 1, num. 154,* ubi decem et septem allegat doctores, monet Coscius *De separ. tori cap. 16, n. 222.* Quibus concinit S. C. Cong. in *Capuana matrimonii 24 Ianuarii 1871.* « Pro concludenda nullitate matrimonii propter defectum liberi consensus, non semper probandum est, quod intervenerint minae, seu vis et metus cadens in constantem virum, aut corporis cruciatus, sed sufficit, quod etiam aliunde constet, liberum non fuisse consensum, sine quo matrimonium est absolute nullum, ideoque ipsas solas importunas preces sufficere ad probandum, liberum non intervenisse consensum ». Non in difficili est in tel-

ligere, consensum a Maria in matris obsequium huic matrimonio datum, liberum non fuisse ; et idcirco gravissimam praebere causam, ut vinculum, cui reluctanti animo sese subiecit dissolvatur. Navar. *Cons. 3, tit. De Sponsa!, lib. 4.*

Verum orator ad secundum transiens articulum, prosequitur, nedum nullum pronunciandum esse matrimonium in themate, quia consensus haud liber existit, sec! etiam eo fortior, quia consensus iste in matrimoniis absolute necessarius, in casu omnino defecit. Sane putat ipse ad matrimonii validitatem omnino requiri « consensum verum; mutuum, de praesenti, et verbis vel aliis signis manifestatum ». Verum, quia matrimonium uti contractum nihil aliud esse dicit, nisi conventionem inter virum, et mulierem, istamque conventionem nihil aliud esse nisi duorum in idem placitum consensum, uti monet *lex 1, ff. De pactis* § *11.* Mutuum, ut uterque ius in corpus suum alteri tradat, et acceptet, ceu diserte habetur *Cap. Ex duobus 1, De spons. duor.* De praesenti, quia de futuro tantum sponsalia fiunt, non vero matrimonia, ceu clare patet ex *Cap. 31 De spons. et matrim.* Denique verbis, vel aliis signis manifestatus siquidem nullus humanus contractus iniri potest, nisi utriusque contrahentis voluntas exprimatur, et mutuo sibi innotescat. Ad rem invocat Pirhing, *lib. IV, tit. I, Sess.* 7, *n. 82.*

Quibus positis, dubitari minime posse subiungit, quod causa sufficiens et perficiens matrimonium sit mutuus consensus contrahentium. Unde merito Eugenius IV in *Decreto pro Armenis* dicit « causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus ».

Posito itaque, quod ad matrimonii valorem requiratur verus consensus, mutuus de praesenti et verbis, vel signis manifestatus, inspiciendum esse contendit orator, utrum ex tabulis processualibus innotescat, huiusmodi consensum in •themate interfuisse.

Verum, pergit, acta processualia haud perhibere, hunc consensum ex parte mulieris intervenisse. Sane omisso etiam

quod Maria numquam ullum habuerit amorem erga Robertum, indubitatum esse ait, quod ipsa verum consensum, de praesenti haud praestitit, imo nec signum aliquod praebuit, consensum importans. Revera testes affirmant, sponsam interrogatam a parocho de consensu non respondisse « oui ». Ita ad rem vir de Versainville. « J'étais aussi témoin pour le mariage à l'Eglise.... Je ne l'ai point entendue, bien que je fusse près d'elle et que mes yeux fussent fixés sur elle. Je ne lui vu faire aucun signe, ni pour obtenir l'assentiment de ses parents, ni pour donner son consentement au mariage ». Cui concinere ait advocatus, Roberti fratrem, nec non coniugem de Kersaint, Roberti sororem.

Tandem rem extra omnem dubitationem poni dicit orator ab ipsamet Maria, nam ipsa in secundis tabulis iurata fatetur, quod « à l'Eglise, à la question qui m'a été posée sur le consentement au mariage, je n'ai rien répondu, ni même fait un signe, tellement que Mr. le Premier Vicaire de St. Pierre du Gros Caillon m'a dit : Répondez - Oui mon Père - et quand même, je n'ai rien répondu.... à l'Eglise, je n'ai donné ni consentement intérieur, ni consentement extérieur ». Quapropter concludit defensor, quod cum evidenter appareat matrimonium haud vero consensu initum fuisse, imo certo existat, ex parte mulieris omnino defecisse consensum etiam externum, prono alveo fluere hoc matrimonium aperte nullitatis labe vitiari.

Post haec progreditur orator ad tertium primi capitis articulum, propugnans Mariae matrimonium nullum esse definiendum etiam ex. eo, quod conditiones appositae fuerunt substantiae ipsius matrimonii contrariae. Sustinet enim explorati iuris esse conditiones matrimonio appositas contra eius substantiam ipsum matrimonialem contractum destruere. Idque probat recitato prius *cap. 7 De Condit.*

Atqui in themate, iuxta advocatum, adiectae fuerunt huiusmodi conditiones substantiae matrimonii contrariae : siquidem nedum Maria, sed praecipue eius mater conditionem adiecit, ut per duos, vel per tres annos Robertus prolem

evitare deberet, et insuper sustinet orator illam quoque adiectam fuisse, ut matrimonium ipsum dissolveretur, quoties in re matrimoniali sponsi haud convenirent. Quod autem adiecta fuerit prima conditio a Roberto affirmatur, ait enim : « En me donnant sa fille, M. de. . . . me fit promettre de ne pas avoir d'enfants avant deux, ou trois ans au moins, elle me le fit même jurer ».

Idque tanta veritatis luce fulgere propugnat patronus, ut ne Maria quidem, et mater eius inficientur, sed tantum asserant huiusmodi primam conditionem non ipsas Roberto, sed Robertum ipsum sibimetipsi imposuisse, eamque ipsas acceptasse.

Porro quod istae conditiones substantiae matrimonii opponantur, docere inquit orator, Schmalzgrueber *part. Il, tit. 5, num. 6, 7, S* tradens : « Contra substantiam matrimonii pugnare censetur conditio, quando pugnant contra triplex bonum matrimonii, videlicet contra *bonum prolis, bonum fidei, et bonum sacramenti* ».

Contendit autem Roberti defensor appositas conditiones bonis matrimonii adversari, nam *prima,* pugnat contra bonum prolis. Quamvis enim proles, et huius generatio non sit de substantia matrimonii, ex consensu tamen in hoc praestito nascitur obligatio ad exhibendos, si petantur ab altera parte, actus ex se aptos ad generationem prolis. Atqui ob super allatam primam conditionem, evitandi scilicet per duos, tresve annos generationem, in tenues auras abiret haec obligatio ad exhibendos actus ex se aptos ad generationem, ergo, concludit, praefatam conditionem bono prolis opponi, matrimonii substantiae adversari et matrimonialem contractum vitiare ac penitus destruere. Idem dicendum de secunda conditione. Siquidem illam conditionem dissolvendi matrimonium quoties sponsi inter se in re matrimoniali non convenirent, opponi, dicit orator, bono Sacramenti, quod poscit perpetuam et individuam vitae societatem ; hinc substantiae matrimonii adversari, ideoque contractum matrimonialem destruere sustinet.

Nec opponi posse subdit advocatus has conditiones minime valere, et habendas esse uti non appositas, quia consensus matrimonialis coram parocho et testibus haud emissus fuit cum istis conditionibus. Respondetur enim, satis esse ut probetur istas conditiones finis matrimonii contrarias praecessisse, et numquam revocatas fuisse, quandoquidem consensus deinde praestitus coram parocho et testibus censetur praestitus eodem animo et eadem intentione, etiamsi ipsae conditiones non fuerint iterum in actu coniugii manifestatae. Ita Piton. *Discur. 58, num. 12 et seq.* Coscius *De separatione thori coniugalis, cap. 21; n. 14 et cap. 16, n. 271 et seq.* Rota, in *Ianuen. Professionis 3 iulii 1702 cor. Abolines.*

Huc perventus orator transvolat ad secundum suae orationis caput, contenditque pro viribus locum omnino esse disputationi super matrimonio rato, et non consummato, quia hoc argumento utitur Robertus ad suas rationes corroborandas et augenclas super matrimonii nullitate. Idque Roberto prohiberi nullo modo posse ait, iuxta tritam iuris Canonici regulam XX, qua omnibus indicitur : « *Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur* ».

Atqui indubii facti esse subdit, quod Robertus ulteriori hac defensione uti vellet ad sui matrimonii nullitatem magis profitendam eiusque rationes augendas, ergo concludit id Roberto prohiberi non posse.

Neque opponi posse, sequitur orator, necessarium esse appositum processum pro causa super matrimonio rato et non consummato, siquidem licet id verum dici posse ait, quando via ordinaria huiusmodi dispensatio a Romano Pontifice expostulatur, id tamen necessarium haud esse putat, quando via extraordinaria petitur, scilicet ad augendas rationes ad matrimonii nullitatem obtinendam, ceu passim exempla in thesauro resolutionum S. C. C. habentur.

Tandem, expletis omnibus, quae primum et secundum suae defensionis caput respiciunt, ad tertium et ultimum descendens orator, sustinet quod si in casu matrimonium

per damnatam hypothesim validum renunciari vellet, ipsum omnino dispensandum foret. Canon enim est, prosequitur ipse, iurisprudentiae ecclesiasticae, quod, tunc matrimonii dispensationi locum fit, quando haec duo extrema probata fuerint, matrimonium scilicet non fuisse consummatum, et graves adesse causas pro dispensatione indulgenda.

Iamvero certum omnino esse, ait advocatus, quod praedicta duo extrema in themate verificentur. Sane, deficere contendit matrimonii consummationem, siquidem iure SS. CC. tunc proprie dicitur consummatum matrimonium, quando constet copulam ad generationem sufficientem intercessisse, ceu docet S. C. C. *in Nuscàna matrimonii 11 Septembris 1880.*

Licet autem, urget patronus, probetur hymenem alteratum fuisse, nihil tamen proficere tur, nisi etiam legitime probata fuerit intromissio penis in vas muliebre, et in eo seminatio viri sequuta fuerit, ad tramites doctrinae D. Thomae *4 sent. d. 41, quaest. 4, art. 1, q. 4 ad 2.* Cui concinit S. C. in pluribus decisionibus et praesertim *in Florentina matrimonii 27 Ianuarii 1877 num. 26.*

Atqui, subiungit orator, in toto utriusque processus decursu de eiaculatione seminis viri intra vas muliebre nec volam nec verbum haberi, imo evidens apparere, quod, praeter cetera, opportuna et efficacia remedia adhibita fuerint, ne unquam id eveniret, aut evenire possit, ergo dicendum esse, urget, matrimonium in themate vere et proprie consummatum haud fuisse, ideoque ex hac parte dispensationi locum dari posse.

Sed non modo matrimonium haud fuisse consummatum, sed et plures causas canonicas, et graves suppetere in themate, prosequitur orator, quae Romano Pontifici iugiter suaserunt, ut dispensationi locum daret. Sane primam causam esse, inquit, animorum adversionem, quae ita semper efferbuit et adhuc effervescit inter coniuges eorumque consanguineos parentes, et affines ut nulla omnino effulgeat reconciliationis spes.

Hanc autem et canonicam et gravem esse omnes canonistas affirmare ait. Secundam vero causam esse dissidia et inimicitias, quae in praesenti casu satis abundant, iustam praebere causam censet dispensationis, ceu expendit Ursaya *discept. 21, n. 60, 61 et 62, t. 3, part. 2, et discept. 7 et 77, tom. 3, part. 1.* Istas autem extitisse in themate, et adhuc existere, evulgatas publicas ephemerides tradidisse et adhuc tradere ait. Tertiam tandem causam esse concludit orator maximam probabilitatem, imo certitudinem nullitatis matrimonii.

ANIMADVERSIONES S. VINCULI DEFENSORIS. Vinculi defensor ex opposito observat in primis quomodo nunc iudicium instauratum sit quidem nomine Roberti, re autem vera Mariae. Namque quaerenti iudici : « Quelles sont les nouvelles preuves, les nouveaux témoins, que vous songez à signaler au Tribunal ? » Robertus reponit : « Je n'ai pas à porter de nouvelles preuves, ni à faire valoir de nouveaux arguments ». Maria e contra testes adversum matrimonium inducit et iudici renuntiat : « Je dois dire que sur tous les points relatifs à la valeur du mariage, aux conditions posées et acceptées, au défaut de consentement, à l'absence d'une réponse et même d'un signe quelconque à l'Eglise, je dois revenir sur ma précédente déposition et reconnaître que je n'ai pas dit, alors, la vérité ».

Quae Mariae agendi ratio minime placet oratori : iuxta enim-Leuren, *for. ecclesiast. lib. 2» q. 607,* tum tantum aliquo in pretio haberi possunt testium palinodiae, cum testis « afferat probabilissimam sui erroris rationem; aut sit persona tam integrae fidei tantaeque auctoritatis testis, ut credi debeat ipsi asserenti, se prius deceptum, aut facti oblitum modo haec correctio fiat ante publicationem attestationum ». At Maria palinodiam canit post discitas attestationes, non solum non affert probabilissimam erroris rationem, sed nec asserere potest se deceptam aut facti oblitam, nec audiri potest, si dicat se primo in iudicio peierasse, quia turpitudinem suam detegere nemo potest, Rot. *decis. 665, n. 12**

part. 1, et decis. 351, n., 9, part. 19 rec; ac propterea nemo admittitur ad illam probandam, ead. Rot. *decis. 1, n. 12, decis. 424, n. 12, part. 12, et decis. 4, sub n. 16, part. 13.*

Refert postea sacramenti vindex medici Serrand testimonium, quod lucem affert circa comitissae Mariae palinodiam.

Hisce praemissis, vinculi tutor directe réfutât quae actor allegat contra matrimonii validitatem aut non consummationem. Et primum relate ad metum observat quomodo metus iuxta omnes iuris leges per facta sit probandus ; ita Rota in *decis. 307, n. 17, part. Il recent.* « Omnes testes deponunt dumtaxat D. Ducem Carolum vi seu iussu patris fuisse ad matrimonium impulsum, quae generica probatio non suffragatur ».

Quae doctrina magis urget, ait orator, si agatur, ut in themate, de metu reverentiali, quia huiusmodi metus non ex se, sed ex circumstantiis dumtaxat, quibus incutitur, gravitatem ad irritandum matrimonium necessariam nanciscitur, sicuti vult Sánchez *de matr. lib. 4, disp. 6, n. 14.*

Tametsi non solum, inquit sacramenti propugnator, testes de assertis suasionibus atque precibus desiderantur, sed testes de re instructi metum aperte excludunt.

Sed habetur aliquid amplius, exclamat vinculi defensor. Mariae enim parochus, sciscitatus a iudice : « Les publications de bans ont-elles été faites régulièrement et n'ont-elles amené la découverte d'aucun empêchement, ni aucune difficulté » reponit : « Les publications ont été faites régulièrement avec dispense cependant de 2 bans. Mlle. Marie se présenta avec sa mère et son futur pour cette formalité. Elle revint même plusieurs fois pour régler la cérémonie du mariage ». Ex quibus testimoniis colligitur iuxta oratorem quaenam fides adhibenda sit iis testibus, qui occentant, sponsam inter civiles et ecclesiasticos matrimonii ritus cogitasse fugam ac tarde proin in ecclesiam pervenisse : ceteroquin ipsa Maria hoc negat et iniigitat rationes suae cunctationis.

Eodem modo vult defensor esse a veritate alienum. Mariam ad ecclesiam accessisse moestam; siquidem Parochus, eius vicarius et plurimi alii testes aperte asserunt contrarium.

Pertransiens modo vinculi propugnator ad alterum suarum animadversionum caput, sustinet constare de consensu externo etiam ex parte mulieris, nec audiendos esse eos testes asserentes non audisse Mariam respondere sacerdoti « oui ». Praeterquam quod, inquit, omnia quae matrimonium praecesserunt, comitarunt atque subsequuta sunt, constituant gravia indicia Mariam praestasse consensum, habentur plurimi testes, omni exceptione maiores, qui referunt ne somnio quidem dubitasse de matrimonii valore relate ad sponsae consensum, vel asserunt vidisse sponsam consensum manifestantem. R. P. Didon, comes de Sesmaisons, comes de Groulaine et Adrianus de Mailly aiunt huiusmodi coniugium nil extraordinarii praesetulisse, quod iuxta oratorem haud dici posset, si sponsa coram parocho consensum manifestare detrectasset.

Sed insuper verum non est, urget defensor, neminem audivisse Mariam consensum exprimentem. Profecto parochus postquam praemiserat : « J'ai prêté assez d'attention à ce mariage », rogatus : « Avez-vous entendu sa réponse aux questions posées par le R. P. Didon ? » iuratus affirmat : « Oui, je l'ai vue s'incliner et dire: Oui, à voix basse » : vice' parochus testatur : « comme je ne voyais pas la jeune fille répondre, je lui dis : Répondez - Oui, mon Père. - Elle s'inclina en signe d'assentiment que je considérais comme un Oui ».

Neque coniuges iuxta ligaminis tutorem in matrimonio posuerunt pactum prolem vitandi. Praeprimis enim a veritate alienum est, Mariam officium matris et nomen odio habere. Ducissa Matritensis fidem facit : « Jamais, à ma connaissance, elle m'a témoigné de pareils sentiments. Et même un jour elle m'a témoigné qu'elle avait espéré devenir mère ». Item alii testes, asserentes Mariam speciali modo semper dilexisse infantes.

Praeterea contra huiusmodi suppositum pactum, orator confidit adducere argumenta peremptoria. Mariae mater siquidem quaerenti iudici: « Avant d'agréer Mr. Robert n'avez-vous pas mis certaines conditions, à votre agrément et lesquelles ? » retulit : « Jamais je n'ai mis aucune condition »: denuo iudex: « N'avez vous pas demandé, soit que cela fut convenu avec Madame votre fille ou que l'ayez fait de vous même, que Mons. Robert s'engageât au moins, pendant un temps à ne point réclamer ses droits d'époux auprès de Madame votre fille ï » iuramento obstricta reponit : « Jamais je n'ai fait une pareille demande ».

Tametsi, ait orator, decantatum vitandi prolem pactum ipsemet Robertus inter fabulas amandat. In iudicio enim iurat : « J'ai répondu vaguement sans donner de promesses formelles, que je tairais tous ce qui serait possible pour sauvegarder la santé de sa fille ». His profecto nec matre, nec filia contentae fuissent, si a Roberto exegissent quidquam, praeterquam quod ipsa Mariae mater affirmât, scilicet : « Que dans ses droits, sans les abandonner, il userait de la plus grande douceur ». Robertus affirmat quoque : « Le soir (diei initi matrimonii) nous nous sommes mis au lit ensemble. J'ai lui demandé l'accomplissement du devoir ». Ex quibus patet iuxta vinculi defensorem haud credendum esse famulo Henrico Hamelin, dum affirmat : « Il (Robertus) avait proposé lui-même à la mère de sa fiancée, de vivre avec elle dans le mariage comme frère et soeur ».

Modo ad ultimum suae orationis caput descendens defensor pro viribus contendit haud in themate esse locum disceptationi super dubio de matrimonio rato et non consummato. Non solum enim lege 43 ff. *De regni. iur.* cautum est : « Quoties concurrunt plures actiones eiusdem rei nomine, unam quis experiri debet » ; sed incivile praeterea est in praesenti iudicii sede de re discutere, quam iudicialis libellus alte silet, de qua non nisi per transennam agit iudicialis inquisitio. Quocirca, inquit, comes Robertus si inconsummatum existimat matrimonium, libellum ad hoc prouti

praecipit Benedicti XIV constit. *Dei miseratione* § *15,* R. Pontifici porrigat, et inquisitione de matrimonio inconsummato ac dispensationis causis expleta, disputabitur de dispensatione.

Sed etiam absque speciali processu evidenter vinculi tutor, asserit, constare de coniugii consummatione. Siquidem, ipsemet comes in iudicio professus est : « Tout dernièrement encore et sachant que le mariage avait été consommé, le P. Didon m'engageait à demander l'annullation ». Roberti mater, archiatro Serrand teste, professa pariter est : « Je sais bien que le mariage à été consommé ». Mariae mater testatur : « Ma fille se décida elle même à entrer dans la chambre de son mari. Deux ou trois jours après Mr. Robert, vint m'embrasser en entrant pour le déjeûner et me dit avec satisfaction : - Maintenant je suis vraiment votre fils. - Il affecta alors de traiter sa femme avec douceur Tappellant: ma petite femme ».

At adsunt etiam alii multi testes, concludit orator, qui rem autumant eandem.

Hisce praenotatis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An sententia Curiae archiepiscopalis parisiensis sit confirmanda vel infirmanda in caste.*

II. *An sit locus disceptationi super matrimonio rato et non consummato in casu.*

Et quatenus *affirmative,*

III. *An sit consulendum SSnio pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 28 Martii 1896 censuit respondere : *ad L sententiam esse confirmandam ; ad II. negative ; ad III. provisum in secundo.*

APUANA

DUBII CIRCA RESIGNATIONES BENEFICIORUM

Die 25 Iulii 1890.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Ordinarius Dioecesanus , S. C. C. sequens proposuit dubium sub *die 24 Augusti 1895 :* Gregorium XIII Constit. *Humano vix* statuere, renuntiatarium, idest illum qui beneficium obtinuerit ab alio dimissum, debere in Ecclesia publicare provisionem hanc infra sex mensium terminum, quatenus a Romano Pontifice id obtinuerit, si vero a Praelatis inferioribus obtinuit infra tres menses ; sub nullitatis poena eiusdem collationis, et devolutionis ad S. Sedem. Nunc quaeritur; dato quod impedimentum obstet, ceu concessio regii *Exequátur, aut Placet,* utile tempus ad publicationem protrahi ne potest, usque ad eiusdem impedimenti cessationem *i*

Disceptatio Synoptica

Re quidem vera aliquam facessit difficultatem ipsa littera rescripti pontificii, quod absolute iubet, omnes solemnitates inibi praescriptas, servandas esse *sub poena* nullitatis. Decernitur enim : « Quod si quidquam praedictorum omnium omissum fuerit, *dictis terminis,* ut cuicumque praescripti sunt, *elapsis,* omnes dispositiones et gratiae resignatorum et cessorum beneficiorum ac iurium huiusmodi cum omnibus inde secutis, sive de pacificis, sive de litigiosis , sint irritae et inanes, nullaque alia gratia super huiusmodi beneficio sive iure cessio, iis quibus concessa fuerit suffragetur etc. » *Termini* vero ii designantur, ut quando provisio fiat a Romano Pontifice, solemnitates publicationis fieri debeant « *intra sex menses si beneficium citra montes fuerit, ultra vero intra novem a data concessionis gratiae non autem a die praestiti super eo consensus* ». Ab Episcopo vero collatio beneficii si fiat « *qui sic pro visus fuerit intra tres menses a*

die sibi factae provisionis illam publicet et beneficii possessionem capiat modo et forma supradictis, alias illis elapis, nulla sit eius provisio et beneficium vacare censeatur ipso iure ».

Verum de observantia huius Const. iam apud S. C C . quaestio fuit in una *Firmana - per Summaria Precum diei 20 Ianuarii 1894;* (1) et' quaerebatur an adhuc rite custodiendae essent huius Bullae praescriptiones nulliusque valoris haberentur acta hisce decretis non observatis, et prodiit responsum: « *Pro gratia sanationis, i aceta petita, quoad praeteritum, facto verbo cum SSmo ad cautelam ; equo vero ad futurum servetur rescriptum Constitutionis - Humano vix iudicio* ». Iamvero tunc etiam Episcopus postulabat, an observantiae voluntatis Pontificis obesset necessitas differendi ultra tempus constitutum a Pontifice, actum capiendae possessionis in beneficiis quia Civile Gubernium ad plures menses differt concessionem *Regii Placiti.* Tunc Vobis simpliciter placuit respondere , praescribendo Pontificiae Constitutionis observantiam. Et iure meritoque siquidem in toto iure nihil tam commune ut « legitime impeditis tempus non currat » namque ad impossibile nemo tenetur, prouti dictat communis sensus. Praeterea Parisius Flaminius, qui celebres exaravit commentarios in hanc Bullam Greg. XIII in suo tractatu *« De resignatione beneficiorum »* probat plures invocando auctoritates et decisiones S. R. Rotae hoc principium huic casui plane applicari *Lib. 11 quaest. 13.*

Quibus praenotatis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re disceptata 'sub die 25 Iulii 1896 censuit respondere : *Servetur Constitutio et ad 'mente) n.*

(1) Relata fuit Vol. XXVII, pag. 8 quaestio haec.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

LUGDUNEN. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Marcellini Iosephi Benedicti Champagnat sacerdotis Maristae et fundatoris parvulorum fratrum Mariae.

Quos Christo Domino adhuc in terris degenti parentes offerebant, parvulos et infantes, ut eis benediceret, ipsi catholicae erga puerilem aetatem institutioni praelucebant, qua unica Christi sponsa Ecclesia filios baptismi mysterio genitos indesinenter fovet atque auget. Quod si nulli unquam tempori defuerunt selecti a Deo viri ac mulieres egregiam pueris puellisque rite informandis operam impendentes, labente hoc saeculo istorum veluti acies extructa apparuit, quae una fere disciplina unoque spiritu ducta christianam civilemque iuventutis eruditionem curare non desinit. Hos inter singulari elogio dignus est Servus Dei M. Champagnat Fundator parvulorum Fratrum Mariae, qui, die 20 Maii anno 1789, in pago *Rozet* nuncupato, e paroecia vulgo dicta *Marines,* dioeceseos tunc Aniciensis dein Lugdunensis, ortum habuit, parentesque sortitus est non censu sed virtute divites. Postridie baptizato indita sunt nomina Marcellinus, Iosephus, Benedictus, eiusque futurae sanctitatis haud obscura indicia Deus praemonstrasse fertur, immisso in cunabula infantis splendore. Matris amitaeque cura, religionis ac virtutum semina excepit puer atque coluit; et undecimum aetatis annum agens, ad sacram synaxim, eo quo decebat candore et fervore, prima vice accessit. Quum tertium lustrum iam complesset, ab agro, ubi parentibus adiutor erat, Deus illum accivit, qui divinae vocationi a sacerdotibus probatae statim obtemperans, avúnculo suo in Paroecia SSmi Salvatoris latinae linguae praeceptori se in discipulum dedit. Post integrum annum a studiis inceptis, adolescens obstacula spernens, parvum Seminarium vulgo *de Verrières* ingressus est, ibique pietate ac modestia praestantissimus, ingenii segnitiem studio ac diligentia devicit. Emensus litterarum et philosophiae curriculum, et an. 1812, in maius Lugdunense Seminarium receptus, theologicis disciplinis addiscendis incubuit, atque in ordinariis vacationibus ecclesiastica munia explere apprime sategit. Ad ordines per gradus promotus, et die 22 Iulii anno 1816 sacerdotio insignitus,

Marcellinus Deiparae Virgini, cuius percelebre sanctuarium *de Fourvière* nuncupatum, ut opem imploraret, una cum ferventioribus sociis adiverat, totum se devovit et consecravit. Die duodecima Augusti eodem anno, ad oppidum LavaIla missus per plures annos Curionis Vicarii munere fungens, pastorali sollicitudine Paroeciae mores renovavit. Quum die quadam iuvenem graviter decumbentem et catholicae fidei ac legis prorsus ignarum reperisset, consilium iam initum et probatum absolvit, Fratresque laicos ad christianam puerorum institutionem in parvam domum collegit. Anno 1824, ampliori domo ad locum vulgo *U Hermitage* extructa, ac dimisso vicariatu La valla, Dei Servus in nascenti religiosa familia parvulorum Fratrum Mariae, provehenda totus erat. Societatem Mariae a P. Ioanne Colin iam institutam, et die 24 Septembris anno 1836 ab Apostolica Sede approbatam, Marcellinus usque eo adamavit, ut eidem ab initio iam adscriptus, deinceps per religiosa vota se devinctum voluerit; suamque societatem veluti illi geminam minoremque sororem respexerit. Hanc tamen a se fundatam specialibus legibus munivit, auxit, recteque gubernavit, novumque Superiorem Ge neralem, per Fratrum suffragia anno 1839 electum, consilio et opere adiuvit, sacrum ministerium in bonum fidelium insimul obeundum mire prosecutus. Postremum Dei Servi opus fuit erectio domus tyrocinii in castro *de Vouban* nuncupato. Nam paulo post laboribus ac infirmitate fractus ac lecto decumbere coactus, Ecclesiae sacramentis rite sancteque susceptis, monita et benedictionem, uti extrema amoris pignora, Fratribus praebuit; ac tandem Angelo Tutelari se commendans atque Iesum et Mariam frequenter invocans, Sabbato ante Festum Pentecostes, die 6 Iunii anno 1840, a terrenis aerumnis ad caelestia gaudia evolavit. Sanctimoniae fama, quam Marcellinus dum vitam ageret, sibi comparaverat, post eius obitum a clero et populo ad parentalia et ad sepulcrum confluente confirmata, adeo in dies clarior diffusa est, ut super ea Processus Ordinarius in Ecclesiastica Curia Lugdunensi sit adornatus. Quo rite confecto et Sacrae Rituum Congregationi exhibito, ad humillimas preces Rmi P. Claudii Nicolet sacerdotis Maristae et Causae Postulatoris, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII per Decreta diebus 28 Aprilis 1893, 29 Martii et 12 Decembris 1895 edita, non modo probavit Rescriptum Sacri Consilii super revisione scriptorum Servi Dei, sed etiam indulsit, ut dubium Introductionis Causae,

nondum elapso decennio a praedicta exhibitione Processus in Actis S. Rituum Congregationis, in Ordinario Coetu absque interventu et voto Consultorum proponi posset. Quare attentis iteratis precibus memorati Postulatoris, nomine quoque Maristarum et Parvulorum Fratrum Mariae, porrectis, ac praesertim litteris postulatoriis, plurium Emorum S. R. E. Cardinalium, sacrorum Antistitum aliorumque virorum ecclesiastica dignitate illustrium, infrascriptus Cardinalis Sacrae Rituum Congregationi Praefectus et huiusce Causae Relator in Ordinariis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit : « *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur ?* » Et S. ipsa Congregatio, omnibus mature perpensis, atque audito voce et scripto R. P. D. Gustavo Persiani Sanctae Fidei Promotoris munus gerente, rescribendum censuit : « *Affirmative, seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo Domino placuerit* ». Die 28 Iulii 1896.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per meipsum infrascriptum Cardinalem relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Rituum Congregationis probavit et propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae praedicti Venerabilis Servi Dei Marcellini Ioseph Benedicti Champagnat, die 9 Augusti eodem anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus,*

L. * S.

A. TRIPEPI S. *R.* C *Secretarius.*

Vitae Synopsis Servi Dei.

Pagus ferme ignobilis in paroecia *Marlhes,* cui nomen *Rozet,* dioeceseos Aniciensis, modo vero Lugdunensis, nascentem vidit Servum Dei die vigesima Maii anni a partu Virginis 1789, ex parentibus non opibus censuque, sed religionis studio praestantibus, qui infantem nativitatis postridie sacris undis lustrandum curarunt, Marcellini Iosephi Benedicti nominibus iriditis- Statim placuit Omnipotenti Deo haud obscuris significare indiciis qua sanctimoniae laude claresceret puerulus, quem in sui gloriam et societatis bonum suscitaverat : siquidem eius pectus

quasi sanctitatis stigmate decoratimi floscello voluit, et pluries in eiusdem cunabula caelestem splendorem immisit, pia genitrice obstupescente, quae « se rassura peu à peu en pensant que Dieu avait des desseins particuliers sur l'avenir de cet enfant » : cives autem egregiam deinceps illius demirati virtutem, et praeclara eiusdem gesta conspicientes dictitare solebant : « Ce n'est pas étonnant qu'il fasse tant de bien, il avait la marque d'un saint, quand il est né ».

Facile inde arguendum quanta charitate ac sollertia felicissima mater flliolum hunc, quem peculiari Dei providentis amore praeventum certa quasi fide sciebat, ad pietatem ac religionem informare atque excolere studerei. Adiutricem in perfungendo munere invenit sui nati amitam, quam e sanctimoniae domicilio depulerat teterrima et nemini ignota gallici tumultus procella, quae egregias permultas mulieres ac viros e sacris tabernaculis deturbaverat et eiecerat. Curis omnibus sategerunt piissimae mulieres, ut tenello in animo christianarum virtutum germina admodum diluculo ingérèrent, nil antiquius habentes quam ab infantili ore suavissima Iesu et Mariae nomina audire. Tradita virtutum documenta suo effectu non camere; animam namque sortitus bonam Marcellinus, atque «ainsi cultivé et formé à la piété par sa mère et sa bornie tante, devint un enfant pieux, docile, modeste et se conserva dans la plus grande innocence ». Vidisses eum incertum adhuc signandi firmo gressu vestigia Angelorum more Deum in templo adorantem, domi genitrici obsequentissimum sua officia praestare, puerilesque cum aequalibus ac praesertim cum puellis non adamantem lusus. « Encore tout petit enfant il se tenait à l'église comme un Ange. Dans sa famille, il préférait rester avec sa mère, et lui aider dans les soins du ménage, que de s'amuser avec les autres enfants. Il n'aimait pas voir les petits garçons s'amuser avec les petites filles, et il leur disait que ce n'était pas bien ».

Quaenam christiana mulier tam amabilis indolis flliolum, ceteros natos morum probitate virtutisque studio antecellentem, impensissimo dilectione non prosequeretur ? Nil proinde mirum si neminem prae eo in deliciis haberet mater ipsius, si istaec « aimait son petit Marcellin plus que ses autres enfants, parce qu'il était plus doux, plus pieux, plus serviable que ses frères ». Nec minori charitatis affectu eum complectebatur amita, quae decimum primum aetatis annum agentem Sacrae Synaxi primum

suscipiendae illum comparare, eo quo decet fervore, summopere cordi habuit.

Quibus autem pietatis sensibus et quo animi candore ad Eucharisticam Mensam accesserit innocentissimus adolescens, satis liquido ex eo colligi potest quod « les anciens de Marines avaient l'habitude de donner Marcellin comme exemple à leurs enfants, lorsque ceux-ci se préparaient à leur première Communion. Mr. Courbon, du Rozet, a déclaré que son père, qui était camarade d'enfance du jeune Marcellin, lui disait souvent: Marcellin était un enfant, qui n'a jamais connu le mal, qui ne s'est jamais écarté du droit chemin; il était le modèle des autres enfants par sa piété, sa modestie et son humilité ».

Ad tertium usque lustrum adiutricem et sedulam operam in agris excolendis ac tritico mola terendo parentibus praestans, « il se faisait distinguer par sâ bonne conduite, sa piété et son amour pour le travail, qu'il a conservé toute sa vie », et eas iam tum egregias animi dotes praeseferebat, quae raro admodum in adolescenti aetate manifestari solent; etenim « il était adroit, laborieux, économe; il réussissait dans tout ce qu'il entreprenait. Par son industrie il était déjà possesseur d'une somme considérable, eu égard à son âge et à la position où il se trouvait». Inter haec et quotidie impensius religionis studium, Dei consilium , quo ad regale Christi sacerdotium et ad nobilissimum animarum lucrandarum munus vocabatur, eius menti illuxit.

Obtemperasset illico, et quidem libenti animo, divinae vocationi optimus adolescens, nisi opum defectus piis optatis officere videretur. Verum contigit per id tempus, ut illius oppidi Parochum duo Sacerdotes adirent, ab Antistite Lugdunensi missi ad exquirendum utrum iuvenes bonae indolis reperirentur, qui vineae Domini excolendae, necessariis ac idoneis operariis tum destitutae ob vere lacrymabilem tempestatem, quae eo usque per Galliam universam in Christi ecclesiam debacchata fuerat, se ipsos devovere voluissent. Opportunam sibi dari occasionem et haud amplius esse cunctandum intellexit Marcellinus, cui animos addidit, consiliis adiuta eiusdem amitae, laetissima mater, offerens quantum pecuniae ex domestica **parsila** onia in arca secreverat. Suos et ille nummos propria industria comparatos amantissimae parenti ultro tradidit, ut primis expensis sacrorum studiorum curriculi ineundi causa perferendis occurreret.

Mittitur itaque adolescentulus, ut latinae grammatices rudi-

menta addiscere!, apud avunculum, qui in paroecia SSmi Salvatoris ludum litterarium habebat. Hic vero quamdam in nepotulo ingenii segnitiem deprehendens, ab incepto eum dimovere adorsus est; at incassum. Ille enim « qui avait bien prié, ne fut pas ébranlé et voulut aller au Séminaire », vulgo *de Verrières,* quod laetanter ingressus est mense Octobri anni 1805. Verum « après une année d'études, le Supérieur du Petit Séminaire trouva que l'enfant n'avait pas assez de talent pour continuer; ce qui affligea beaucoup Marcellin, mais sa mère releva son courage en lui disant : - Nous allons faire un pèlerinage à la Louvesc, et S. François Régis faidera, et on te recevra bien encore ».

Propositi tenax, concordibus studiis cum matre prudentissima divinam sibi opem magis magisque conciliare contendebat Marcellinus, ut, obstaculis sublatis, ecclesiastico ministerio se mancipare valeret. Quod ut facilius assequeretur, novam quasi iniit vitae rationem, iuvene prorsus dignam qui in sortem Domini sit vocatus: spiritus enim fervorem alere adamabat multa prece, frequentiori Sacramentorum susceptione, et fluxarum rerum contemptu. Ex eo tempore, ut verbis utar Testis X, « sa dévotion à la Sainte Vierge augmenta sensiblement: tous les jours, il disait son chapelet, recommandait à Marie sa vocation et lui demandait les lumières et l'intelligence nécessaires pour réussir dans ses études » ; sciebat probus adolescens ad eam tamquam ad *sapientiae Sedem,* et tamquam ad parentem pientissimam fidenti animo esse accedendum.

Hisce pietatis ac fiduciae sensibus alacriter in inceptis perstitit, atque brevi omnia devicit obstacula: siquidem pietate ac diligentia nedum socios antecellunt, sed docilitate quoque ac modestia iisdem in exemplum praeluxit. « Le Serviteur de Dieu fut un modèle de piété, de régularité, de docilité et d'humilité pendant tout le temps qu'il resta à Verrières». Studio pariter sedulam navavit operam, plures in eo noctis horas non perperam insumens, singularemque exhibuit patientiam in lusibus infacetis condiscipulorum tolerandis, quorum non paucos pia industria ad virtutem impensius excolendam adduxit. Per septennium circiter quo in illo sacro ephebio permansit, tanta sedulitate cunctis suis officiis functus est, ut praeceptorum aestimationem et affectum promeruerit, erga quos obsequium plenissimum promovere satagebat. « Ame droite, caractère fer-

me, énergique (sic Testis XVI), cœur sensible et généreux, le respect humain n'eut jamais de prise sur le Serviteur de Dieu. Il était l'un des plus grands de sa classe et des moins avancés; son air timide, embarrassé, ses allures de campagnard portaient naturellement les jeunes élèves à s'en faire un sujet de divertissement. Bien qu'il vît tout ce qui se passait autour de lui, il sut le dissimuler, et rien ne put le détourner du but qu'il s'était proposé. Sa conduite irréprochable à l'égard d'un chacun, ne tarda pas à faire changer de sentiment ses impitoyables condisciples; en peu de temps, il eut bien vite acquis F affection de ses Supérieurs et l'estime des élèves. Le zèle qu'il devait déployer plus tard dans sa vie sacerdotale, prenait déjà de grandes proportions durant le cours de ses études. Doué d'un excellent caractère, gai, ouvert, toujours content des maîtres et des ordres qu'il en recevait, jamais on ne l'entendait formuler la moindre plainte. Si quelqu'un s'oubliât devant lui sur ce point, il prenait aussitôt la défense de l'autorité et du règlement. Dès que le Serviteur de Dieu rencontrait quelqu'un porté à l'ennui ou au découragement, il le prenait en particulier et, par ses conseils et ses bons procédés, il finissait par le ramener à de meilleurs sentiments et souvent à le faire changer de conduite».

Ad solidiorem pietatem tunc et exinde mores suos composuit Marcellinus, qui nil antiquius habebat quam ad SSmam Eucharistiam crebro accedere, atque « sa dévotion à la Sainte Vierge, à S. Louis de Gonzague et à S. Jean François Régis prit un nouvel accroissement par les instructions qu'il entendit, et par les exercices de piété, pratiqués au Séminaire en l'honneur de la Mère de Dieu et de ces deux grands Saints ». Nec secus evenire poterat in adolescente, qui sacerdotis officia aliquando sibi obeunda cogitabat, quique agnoscebat mentem utique optimis disciplinis imbuendam esse, sed etiam cor ad virtutes ac praesertim ad pietatem informandum, ut sacrum ministerium optatum animarum lucrum pariat. Peridoneum autem quum esset illud clericalis disciplinae domicilium ecclesiastico spiritui perficiendo, studium etiam in Marcellino augebatur puriorem ac fervendo rem, dum iucundissima dies ad veniret, se ad aram Domini sistendi.

Divinis itaque scientiis ut instrueretur, anno 1812 in maius Lugdunense Seminarium exceptus est, ubi regularum observantia, mundi et sui despicientia remisit. Dum vero autumna-

liurn vacationum tempore domum revertebatur, quin remitieret aliquid de christianae perfectionis exercitiis, et quin honestis relaxationibus, uti aequum sane erat, suum corpus reficere*, « on ne le voyait qu'auprès des malades, les consolant par de bonnes paroles, ou à l'église, toujours dans une tenue très édifiante. Il était très humble, très mortifié. Chez lui, il ne portait qu'une soutane très grossière, et se contentait de la nourriture ordinaire de ses parents, sans jamais rien accepter chez les autres; il menait déjà la vie d'un saint ». Apostolici praeterea fervoris, quo iam maxime aestuabat, insignia et assidua praebebat specimina : etenim « il réunissait dans sa chambre les enfants du village, pour leur apprendre à prier Dieu et leur faire le catéchisme. Il réunissait également les grandes personnes, les dimanches et les fêtes, après les offices de l'Eglise, pour les instruire de leurs devoirs de chrétien ». Illud autem magis mirandum erat, quod Dei Famulus, ne per sacram quidem Tonsuram Ordinibus initiatus et sua adhuc iuventute florens, de fratribus Christo lucrandis loqui vehementer delectaretur, et ad suas conciunculas traheret pueros cum viris, ex finitimis quoque pagis, omniumque audientium sibi favorem conciliaret, qui numquam pertaesi per duas saepe solidas horas benignas ei praebebant aures.

Qui hoc initium fecerat muneris alios pie sancteque erudiendi, iam ex eo tempore non difficilis coniectura erat qualis deinceps esset futurus, praesertim vero si consideretur eiusmodi muneri perpetuo ac religiose obeundo se ipsum studiosissime parasse atque rite devo visse, quemadmodum sequens documentum, ipsius Servi Dei manu exaratum, luculentissime ostendit. « O mon Seigneur et mon Dieu, je vous promets de ne plus vous offenser, de faire des actes de foi, d'espérance, de charité et autres semblables, toutes les fois que j'y penserai; d'éviter les mauvaises compagnies; en un mot, de ne rien faire qui soit contre votre service; mais, au contraire, de donner le bon exemple, de porter les autres à la pratique de la vertu, autant qu'il dépendra de moi, d'instruire les ignorants de vos divins préceptes, et d'apprendre le catéchisme aux pauvres ainsi qu'aux riches. Faites, mon divin Sauveur, que j'accomplisse fidèlement ces résolutions, que je viens de prendre ».

Aliud prostat in actis eiusdem generis documentum, ex quo aperte deprehenditur Dei Famulum iuge bellum indixisse inanis

gloriae cupidini, sibique constituisse in via christianae perfectionis proficere per humilitatem, quam inflammatis verbis a Domino, intercessione adiecta Virginis Mariae, exposcebat Longa quoque series extat in Summario piarum exercitationum, seu potius certa vivendi methodus ad morem sanctorum concinnata, quam sibi domi praesertim servandam proposuerat, et a qua numquam deflexit, in ecclesiasticam militiam semel cooptatus et Subdiaconus effectus, ab Archiepiscopo Lugdunensi Cardinali Fesch anno 1814, die qua salutis nostrae Auctorem in cunabulis Magi venerati sunt. Qui illam perlegerit, fateatur oportet talem nobis exhibere vitae rationem, quae et censori rigidissimo plane satisfecisset; at satis Dei Servulo non erat: namque anno insequenti, quo etiam Diaconatum suscepit ab Episcopo Gratianopolitano, illam reddidit austeriorem, novisque praescriptionibus' auxit dum ad Presbyteratum se comparabat, exeunte scilicet Iulio mense anni 1816.

Eius interea animum subierat cogitatio societatis excitandae, cuius praecipuus finis esset Evangelii promulgatio et christiana puerorum institutio. Consilium hoc in maiori Seminario Lugdunensi inierat cum ferventioribus condiscipulis, quos inter peculiari memoria dignus Pater Colin, qui pium propositum prae ceteris strenue fovit, et novae Congregationis primus moderator fuit. Idem sociorum consilia una cum Marcellino communicavit Sacerdoti Cholleton, qui tunc temporis Seminarium illud regebat, quique ea probavit, et animos singulis addidit. Nec praetermiserunt lectissimi alumni in opere tam arduo caeleste lumen et auxilium-impetrare, siquidem antequam illud aggrederentur « ils se rendirent tous à Fourvière pour déposer leur projet aux pieds de Marie et La prier de le bénir, s'il était selon la volonté de son Divin Fils », atque propter eximiam pietatem, qua magnam Dei Matrem colebant, novam Societatem ab ea compellare decreverunt.

Ad sacerdotii dignitatem vix evectus Dei Servus, cito materiem uberrimam concupito sacri ministerii exercitio invenit; namque ad oppidum Lavalla a legitima ecclesiastica auctoritate missus, ut adiutricem operam eius satis amplae silvestrisque paroeciae Rectori praeberet, totus fuit in Dei gloria qua praecipue movebatur provehenda, animarumque salute, cuius erat percupidus, procuranda. Utque potioribus praesidiis instructus huiusmodi munus auspicaretur, imprimis sibi auxilium ab alto

propitiare studuit, cum sciret quodvis humanum opus divina gratia indigere, ut optatos ac duraturos pariat effectus; quare ad celeberrimum Mariale sanctuarium *de Fourvtère* se iterum contulit, ut sub Virginis Beatissimae tutela se ipsum sacrumque ministerium poneret; et quamquam diutinas iam fudisset preces, ad praefatam Paroeciam primum accedens, ubi eiusdem turrim conspexit, « il se jeta à genoux pour demander pardon à Dieu de ses fautes, et pour le prier de bénir ses travaux ». Eam vero ingressus « il se mit à la disposition de Mr. le Curé pour le seconder et faire ce qu'il y avait de plus pénible, et le pria de ne pas lui épargner ses avis et ses conseils, et d'avoir la charité de lui faire remarquer ses défauts ». Ita nedum Parochi in quem obsequentissimum se iugiter exhibuit, nil •umquam eo inconsulto aggrediens, animum sibi statim devinxit, sed etiam « il eut bientôt gagné l'estime et la confiance de tout le monde ».

Et quoniam probe intelligebat tunc dumtaxat spirituali proximi saluti efficaciter consuli posse, cum eiusdem indoles infirmitatesque perspectae habeantur, atque submota sint obstacula, quae inanem et saepius inopportunam, reddere possent medelae vim, egregia prudentia et charitate ductus « afin de faire le plus de bien possible, il étudia l'esprit des habitants de La valla, leur caractère et leurs bonnes qualités, leurs vices et leurs défauts, les abus et les désordres qui régnaient dans la paroisse, et après avoir fait approuver ses projets à son Curé, il se mit à l'oeuvre ». Post haec, opimam messem assiduis ex laboribus collegisse Dei Famulum, quem iugiter movebat incensissimus animas fratrum lucrandi zelus, supervacaneum prorsus esset longa oratione declarare. In ministerio indefessus, in officiis charitatis sollicitus, vix aliquot menses eius populi curam gesserai, iamque felix oppidum integre renovatum apparuerat: « la foi se ranima, la piété refleurit, les Sacrements fréquentés et la Paroisse renouvelée». Choréis, crapulis, comissationibus, pravis libris acerrimum bellum indixit, nullique industriae aut molestiae pepercit, ut vitia atque abusus divellerei et amoveret arguens, obsecrans, increpans vel palam e suggestu, vel ad aurem in omni patientia et doctrina.

Quacumque arcessiretur hora, ad infirmis religionis solamina afferenda, nulla interiecta mora, adibat, etiamsi nivosa hiems vel intempesta nox contrarium suadere viderentur. Non

semel pacis sequester electus, domestica dissidia composuit, privatasque ultiones sedavi! Potissimum vero studiosissima eius charitas se prodebat in sacro Poenitentiae tribunali, ubi a mane ad vesperas sedebat, omni ope contendens peccatores ad bonam frugem reducere, piorumque augere fervorem. « C'était surtout au saint Tribunal que l'ardeur de son zèle s'enflammait. Ses avis étaient pratiques et toujours appropriés aux besoins d'un chacun. Là, on était sûr de trouver le représentant du Divin Maître, un guide éclairé et un père plein de compassion et de tendresse. Là, ses paroles pleines d'onction étaient toutes brûlantes de l'amour divin ».

Eius zelus fines non agnoscebat, sed ea prudentia ac suavitate temperabatur, quae vel invitos animos facile allicere eosque in nostram etiam admirationem haud raro rapere valent. Quare mirabitur sane nemo si ille potuit « en fort peu de temps gagner l'estime, le respect et l'affection des habitants de Lavalla. Son genre simple, affable, mais digne, son zèle, son dévouement qui ne connaissait pas de bornes, furent les seuls moyens, dont il se servit pour faire le bien et gagner les âmes à Jésus-Christ. Il parlait volentiers au premier venu, qu'il rencontrait; sa franchise, jointe à un cordial abandon, faisait le charme de ses entretiens , auxquels il ne manquait jamais de glisser quelques paroles d'édification ». Nullum fuit hominum genus quod paterna sollicitudine non excoleret Vir Dei; et quoniam expertus noverat iuxta acceptam a teneris annis institutionem succrescere plebem, suosque deinceps componere mores, ardens eius studium ad pueros quoque peculiari ratione conversum fuit, quibus fidei praecepta tradere, et caelestis dilectionis ignicula ingerere sategit. Ad Sacram Synaxim primum suscipiendam eos curis omnibus comparabat, et munuscula largiebatur iis qui novos ad catechesim socios duxissent. Optimi sacerdotis curis respondebat puerorum affectus; accurrebant enim «avec plaisir au Catéchisme : le froid, la neige, la pluie, rien n'était capable de les arrêter ».

Eximio et benefico Viro quasi munere divinitus dato oppidum Lavalla fruebatur, dum is quadam die accitus ut Sacramenta infirmo iuveni proxime morituro ministraret, omnia ad salutem animae scitu necessaria ab eo prorsus ignorari maximo cum animi sui moerore deprehendit. Meliori quo potuit modo praecipua fidei dogmata ei explanavit, et ad extrema religionis

nostrae subsidia devote suscipienda ipsum comparare studuit, iisque reiecit. Digressus mox reversurus, statim atque hominem alium non longe ab eo aegrotantem sua praesentia solatus esset, illius obitus nuncium accepit. Novo tactus dolore, miserri" mam cogitans rerum salutarium ignorantiam, in qua iuvenes non pauci praesertim ruricolae versari, eaque tabescere potuissent, supernum quasi incitamentum persensit, quo vocabatur ad saluberrimum opus quod iam pridem mente volvebat illico aggrediendum pro christiana puerorum institutione. Nam amplius idcirco cunctandum esse, haesitationes omnes deponendas morasque abrumpendas constituit.

Pastoralis muneris sollicitudo animum eius minime averterai a consilio, quod cum piis sociis, uti superius retulimus, in maiori Lugdunensi Seminario inierat de Societate congregan da, quae fidei dilatandae et puerilis aetatis christianae educationi curandae plane addicta foret, sed magis in eo obfirmaverat infelix prorsus tot puerorum conditio, quos propriis oculis conspiciebat in maxima officiorum omnium ignorantia ex docentium defectu adolescere, quavis religiosa et urbana disciplina destitutos. Miserabatur ruricularum filios, quibus deerat qu frangerei aeternae vitae panem, tantaeque necessitati prospectum volebat per hominum societatem, qui amantissimorum parentum in eos partes susciperent, ac eorumdem animos pietatis eruditionisque praeceptis excolerent. Operi tam proficuo religioni et patriae seipsum devovere inhiabat, et quamquam illud dici poterat inceptum inde iam a die qua Sacerdos Colin exordientis Patrum Maristarum Congregationis moderamen susceperat, non idcirco tamen Dei Famulus pueris erudiendis satis consultum fore arbitrabatur. Volebat ipse munus hoc fratribus praesertim laicis concreditum, utpote illis qui ecclesiastici ministerii officiis haud praepediti Uberiores ad illud accedere, eique impensiori cura vacare potuissent. Hinc quoties coram sive per epistolas cum sodalibus Maristis colloqueretur, hisce eos urgere verbis solebat : « Il nous faut des frères pour faire le Catéchisme et faire l'école aux enfants » ; cui illi cum respondissent « Chargez-vous des frères puisque vous en avez eu la pensée », maturare propositum sacris obsecrationibus et prudentiorum consiliis in dies studebat.

Affulserat itaque novum quasi lumen Dei Famulo, dum Sacramenta allaturus iuveni illi infirmo compertam habuit eius

animi in rebus fidei caecitatem, sicque divinam sibi voluntatem aperte significatam intellexerat. Cui illico obsecuturus, rem aperuit Ioanni Mariae G-rangeon, sua adhuc iuventute fiorenti, qui promptitudine ac simplicitate pari hocce responsum dedit: « Je suis entre vos mains, faites de moi ce que vous voudrez. Je m'estime infiniment heureux de consacrer mes forces, ma santé et ma vie même à l'instruction chrétienne des enfants, si vous m'en jugez capable». Laetissimus Dei Servulus animos illi addidit, inquiens: « Bon courage!" Dieu vous bénira, la Ste. Vierge vous protégera et vous amènera bientôt de nouveaux confrères », quemadmodum reapse accidit; siquidem paucos post dies « la divine Providence lui envoyait Jean Baptiste Audras, né à Lavalla, jeune homme intelligent, d'une candeur et d'une pureté angéliques. Il devint la deuxième pierre de l'Institut », quod veluti evangelicum sinapis granum alte lateque excrescere, uberesque fructus in christianae et civilis societatis emolumentum brevi gignere debebat.

Haec quae veluti prima considerari debent germina novi Instituti, quod *Parvulorum Fratrum Mariae* nuncupatum fuit, tam languida procul dubio, eiusque exordia tam humilia fuere, ut nisi superno rore ubertim essent foecundata, nec extolli, nec diu consistere valuissent. Fatendum item est nonnisi strenua animi constantia et summa in Deum fiducia assequi potuisse pium fundatorem, ne bini illi iuvenes ab inceptis recederent, maxima quippe rerum omnium premebantur angustia. Domunculam, ubi eos primum collocare licuit, mira dumtaxat eorumdem concordia ac laetitia exomatam vidisses. « Ce fut là le berceau de l'Institut, qui retraçait, à quelque chose près, l'humble demeure de Nazareth. Ces deux premiers frères vivaient dans une extrême pauvreté; néanmoins la paix et le bonheur qu'ils goûtaient au service de Dieu, sous la direction paternelle de l'abbé Champagnat, leur faisaient oublier les privations de ce nouveau genre de vie ». Eos ad religiosae vitae normam illico componere voluit Dei Famulus, quibusdam traditis regulis, quae per aequam horarum dirhibitionem congruam temporis partem variis operibus scite tribuebant. Inter eos ipse versari adamabat, contendebatque verbo et exemplo ad virtutis studium illos incitare charitate paterna, quae filialem affectum seu potius venerationem eidem peperit.

Tyronum tunc numeri provehendi percupidus, precibus in-

stabat, atque a Deipara praesertim, quam sibi operibusque suis patronam et auspicem elegerat, fidenter exposcebat ut operarios mitteret in messem suam. Favit votis Servuli sui superum Regina, et quatuor iuvenes prioribus iungendos misit, quos ille, paucis elapsis mensibus, propriis et uniformibus vestibus indutos voluit, iisque praeficiendum statuit, quem ipsi per secreta suffragia in moderatorem eligerent. Nequibat tamen Vir Dei cum amantissimis alumnis commorari, ceu in omnium votis aderat, parochialis ministerii officiis distentus; hinc curabat ad eos ven~ tifcare, et ad solidiorem pietatem certamque docendi methodum sedulo informare.

Auctus illorum numerus hominum dicteria atque censuras excitavit, qui temeritatis insimulabant fundatorem, inanisque gloriae cupidine elatum dicebant. Improbabatur regularum schema, quas nascenti familiae tradiderat; vitae genus et vestium forma acriter quoque improbaban tur. Verum Marcellinus, sicut Deo afflante gravibusque viris suadentibus id opus prudentissime susceperat, sic pari constantia ac humilitate convicia pertulit et obtrectationes, in inceptis progredi summopere contendens. Hinc probe intelligens, rem universam pendere a recta alumnorum informatione, qui susceptum opus perficere quodammodo debebant, eis totum animum adiecit, ut praeceptores pios idoneusque ad munus obeundum efficeret. Illos mittere inceperat diebus festis ad viciniores pagos, ut christianae doctrinae praecepta ruricolarum filiis explanarent, eosque spiritualibus exercitationibus excultos quotidianis ferme curis reddere adnitebatur : attamen iis in adiunctis, dum videlicet omnia creanda erant et solida aedificio substruenda fundamenta, non satis adhuc consultum esse proposito assequendo animadvertit, et communem cum suis iuvenibus ineundam esse vitam censuit, ut eorum mores animique proclivitates perspectas habere posset ac opportune moderari, suumque in eos spiritum transfunderet. Quapropter « il quitta le presbytère et vint demeurer avec ses pauvres disciples, leur servant, tour à tour, de guide et de modèle, partageant avec eux leur modeste repas », perperam obnitente Parocho.

Regebat Dei Famulus suos, parentis potius more quam moderatoris, et exemplo potius quam verbis, nihil ab iis exigens quod ipse antea non praestitisset. Omnem equidem dabat operam, ut uniuscuiusque animum illis disciplinis imbueret,

quibus instructum esse oportet optimum praeceptorem ; sed de singulorum etiam progressibus in christiana perfectione admodum sollicitus erat: etenim, uti edocemur a Teste X, « si le Serviteur de Dieu désirait faire de bons Instituteurs, il avait encore plus à coeur d'en faire de bons religieux. Aussi voulait-il que la piété fût l'âme de toutes les actions de la journée, que le travail et l'étude fussent sanctifiés par la prière ». Volebat apprime ut singuli ferventissima pietate colerent Virginem Deiparam, atque omnem in ea fiduciam collocarent. « C'est Marie (ita eos alloquebatur) qui est la première Supérieure de cet Institut; tout Lui appartient, biens et personnes ; c'est Elle qui doit tout diriger. Nous devons être entre ses mains des instruments dociles. Malheur à nous, si nous voulions y mettre du nôtre, nous ne sommes propres qu'à tout gâter ».

Quum interea novi socii accessissent, ad ampliorem erigendam domum, ubi tyrones reciperet, mentem viresque convertit Dei Famulus, qui ideo hominum obtrectationes in se iterum excitavit, siquidem « on ne pouvait pas comprendre qu'il osât réaliser un si vaste projet sans argent ». At quae opera perardua non sunt aggressi viri Dei ac feliciter prosequuti, nulla humana ope comparati, et superno dumtaxat auxilio confisi ? Iisdem praesidiis innixus proborumque virorum consiliis fotus Marcellinus, de sententia sua non dimovetur contradictionibus et conviciis, sed agnita Dei voluntate per legitimos superiores, quorum iudicio suum propositum supposuerat, alacriter operi manus affert. In valle itaque quae ab eremo nomen mutaverat, vulgo *VHermitagej* Vicarius Generalis Lugdunensis Antistitis auspicalem lapidem aedis excitandae solemni ritu posuit ineunte Maio anni 1824. Quis porro non obstupesceret, virum considerans humanis subsidiis destitutum et obtrectatorum molestiis impetitum, tam amplae molis exstructionem suscepisse, quae centum et quinquaginta socios continere valeret? Inops Dei Famulus, inopesque sodales erant; at ille avebat, praeeunte exemplo, eos paupertate alere, humilitate firmare, in labore perficere.

Pulcrum et mirum sane erat ipsum fundatorem cernere, qui cum sociis ferme inhospitalem domum conduxerat, rudioribus contentum escis, una cum illis saxa admovere, operi im stare assidue, omnesque ad laborem incitare. Quotidie « après la Messe chacun se rendait au travail et s'y occupait en silence selon ses forces. A toutes les heures, on récitait ensemble le

Gloria Patri, V Ave Maria, et une invocation à Jesus, Marie, Joseph. Le Pére Champagnat donnait à tous l'exemple du travail et de la piété. Tout le temps de la construction, les frères furent admirables de piété, de modestie, de dévouement et d'activité tout le temps que dura la construction de la maison. Les ouvriers furent très édifiés de leur piété, de leur humilité et de leur charité ». Atque ita dum is praeclarissimum edebat actum humilitatis ac fiduciae in divinam Providentiam, cui se totum suosque commiserat, maiorem sibi conciliabat virtutis laudem ac venerationis affectum inter discipulos, quibus plane se aequaverat. Hoc tamen, quod tam longe aberat ab humanae prudentiae legibus, fugere non poterat prudentium saeculi censuram, qui id consilii maxime improbantes suadere Dei Famulum adnisi antea fuerant, ut ab inceptis desisteret, et coactam eo usque familiam alteri eiusdem veluti indolis Instituto iam existenti adiungeret.

Obstitit semper iustis de causis fortissimus Vir, qui idcirco multas passus est adversitates etiam ex parte eorum, quos operum suorum fautores experiri debuisset. « Le Curé du Canton s'unit avec celui de Lavalla, pour lui faire de vertes réprimandes, traitant son entreprise de téméraire et le menaçant de faire disperser par la force sa petite Communauté ». At nec minis deterritus vel commotus Dei Famulus, nec ab alio quam a Deo praesidium expectandum ratus, aequissimo animo inter hominum contemptum et vexationes « n'employa d'autres moyens que la patience, la prière et la confiance en Marie. Il ordonna à sa petite Communauté une neuvaine au pain et à l'eau, disant souvent la Messe à cette intention dans une chapelle dédiée à la Sainte Vierge. Peu à peu l'orage se dissipa, et le Père Champagnat, tout en bénissant la divine Providence, continua son œuvre sans jamais se décourager». Et Deus, pro cuius gloria susceptum fuerat sanctum opus, fideli administro suo non defuit : nam quum eo tempore Lugdunensem Dioecesim auctoritate Apostolica Rmus de Pins gubernaret, « le vénérable Prélat, ayant pris connaissance de ce qui se passait, encouragea le Serviteur de Dieu, le félicita de son dévouement et prit l'Institut sous sa protection ». Potuit tunc tyrocinii domui extruendae omnem cum fratribus navare operam, atque Domino servorum suorum laboribus visibiliter favente, perbrevi temporis spatio aedificium universum absolutum est una cum sacello,

quod honori Mariae Virginis sacrae benedictionis solemniis dica vit, die quo eiusdem Deiparae in caelum assumptae festum agitur anno 1825, Rev. Dervieux, Rector paroeciae S. Petri in civitate vulgo de *Saint-Chamond,* ab Archiepiscopo Dioeceseos deputatus.

Sic difficultates inter et obstacula suum Institutum in novam aedem transferre datum fuit Dei Famulo, cui non ita pridem adhaeserat Sacerdos Courveille, qui désirait vivement être nommé « Supérieur » ; at quum id assequi nequivisset, acriores illi vexationes paravit. Eadem humilitate ductus, quae ceteros fundatores ad desiderium abiiciendi regiminis compulerat, etiam Marcellinus suos fratres congrega vit, eosque suasit ut societatis moderamen alicui e sodalibus crederent. Singuli bis suum suffragium secreto protulerunt, ac semel iterumque eumdem elegerunt. Hoc animum sacerdotis Courveille plurimum exasperavit, qui statim severiori methodo iis cum fratribus agere coepit, qui suffragium ei denegaverant. Oblocutiones et contemptum in fundatorem excitabat, undique ei adversabatur, planeque ineptum societati regendae asserebat, atque data opera, ipsius existimationem apud Archiepiscopum convellere contendebat. Infracto quidem animo hisce occurrebat Dei Famulus « et mettait toutes ces épreuves au pied de la Croix » ; vexationum tamen iniquitas et laborum diuturnitas corporis eius vires fregerunt, gravissimumque genuere morbum, a quo fratrum potius precibus quam salutaris artis subsidiis quodammodo con valuit. Eius animi moerorem tunc maxime auxit duorum sodalium inconstantia, qui ipsi eiusque familiae terga verterunt. « Frère Jean-Marie, son premier disciple, celui qui l'avait aidé à fonder l'Institut et qui, jusqu'ici, lui avait été d'un si grand secours dans l'administration, quittait l'Institut pour rentrer dans le monde. Cette défection fut cruelle pour le Serviteur de Dieu; elle fut suivie, quelques jours après, de celle d'un autre frère, qui ne lui était pas moins utile, ni moins cher ».

Istorum defectio in sua sententia obfirmavit Dei Famulum religiosis votis fratres statim obstringendi. Ne quidquam autem ageret inconsulto, de re sermonem habuit cum suo Archiepiscopo, qui propositum probavit, et anno 1826 vota primum nuncupata sunt. Interim cum satis amplum solidunque suum Institutum conspiceret, vestium, quas fratribus dederat, formam immutandam seu potius perficiendam ratus est, ut magis illius

paupertati ac humilitati congrueret; at novae exinde fratrum querimoniae, quarum fautores pervicacissimos e societate ejicere coactus fuit.

Ut autem recentis consociationis firmitati melius provisum foret, obtinere contendit prudentissimus fundator approbationis litteras a civili suprema auctoritate, iamque omnia eius votis favere videbantur, dum obstiterunt luctuosi eventus anni 1830. Inde plura perpeti debuit inter politicas perturbationes, quae tamen vel minimum quidem animi eius constantiam labefactare valuerunt. Pertimescendum maxime tum erat improborum odium in religiosos viros; at ille fratrum numerum augebat; milites missi sunt cum regio magistratu ad eius aedem sedulo perscrutandam, quasi arma ad obsistendum illic asservarentur, ceu adversari! dictitabant: sed vir Dei comiter satellites excipiebat, magistratus gratiam sibi suisque conciliabat. Sic universae criminationes profligatae fuere, et procellae impetus in praeclarissimam Servuli sui commendationem a Domino mirifice conversus est.

Societatis incrementa, quae summopere cordi habebat, firmiora semper reddere studens, novarumque scholarum prosperitati consulere exoptans, iterum posthaec contendit atque nihil intentatum reliquit, ut tum illius, tum istarum regiam recognitionem assequeretur. Perperam tamen bis Lutetiam Parisiorum petiit annis 1836 et 1838, quin ideo graviter commoveretur vel animum desponderet, nam, uti refert Testis XIV, « le Serviteur de Dieu accepta cette nouvelle épreuve avec une résignation parfaite, et alla se consoler et se fortifier aux pieds de Notre-Seigneur au Très Saint Sacrement de l'Autel ». Crescebat inter obstacula Servi Dei opus, et plures iam extabant domorum et scholarum fundationes, quarum interiori regimini opportunis legibus prospiciendum erat. Viginti annorum experientia valde idoneas illarum progressibus probaverat regulas, quas pius fundator a primis Instituti exordiis concinnaverat; at prudentissimus Vir noluit eas imprimi, nisi prius ántiquiorum fratrum exa mini supponerentur, atque eorumdem firmarentur sententia.

Qua vero animi laetitia ineunte anno 1837 sui Instituti regulas vulgavit, eadem, imo et maiori, nuncium exceperat, superiore volvente, Apostolicae approbationis Societatis Patrum Maristarum, in qua grati devotique animi sensibus religiosa vota nuncupavit die vigesima quarta Septembris anni ipsius.

Documentum in actis prostat, quo apertissime edocemur Dei Famulum in Patrum Maristarum Congregationis fundatione id praesertim voluisse, ut Marialis cultus proveheretur, cui se suaque omnia devovit: et quamvis in alteram, quae illi gemina dicenda est, operam viresque suas iugiter contulisset, numquam tamen a proposito divertit, et cum Patribus illis miro concordiae et charitatis nexu semper iunctus fuit.

Eorum moderatoris Patris Colin haud raro adiutus est consiliis et incitamentis, eoque suasore ac praeside, anno 1839, dum ob assiduos cum aerumnis exantlatos labores inflrmiori valetudine laborare coepisset, alium sibi suffici in superioris munere per fratrum suffragia curavit. Noluit tamen laboriosam vitam intermittere, et paucis vix elapsis diebus in oppidum non ita proximum perrexit, ut spiritualia exercitia praeberet eius domus alumnis, quibus dulcissimam sui memoriam reliquisse scimus; etenim « l'air de bonté, de sainteté, qui paraissait sur sa figure, fit une vive impression sur les jeunes gens; tous voulaient s'adresser à lui. Il disaient entr'eux: - C'est un Saint! ». Deinde, rogante Augusto d un en si Antistite, quin aliquid requietis sibi concederet, aliam tyrocinii domum aperuit in castro vulgo *de Vauban.*

Hoc postremum fuit Dei Famuli opus: nam, perfractis corporis viribus, ad extremum eventum devenerat. Ingravescente valetudine, ac lecto decumbere coactus, Ecclesiae Sacramenta coram fratribus incredibili animi fervore suscepit, eisque paterni animi affectu suprema monita dedit, ac peramanter benedixit. Praeclara et assidua praebens patientiae, pietatis et subiectionis divinae voluntati exempla, ad diem sextam Iunii anni MDCCCXL pervenerat, qua die aerumnas huius saeculi cum beatitate aeterna commutavit, aetatis annum quinquagesimum secundum vix agens.

EX S. C. DE PROPAGANDA FIDE

Variae praescribuntur Normae a Missionariis observandae in Litteris vel Documentis |£§ ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide mittendis.

Ülmis ac Rmis Ordinariis Missionum, quae a S. Congregatione de Propaganda Fide dependent.

Cum multiplicitas negotiorum quae ab hac S. Congregatione de Propaganda Fide pro locis Missionum sibi creditis agenda sunt, in dies augeatur, optatissimum est ut ea, quae expeditionem rerum tractandarum retardant, removeantur.

Hinc est quod infrascriptus Archiepiscopus S. Congregationis de Propaganda Fide Secretarius iuxta mentem Emi Cardinalis eiusdem S. Congregationis Praefecti nonnulla, quae experientia edocuit minus convenire, Revmis Locorum Ordinariis iudicare necessarium iudicat, rogans Eos ut pro sapientia et zelo, quibus praestant; eadem in negotiis cum hac S. Congñe curandis observanda, quibus oportet commendare velint.

Et in primis plurimum interest ut non solum litterae ad hanc S. Congregationem expeditae, sed etiam, et praesertim, documenta iisdem adiuncta, latino exarata sint sermone, vel italico aut gallico, ceterarum enim linguarum communis adhuc non habetur cognitio, et interpretum opera longior evadere solet nec semper satis est secura.

Insuper non raro accidit ut litterae, quae recipiuntur tam informi calamo conscripta sint, ut eas perlegere difficillimum sit etiam peritis, neque id obtinetur absque magna temporis iactura gravique labore. Aliquando etiam chartae adhibentur coloris caerulei, aut subobscuri, aut transparentis, atramentum vero coloris fere albi, ita ut lectoris visus improbe defatigetur. Instanter igitur rogatur ut huiusmodi impedimenta e medio tollantur.

Nec incongruum est animadvertere nonnunquam in epistolis, quae ad S. Congregationem vel ad Sanctitatem Suam per ipsam S. Congregationem mittuntur, formam exteriorem magis respondentem dignitati virorum,, quibus praesentandae sunt, desiderari. Tum folia litterarum et documentorum ita saepissime scripta sunt, ut ordo scriptionis unius paginae sit inversus in successiva, et hinc cum ex his foliis, pro eorum conservatione in Archivio, libri coniiciuntur, isti pro singulis paginis legendis ab imo deorsum verti debent, non sine inutili lectoris incommodo et fastidio.

Tandem et aliud inconveniens aliquando locum habet, quod scilicet a S. Congregatione in receptione epistolarum, pro insuf-

fidenti solutione pretii transmissionis a mittentibus, duplex taxa solvenda est; unde quotannis non exigua pecuniae summa necessitatibus quotidie crescentibus Missionum subtrahitur.

Ad haec omnia incommoda efficaciter removenda infrascriptus Secretarius desiderium huius S. Consilii, non sibi semel patefactum, per praesentes litteras evulgare censet, iterumque rogat ut litterae et documenta, quae ad hanc S. Congregationem mittuntur:

I°. Latino idiomate, vel saltem italico aut gallico, exarata sint, sic cautum fuit per litteras circulares huius S. Congregationis diei 1 Februarii 1892.

2°. Ut intelligibili charactere conscribantur, praesertim quoad nomina propria personarum et locorum, convenientemque exteriorum praeseferant formam quoad chartae dimensiones, quae charta sit albi coloris et atramentum nigrum.

3°. Ut ordo scriptionis paginarum is sit qui servatur in libris, qui typis eduntur.

4°. Ut praescripta a lege in singulis regionibus pro expediendis litteris taxa exacte a mittentibus solvatur.

Datum Romae ex aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide diei 18 Maii 1896.

✠ AUGUSTINUS CIASCA ARCHIEP. LARISS. *Secretarius.*

EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

Licet uti butyro per modum condimenti quando ex indulgentia S. Sedis licet usus condimentorum ex adipe.

In Congregatione Generali Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis habita feria IV die 13 Maii anni 1896, Emi atque Revmi Domini Cardinales inquisitores generales sequens dubium expediendum susceperunt:

Utrum diebus ieiunio consecratis, in quibus Apostolica venia usus condimentorum ex adipe indulgetur, butyro quoque per modum condimenti uti liceat.

Atque omnibus sedulo perpensis habitis etiam prae oculis latis antea a S. Sede hac super re decisionibus, decreverunt: *Supplicandum Sanctissimo pro gratia.*

Sequenti vero feria VI die 15 eiusdem mensis Sanctissimus Dominus Noster Leo divina providentia PP. XIII in audientia R. P. D. Adsessoris S. Officii impertita, benigne annuere dignatus est pro gratia, iuxta Eminentissimorum Patrum suffragium.

IOSEPHUS MANCINI
S. Rom. et Univ. Inquisitionis *Notarius.*

APPENDIX IL

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST.; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

S. C. S. Officii 4 iulii 1883.
Dubium de lucro ex mutuo quod exigitur iuxta legem civilem.

Se nella Gina debbano lasciarsi senza inquietarli i fedeli che nel mutuo percepiscono l'intera tassa civile, ossia tutto l'interesse permesso dalla legge, ovvero, almeno nelle provincie dove generalmente si usa prendere un interesse minore, siano da consigliarsi ed anche da obbligarsi a non percepire più di quello che si vuole comunemente, che è in media il 15 per cento.

R. Illos non esse inquietandos qui lucrum percipiunt ex mutuo in ea quantitate quae est a lege permissa, in usu communiter recepta, et a prudentibus ac timoratae conscientiae viris comprobata, dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis.

S. Poenit. Ap. 18 Aprilis 1889. — Dubium quoad usuras quae videntur immodicae.

Il Vescovo N. N. umilmente sottopone all'autorevole giudizio di V. S. Riña il caso, pur troppo frequente di usura del *dieci* e dell'oí io per cento che riscuotesi anche dai buoni cristiani, in vista del lucro quasi eguale che sempre con maggiore puntualità si trarrebbe dagli stessi capitali, se fossero sulle nuove banche impiegali. Aggiungasi che il citato *per cento* si vuol percepire, il più delle volte, anche netto di ricchezza mobile, stante il timore di una gravosa multa cui andar dovrebbe soggetto il creditore, nella facile ipotesi di necessaria pubblicazione del titolo creditorio per rimborsare le mutuate somme. Ed è per assicurare la pace di coscienza che il sottoscritto implora l'oracolo di cotesto Tribunale.

R. Cum fructus pecuniae taxare per modum regulae pericolosum sit, Ven. in Christo Pater Episcopus orator in singulis casibus rem decernat iuxta praxim communem servatam ab hominibus timoratae conscientiae respectivis in locis et temporibus.

Instr. S. C. de Prop. Fide 1873. — Collectio resolutionum circa lucrum ex mutuo.

Saepenumero contingit ut ad Apostolicam Sedem deferantur quaestiones circa lucrum'ex mutuo, quibus a Romanis Congregationibus, apposita resolutione, in similibus casibus provisum est. Ut itaque Superioribus Missionum praesto sit necessaria notitia eorum quae hactenus hac super re decreta sunt, opportunum visum est S. Consilio Christiano Nomini propagando omnes memoratas resolutiones una cum Constitutione Benedicti PP. XIV *Vix pervenit* in lucem edere ; easque ad omnes Episcopos, Vicarios ac Praefectos Apostolicos ab eadem S. Congregatione dependentes mitti placuit.

I. - S. *C S. Officii sub die 13 ianuarii 1780 ad R. P. D. Vicarium Ap. N. N.* — « Cum aequalitas in contractibus, ut iusti sint, requiratur, nihil in mutuo vi mutui, ut saepe definitum est, accipiendum ultra sortem principalem. Quod si mutuanti lucrum cessare, vel damnum emergere, aui periculum imminere amittendae sortis, vel assumendi insólitos labores pro illius reparatione contingat, horum quidem compensationem repeti posse, duabus tamen conditionibus semper ob oculos positis, quarum prima, ut reapse titulus unus aliquis ex istis concurrat, altera ut nihil amplius, quam vere ille postulat, exigatur. Quamobrem a iustitiae regula deficere, et restitutioni obnoxios esse omnes contractus, in quibus aut interesse, fingitur, quod compensetur, aut plus petitur, quod adaequata compensatio requirit. Imprudenter igitur atque illicite agere, manifestoque se iniustitiae discrimini committere patet, qui ex eo quod periculum, quod innuimus, plerumque in *tali loco* occurrat, *lucrum semper atque idem semper lucrum requirunt* , quasi periculum semper intercedat, et cum adfuerit, eamdem semper remunerationem petat: *neque excusari quod minorem, quam quae Regni lege permittitur, usuram percipiunt; cum non ideo rectum sit aliquid, quod a iustitia minus deflectit, nisi ad recti formam prorsus componatur,* neque humana sed divina lege naturali, quae aequitatis tenax est, hominum actiones pensandae sint. *Eos tantum rr-te se gerere, qui ad individuos casus respicientes tunc solum compensationem exposcunt, cum, periculum revera intervenit, et non aliam tunc compensationem quaerunt, quam quae periculi gravitati, quae proborum idcirco prudentumque iudicio aestimanda est, respondet.*

II. - S. *Rom. Inquisii, an. 1784. Mart. 18. ad Vic. Ap. D. D. N.— Super quaestione mutui.* — « Atque illud in primis est exploratum ratione mutui immediate, et praecise *nihil esse accipiendum* ultra sortem

principalem. Si vero aliquid percipiatur ratione periculi probabiliter imminentis, non esse mutuantes inquietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis periculi, et probabilitatis eiusdem, et servata proportione inter periculum, et id quod accipitur. His ipsis verbis ita definitum est a Sacra Congregatione de Propaganda Fide die 12. Septembris an. 1645. cuius decretum pro Sinensibus Missionibus editum hic adiungitur (1).

Quaeri nunc potest quale esse debeat periculum, et quae eius ratio, et natura, ut hoc concurrente titulo, possit mutuans aliquid ultra sortem recipere. In hac autem quaestione pro certo tenendum est, non qualecumque periculum satis aptum atque idoneum aestimandum esse, ut aliquod lucrum ex mutuo percipi possit. Nam cum titulus, ex quo iusta, ac legitima causa consurgit, ut quiddam amplius ultra sortem ex mutuo debitam rite exigatur, debeat semper esse extrinsecus, nec mutui naturae coniunctus, et innatus : hinc plane consequitur, quod si

(1) S. C. de Prop. Fide 12 Septembr. 1645. — Miss. Sin. - 1. In Chinarum Regno lege stabilitum est, ut in mutuo *triginta pro centum* accipiatur absque respectu lucri cessantis, aut damni emergentis. Quaeritur utrum chinensibus sit licitum pro pecuniarum suarum mutuo, licet non interveniat lucrum cessans, aut damnum emergens, praedictam *pro centum triginta* quantitatem Regni lege taxatam accipere: Et causa dubitationis est, quia in recuperanda pecunia est aliquod periculum, scilicet, quod qui accipit mutuum fugiat, vel quod tardet in solvendo vel quod necessarium sit coram iudice repetere, vel propter alia huiusmodi.

2. In universo Chinarum Regno domus publicas usuris deputatas reperiri res est usitata, in quibus usurarli publici, facta sub pignorum cautione, pecuniam suam, sumpto lucro, ad usuram dare solent; ea tamen conditione, ut pro uno ducato singulis mensibus tantum quid accipiant; et si, tanti elapsis annis, pignorum dominus, pro iisdem recuperandis pignoribus, soluta principali pecunia cum lucro, non redierit, actionem et dominium, quod habebat in suis pignoribus, illico amittat. Istae autem domus, reipublicae necessariae sunt, et quamvis usurara vitam usurariam dimittere velint, a non desistendo a praedictis usuris, iudicis auctoritate compelluntur. Quaeritur utrum, si huiusmodi usurarii converti velint ad fidem, possint baptizari manendo in suo statu usurario propter causam supradictam; vel quidnam in tali casu agendum sit.

R. Ad 1. Ratione mutui, immediate et praecise, nihil esse accipiendum ultra sortem principalem : si vero aliquid accipiant ratione periculi probabiliter imminentis, prout in casu, non ess: inquietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis periculi et probabilitatis eiusdem, ac servata proportione inter periculum, et id quod accipitur.

Ad 2. Chinenses in statu usuiario permanentes, baptizari non posse; si vero iudicis auctoritate compellatur ad proprias pecunias mutuandas, posse aliquid accipere, etiam recepto pignore, ultra sortem principalem, tum ratione curae in custodia pignorum, lucri quoque cessantis, et damni emergentis ; tempore autem praestituto, si ex venditione pignorum aliquid supersit sorti principali, et lucro ex causis praedictis iuste acquisito, domino pignoris esse restituendum.

periculum ex iis circumstantiis dumtaxat proficiscatur, quae omnibus muluantibus istic communes sunt, nec ab ipsa mutui natura disiungi possunt, tunc certo quodlibet lucrum, quod ex mutuo captatur, ab usurae labe purgari minime potest. Quapropter cum pestis, incendia, turcarum persecutiones, aliaque huiusmodi infortunia, quae quamvis Constantinopoli frequentior sint, in quacumque tamen urbe semper instant mutuantibus, maximopere cavendum est, ne propter commune hoc periculum, quod ipsius mutui vis ac natura importat, aliquid in mutuo ultra sortem exigatur. Maiorem potius habere videtur indaginem, cum periculum amittendae sortis immineat vel ex culpa ipsiusmet mutualarii, quod veterator sit, fallax, vafer, quod fuga, aut maliliosis tergiversationibus creditorem fallere possit, vel cum praeter ipsius mutuatarii culpam, alia instent creditori pericula ex loci, temporis, ac personarum circumstantiis, quae ipsum in sorte recuperanda valde anxium, atque sollicitum teneant. Quamvis vero potiora semper haberi debeant pericula, quae ex culpa mutuatam proficiscuntur, attamen in his omnibus casibus an, quomodo, et quanti aestimari tale periculum possit, ex quo titulus legitimus mutuanti praebeatur ad lucrum supra sortem captandum, perdifficile sane est generatim statuere. Ad unamquamque rem aestimandam, momentoque suo ponderandam, imcumbat confessariorum solertia et doctrina: ipsi perpendant singulos casus, inquirant super qualitate , et probabilitate periculi , videant si assecuratione pignoris omne absit periculum, servent proportionem inter periculum, atque id quod mutuanti lucrari supra sortem permittitur, probatos auctores consulant, atque praesertim adhaereant sententiis, atque principiis, ab hac Apostolica Sede approbatis, tam in supra laudato decreto S. Congregationis de Propaganda Fide anni 1645., quam in Epistola Encyclica Benedicti XIV. *Vix pervenit* edita anno 1745., cuius exemplum hic alligatur (1).

(1) Ep. Encycl. Bened. PP. XIV. 1. Nov. 1745. « Vix pervenit ad aures nostras, ob novam controversiam (nempe, an quidam contractus validus iudicari debeat) nonnullas per Italiam disseminari sententias, quae sanae doctrinae haud consentaneae viderentur, cum statim nostri Apostolici muneris partem esse duximus, opportunum afferre remedium, ne malum eiusmodi, temporis diuturnitate, ac silentio, vires magis acquireret; aditumque ipsi intercludere, ne latius serperet, et incolumes adhuc Italiae civitate* labefactaret ».

« i. 1. Quapropter eam rationem consiliumque suscepimus, quo Sedes Apostolica semper uti consuevit; quippe rem totam explicavimus nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, qui sacrae theologiae scientia, et canonicae disciplinae studio ac peritia plurimum commendantur. Accivimus etiam plures Regulares in utraque facultate praestantes, quorum aliquos ex monachis, alios ex Ordine Mendicantium, alios demum ex Clericis Regularibus

III. - *Pius VIII -in audientia Assessoris S. Officii ad dubia Episcopi Rhedonensis.* — « **Episcopus Rhedonensis in Gallia exponit Sacrae Congregationi Inquisitionis, non eamdem esse confessariorum suae dioecesis sententiam de lucro percepto ex pecunia negotiatoribus mutuo datae**

selegimus ; Praesulem quoque iuris utriusque laurea praeditum, et in foro diu versatum adhibuimus. Diem quartam indiximus Iulii, qui nuper praeterit, ut coram Nobis illi omnes convenirent, quibus naturam totius negotii declaravimus; quod illis antea cognitum perspectumque deprehendimus ».

« i 2. Post haec praecepimus, ut omni partium studio, omnique cupiditate soluti, rem totam accurate perpenderent, suasque opiniones scripto exararent ; non tamen expetivimus ab ipsis, ut iudicium ferrent de contractu, qui controversiae causam initio praebuerat, cum plura documenta non suppeteret, quae necessario ad id requirebantur; sed ut certam de usuris doctrinam constituerent, cui non mediocre detrimentum inferre videbantur ea quae nuper in vulgus spargi coeperunt, iussa fecerunt universi : nam suas sententias palam declararunt in duabus Congregationibus, quarum prima coram Nobis habita est die 18 Iulii, altera vero die prima Augusti, qui menses nuper elapsi sunt ; ac demum easdem sententias Congregationis Secretario scriptas tradiderunt ».

« i 5. Porro haec unanimi consensu probaverunt:

I. Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam sedem, et locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tantundem dumtaxat reddi postulat quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quam est receptum; ideoque ultra sortem, lucrum aliquod, ipsius ratione mutui, sibi deberi contendat. Omne propterea huiusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum et usurarium est ».

« II. Neque vero ad istam iabem purgandam, ullum accersiri subsidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens et nimium, sed moderatum; non magnum, sed exiguum, sit ; vel ex eo, quod is, a quo id lucrum solius causa mutui deposcilur, non pauper, sed dives existat; nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coëmendis praediis, vel quaestuosis agitandis negotiis, utilissime sit impensurus. Contra mutui siquidem legem, quae necessario in dati atque redditi aequalitate versatur, agere ille convincitur, quisquis, eadem aequalitate semel posita, plus aliquid a quolibet, vi mutui ipsius, cui per aequale iam satis est factum, exigere adhuc non veretur: proindeque si acceperit, restituendo erit obnoxius, ex eius obligatione iustitiae, quam commutativam appellant, et cuius est, in humanis contractibus aequalitatem cuiusque propriam et sancte servare, et non servatam exacte reparare ».

« III. Per haec autem nequaquam negatur, posse quandoque una cum mutui contractu quosdam alios, ut aiunt, titulos, eosdemque ipsimet universim naturae mutui minime innatos et intrínsecos, forte concurrere, ex quibus iusta omnino legitimaque causa consurgit, quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur, posse multoties pecuniam ab unoquoque suam, per alios diversae prorsus naturae a mutui natura contractus, recte collocari et impendi, sive ad proventus sibi animos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam, et negotiationem exercendam, honestaque indidem lucra percipienda ».

« IV Quemadmodum vero in tot eiusmodi diversis contractuum generibus, si sua cuiusque non servatur aequalitas, quidquid plus iusto recipitur, si minus ad usuram (eo quod omne mutuum tam apertum, quam pallia t um absit), at certe ad

ut ea ditescant. De sensu epistolae encyclicae *Vix pervenit* acriter disputatur. Ex utraque parte momenta afferuntur ad tuendam eam quam quisque amplexus est sententiam, tali lucro faventem, aut contrariam. Inde querelae, dissensiones, denegatio Sacramentorum plerisque nego-

aliam veram iniustitiam, restituendi onus pariter afferentem, spectare compertum est ; ita si rite omnia peragantur, et ad iustitiae libram exigantur, dubitandum non est, quin multiplex in iisdem contractibus licitis modus et ratio suppetat humana commercia et fructuosam ipsam negociationes ad publicum commodum conservandi, ac frequentandi. Absit enim a christianorum animis, ut per usuras, aut similes alienas iniurias, florere posse lucrosa commercia existiment; cum contra ex ipso oraculo divino discamus ; quod *iustitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum* ».

« V. Sed illud diligenter animadvertendum est, falso sibi quemquam, et nonnisi temere persuasurum, reperiri semper, ac praesto ubique esse, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel secluso etiam mutuo, contractus alios iustos, quorum vel titulorum, vel contractuum praesidio, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties semper liceat actuarium moderatum, ultra sortem integram salvamque, recipere. lia si quis senserit, non modo divinis documentis, et Catholicae Ecclesiae de usura iudicio, sed ipsi etiam humano communi sensui, ac naturali rationi procul dubio adversantur. Neminem enim id saltem latere potest, quod multis in casibus tenetur homo, simplici ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso praesertim Christo Domino edocente : *Volenti mutuari a te, ne avertaris :* et quod similiter multis in circumstantiis, praeter unum mutuum, alteri nulli vero iustoque contractui locus esse possit Quisquis igitur suae conscientiae consultum velit, inquirat prius diligenter, oportet, vere ne cum mutuo iustus alius titulus, vere ne iustus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quaerit lucrum, omnis labis expers e! immune reddatur ».

« i 4. His verbis complectuntur, et explicant sententias suas Cardinales, ac theologi, et viri Canonum peritissimi, quorum consilium in hoc gravissimo negotio postulavimus, Nos quoque privatum studium nostrum conferre in eamdem causam non praetermisimus, antequam Congregationes haberentur, et quo tempore habebantur, et ipsis eliam peractis; nam praestantium virorum suffragia, quae modo commemoravimus, diligentissime percurrimus. Cum haec ita sint, approbamus, et confirmamus quaecumque in sententiis superius expositis continentur; cum scriptores plane omnes, Theologiae, et Canonum professores, plura Sacrarum Lilerarum testimonia, Pontificum Decessorum Nostrorum decreta, Conciliorum et Patrum auctoritas, ad easdem sententias comprobandas pene conspirare videantur. Insuper apertissime cognovimus auctores, quibus contrariae sententiae referri debent ; et eos pariter, qui illas fovent, ac tuentur, aut illis ansam, seu occasionem praebere videntur; neque ignoramus quanta sapientia, et gravitate defensionem veritatis susceperint theologi finitimi illis regionibus, ubi controversiae eiusmodi principium habuerunt ».

« i 5. Quare has literas encyclicas dedimus universis Italiae Archiepiscopis, Episcopis, et Ordinariis, ut haec Tibi, Venerabilis Frater, et caeteris omnibus innotesceret; et quoties synodos celebrare, ad populum verba facere, eumque sacris doctrinis instruere contigerit, nihil omnino alienum proferatur ab iis sententiis, quas superius recensuimus. Admonemus etiam vehementer, omnes sollicitudinem impendere, ne quis in vestris dioecesibus audeat Uteris, aut sermonibus contrarium docere. Si quis autem parere deirectaverit, illum obnoxium et subiectum declaramus poenis

tiatoribus isti ditescendi modo inhaerentibus, et innúmera damna animarum. Ut animarum damnis occurrant, nonnulli confessarii mediam inter utramque sententiam viam se posse tenere arbitrantur. Si quis ipsos consulat de istiusmodi lucro, illum ab eo deterrere conantur. Si

per Sacros Canones in eos propositis, qui mandata Apostolica contempserit ac violaverint ».

« §. 6. De contractu autem, qui novas has controversias excitavit, nihil in praesentia statuimus; nihil etiam decernimus modo de aliis contractibus, pro quibus theologi, et Canonum interpretes in diversas abeunt sententias: attamen pietatis vestrae studium ac religionem inflammandum existimamus, ut haec, quae subiicimus, executioni demandetis.

« i 7. Primum gravissimis verbis populis vestris ostendi te, usurae labem ac vitium a divinis Literis vehementer improbari, illud quidem varias formas atque species induere, ut fideles Christi Sanguine restitutus in libertatem et gratiam, rursus in extremam ruinam praecipites impellat. Quocirca si pecuniam suam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate omnium maiorum fonte rapiatur, sed potius ab illis qui doctrinae ac virtutis gloria supra caeteros efferuntur, consilium exposcant ».

« §. 8. Secundo loco, qui viribus suis, ac sapientiae ita confidunt, ut responsum ferre de iis quaestionibus non dubitent (quae tamen haud exiguam Sacrae Theologiae, et Canonum scientiam requirunt) ; ab extremis, quae semper vitiosa sunt, longe se abstineant. Etenim aliqui tanta severitate de iis rebus iudicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia desumptam accusent, tamquam illicitam, et cum usura coniunctam ; contra vero nonnulli indulgentes adeo, remissique sunt, ut quodcumque emolumentum ab usurae turpitudine liberum existiment. Suis privatis opinionibus ne nimis adhaereant; sed priusquam responsum reddant, plures scriptores examinent, qui magis inter caeteros praedicatur; deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent. Quod si disputatio insurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullae omnino contumeliae in eos confingantur, qui contrariam sententiam sequuntur, neque illam gravibus censuris notandam asserat, si praesertim ratione, et praestantium virorum testimoniis minime careat ; siquidem convicia, atque iniuriae vinculum christianae charitatis infringunl, et gravissimam populo offensionem, et scandalum praeseferunt ».

« i. 9. Tertio loco, qui ab omni usurae labe se immunes et integros praestare volunt, suamque pecuniam ita alteri dare, ut fructum legitimum solummodo percipiant, admonendi sunt, ut contractum instituendum antea declarent, et conditiones inserendas explicent, et quem fructum ex eadem pecunia postulent: haec magnopere conferunt non modo ad animi sollicitudinem et scrupulos evitandos, sed ad ipsum contractum in foro externo comprobandum: haec etiam aditum intercludunt disputationibus, quae non semel concitandae sunt, ut clare pateat, utrum pecunia, quae rite data alteri esse videtur, revera tamen palliatam usuram contineat ».

« §. 10. Quarto loco vos hortamur, ne aditum relinquatis ineptis illorum sermonibus, qui dictitant, de usuris hoc tempore quaestionem institui, quae solo nomine contineatur; cum ex pecunia, quae qualibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur. Etenim quam faïsum id sit, et a veritate alienum, plane deprehendimus, si perpendamus, naturam unius contractus ab alterius natura prorsus diversam et seiunctam esse ; et ea pariter discrepare magnopere iter se, quae a diversis inter se contractibus consequuntur. Revera discrimen aperlissimum inter-

poenitens perseveret in consilio pecuniam mutuo dandi negotiatoribus, et obiiciat sententiam tali mutuo faventem multos habere patronos, et insuper non fuisse damnatam a sancta Sede, non semel ea de re consulta ; tunc isti confessarii exigunt, ut poenitens promittat se filiali obedientia obtemperaturum iudicio summi Pontificis, si intercedat, quaecumque sit: nec, hac promissione obtenta, absolutionem denegant, quamvis probabiliorem credant opinionem contrariam tali mutuo. Si poenitens non confiteatur de lucro ex pecunia sic mutuo data, et videatur in bona fide ; isti confessarii etiamsi aliunde noverint ab eo perceptum esse aut eliam nunc percipi istiusmodi lucrum, eum absolvunt, nulla ea de re interrogatione facta, quando timent ne poenitens admonitus, restitueie aut a tali lucro abstinere recuset. Inquirit dictus Episcopus Rhedonensis : I. *Utrum possit horum posteriorum confessariorum agendi rationem probare.* - II. *Utrum alios confessarios rigidiores ipsum adeuntes, consulendi causa, possit hortari, ut istorum agendi rationem sequantur, donec sancta Sedes expressum ea de quaestione iudicium ferat* ».

Loco ✠ Sigilli *C. L. Episcopus Rhedonensis.*

« *Feria IT. die 18. Augusti 1830.* - SSmus D. N. Pius div. prov. PP. VIII. in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, audita relatione superiorum dubiorum una cum voto Eminentissimorum DD. Cardinalium Inquisitorum Generalium, respondit: *Ad I. Non esse inquietandos. - Ad II. Provisum in primo* ».

Loco ✠ Sigilli S. Inquisitionis. — *Pro D. Nicolao Soldini Sanctae rom. et univ. Inquisit. Notario, Angelus Argenti Secretarius.*

IV. — *S. Poenitentiariae ad dubia D. Denavit Professoris theologiae in Seminario S. Irenaei Lugdunensis.* — « Quando Sacrae Poenitentiariae dubia circa materiam usurae proponuntur, semper remittit ad doctrinam summi Pontificis Benedicti XIV. quae revera sat clara et

cedit fructum inter, qui iure licito ex pecunia desumitur, ideoque potest in utroque foro retineri ; ac fructum, qui ex pecunia illicite conciliatur, ideoque fori utriusque iudicio instituendus decernitur. Constat igitur haud inanem de usuris quaestionem hoc tempore proponi ob eam causam, quod ut plurimum ex pecunia, quae alteri tribuitur, fructus aliquis excipiatur ».

« §. 11. Haec potissimum vobis indicanda censuimus, sperantes fore, ut mandetis executioni quaecumque per has Literas a Nobis praescribuntur. Opportunis quoque remediis consulelis, uti confidimus, si forte ob hanc novam de usuris controversiam in dioecesi vestra turbae concitentur, vel corruptelae ad labefactandum sanae doctrinae candorem et puritatem inducantur. Postremo vobis, et gregi curae vestrae concredito Apostolicam Benedictionem impertimur ».

perspicua est pro iis qui bona fide eam perscrutari volunt. Attamen sunt quidam presbyteri, qui contendunt licitum esse percipere actuarium quinque pro centum, solius vi legis Principis, absque alio titulo vel damni emergentis vel lucri cessantis: quia, inquiunt, lex Principis est titulus legitimus, cum transferat dominium in praescriptione: et sic prorsus annihilant legem divinam et legem ecclesiasticam, quae usuras prohibet. Cum haec ita se habeant, Orator infrascriptus, existimans nullo pacto esse licitum recedere a doctrina Benedicti XIV., denegat absolutionem sacramentalem presbyteris qui contendunt legem Principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem absque titulo vel lucri cessantis vel damni emergentis. Quare infrascriptus Orator humiliter supplicat, ut sequentia dubia solvantur : — I. ***Utrum possit in conscientia denegare absolutionem presbyteris praefatis.*** **— Ii.** ***Utrum debeat.***

« Lugduni 25 Maii 1830. - ***Denavit Professor.***

Sacra Poenitentiaria, diligenter ac mature perpensis dubiis propositis, respondendum censuit: - « Presbyteros de quibus agitur, non esse inquietandos quousque Sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subiicere: adeoque nihil obstare eorum absolutioni in Sacramento Poenitentiae. » - Datum Romae, in Poenitentiaria, die 16 Septembris 1820.

« E. Card. De Gregorio Maior Poenit. - ***F. Fricca Sacrae Poenil. Secretar. »***

V. — ***Sacra Poenitentiaria Episcopo Veronensi communicat responsa alias data a Suprema Congregatione Sancti Officii.*** **— Sacra Poenitentiaria, perlectis expositis a venerabili in Christo Patre Episcopo Veronensi in supplici libello die 1. mensis nuper elapsi, abstinendum sibi duxit a resolutione quatuor dubiorum quae in eo proponebantur, sed oratori comunicat responsa data a suprema Congregatione sancti Officii ad alia quaedam eamdem materiam respicientia. Haec autem sunt huiusmodi : i.** ***Utrum confessarius possit in conscientia denegare absolutionem presbyteris, qui contendunt legem principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem absque alio titulo vel lucri cessantis vel damni emergentis.*** **- Ii.** ***Utrum debeat.***

Respondetur: ***Ad utrumque, non esse inquietandos, quousquelSancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subiicere, adeoque nihil obstare eorum absolutioni in Sacramento Poenitentiae.***

f sequitur)

Alia dubia : - « I. An confessarius ille possit absolvi, qui licet Benedicti XIV et aliorum summorum Pontificum de usura definitiones noverit, docet, ex mutuo divitibus aut negotiatoribus praestito percipi posse, praeter sortem , lucrum quinque pro centum etiam ab iis qui nullum omnino alium, praeter quam legem civilem, titulum habent mutuo extrinsecum. - ii. **An peccet confessarius, qui dimittit in bona fide poenitentem, qui ex mutuo exigit lucrum lege civili statutum, absque extrinseco lucri cessantis aut damni emergentis, aut periculi extraordinarii titulo ».**

« Respondetur : ***Ad I. Confessarium, de quo in dubio, non esse inquielandum quousque sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui paratus sit se subiicere; adeoque nihil obstare eius absolutioni in sacramento Poenitentiae. - Ad II. Provisum in praecedenti, dummodo poenitentes parati sint stare mandatis sanctae Sedis ».***

Alia dubia :« Vir quidam persuasus erat, Encyclicam Benedicti XIV non inhibere lucrum ex collatione pecuniae perceptum iuxta disposita a lege civili. Eius heredes quaerunt: /. ***An Encyclicam recte acceperit. H. Etiam supposito quod male acceperit, persuasus tamen recte accepisse, an heredes ab omni reparatione se exemptos existimare valeant.*** **Respondetur:** ***Ad 1. Acquiescant, dummodo parati sint stare mandatis sanctae Sedis. - Ad II. Provisum in primo ».***

Alia dubia: - « I. An possit eorum confessariorum agendi ratio probari, qui dum tenent uti probabiliorem opinionem contrariam lucro ex pecunia negotiatoribus mutuo data, poenitentes eo modo lucrum percipientes ut ditescant, absolvunt, quando nempe isti, obiicientes sententiam lucro faventem non fuisse damnatam a sancta Sede, promittunt tamen obedire iudicio summi Pontificis, si intercedat; et similiter agunt, quando poenitentes, lucrum percipientes in bona fide, de eo non confitentur, licet aliunde noverint ipsos percipere lucrum ut supra, nulla ea de re facta interrogatione quando timent ne poenitentes, admoniti restituere aut a tali lucro abstinere, recusent. - II. Utrum Episcopus possit hortari rigidiores confessarios, consulendi causa ipsum adeuntes, ut priorum confessariorum agendi rationem sequantur, donec sancta Sedes expressum ea de quaestione iudicium ferat ».

Respondetur : ***Ad I. Non esse inquietandos. - Ad II. Provisum in primo.***

Datum Romae, in S. Poenitentiaria, die 14 Augusti 1831. — ***V. D. Solimei s. Poenitentiar. Secretarius.***

VI. - ***Congregationis Generalis Sancti Officii a Gregorio XVI. approbatae circa quaesita Capituli Collegiatae Locami- — « Quesiti del***

Capitolo di Locamo: - Beatissimo Pache - I! Capitolo di questa Collegiata di Locamo, diocesi di Como, territorio svizzero, ha la maggior parte delie proprie prebende in danaro, ricavato principalmente dalla estinzione delle decime, avvenuta per decreto governativo: il qual danaro egli impiegar deve, per viverne dei frutti, ed adempire ai pesi annessi ai benefizia Per le circostanze dei tempi e dei luoghi, o non si trova affatto come investire il danaro suddetto in stabili fruttiferi, i quali scarseggiano assai in proporzione della popolazione; o per la carezza di detti stabili, non frutterebbe che il due e mezzo per cento annualmente, il che peggiorerebbe eccessivamente le prebende già per sè slesse meschine. I censi si vogliono proibiti da queste leggi municipali : e sono mal sicuri, non esistendo in queste parti 1' officio delle ipoteche che accerti la libertà e sufficienza de' fondi su' quali voglionsi stabilire, inoltre questi stessi, che per fare i loro interessi ci chiedono il danaro, ricusano ordinariamente di sottoporsi ai censi, e amano meglio di riceverlo a prestanza col contribuire il quattro o il cinque per cento annualmente. Ciò permesso si domanda : « I. Se la necessaria onesta sostentazione dei beneficiati, che dee provenire dal frutto dei capitali di tali prebende, è dessa in tale circostanza un sufficiente titolo equivalente agli altri già apprc iti dalla Chiesa, per cui sia lecito un tale contratto di dare il danaro dotale di dette prebende a interesse del quattro o cinque per cento, dietro ipoteca di beni stabili e cauzione di persone note e solvibili, affine di assicurare la perpetuità delle prebende ».

« II. Se questo titolo, supposto ammissibile, si possa estendere a favore anche delle chiese, monasteri, e altri luoghi pii, come anche dei pupilli e di altre persone che si ritrovano nelle circostanze medesime di sopra descritte ed hanno bisogno di far fruttare il proprio danaro per sostentarsi onestamente ».

« III. Se le leggi e procedure civili, che ormai approvano generalmente tali contratti e li fanno eseguire , non che il comune tacito consenso dei popoli, che per 1' uso invalso de' secoli sembra li abbiano per maggior comodo e facilità sostituiti ad altri contratti più complicati e difficili, bastino a giustificarli ».

« IV. Se sia attendibile l'autorità del nostro Ordinario, e di molti savii e dabbene ecclesiastici, che, avute di mira le circostanze suddette, opinano favorevolmente, e simili contratti approvano ».

« V. Qual considerazione meritino in proposito le ragioni, che adduce Scipione Maffei nei suoi tre libri - Dell' impiego del danaro - dedicati a Benedetto XIV, ed approvati dall' inquisitore di Padova I' anno 1744 ».

« Vi. Se la Bolla - De usuris - emanata dalla felice memoria di Benedetto XIV. I' anno 1745, probabilmente in sequela dell' opera del Maffei, al n. 2 di essa, e all'articolo - de contractu autem, - e seg. si possa interpretare favorevolmente a tali contratti ».

« VII. Supposti illeciti tali contratti, che si ha a risolvere intorno a quelli già fatti, ed ai frutti già percepiti? »

« VIII. Se tali contratti si possano rendere leciti almeno coir assumere il pericolo fortuito del fondo assegnato in pegno a carico della prebenda, colle dovute proposizioni, come nei censi ».

« 1 sottoscritti oratori umilmente da Vostra Santità desiderano ed implorano una chiara ed opportuna decisione di questi loro dubbi per regolamento delle proprie e delle altrui coscienze, generalmente agitate in proposito. - Locamo 13 Maggio 1831 ».

« L'agente aggiunge la generale e grandissima scarsezza di numerario o di fondi, questi ordinariamente in possesso di pochi. Tolta la prestanza di danari, i possidenti per la maggior parte inabili al commercio e alle arti, consumati i pochi capitali, si ridurrebbero facilmente alla miseria. Gli altri sprovvisti di danaro proprio o di fondi stabili da cambiare in contanti, non potrebbero avvantaggiare coli' industria. Mancando Monti di Pietà sarebbero obbligati sovente a vendere la piccola eredità paterna, e sovente a vilissimo prezzo, nella loro necessità. L'agitazione delle coscienze è oltre modo grande. Onde diversi Ordinarii, tutto considerato, si sono pronunciati in favore. Altrimenti nascerebbe un dissesto generale, e totale impedimento degli affari e dell' industria ».

« Feria IV. 31 Aug. 1831 - Propositis superioribus Capituli Collegiatae Locami precibus, quae iam per manus una cum Dominorum Consultorum suffragiis distributae fuerant, Eminentissimi et Reverendissimi Domini dixerunt:

» Ad L, IL, III., IV. Non esse inquietandos, et acquiescant, dummodo parati sint stare mandatis Sanctae Sedis.

» Ad V., VI., VII., VIII., consulant Encyclicam Benedicti XIV. Vix pervenit, et probatos auctores.

» Fer. IV. 7 Sept. 1831 - SSmus D. N. Gregorius XVI. in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, Eminentissimorum resolutiones approbavit ».

« VII. - *Sacrae Poenitentiariae ad nova quaesita D. Denavit professoris.* — « Ad S. Poenitentiariam iterum exponit orator infrascriptus: - Ex responso Sacrae Poenitentiariae ad oratorem infrascriptum directo die 16 Septembris 1830, absolvendi sunt presbyteri, qui contendunt

legem principis esse titulum sufficientem et legitimum aliquid percipiendi ultra sortem in mutuo absque alio titulo a theologis communiter admisso, donec Sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subiicere: et huic responso humiliter et libenter acquiesco. Attamen, salvo Sacrae Poenitentiariae responso praefato, consultis auctoribus probatis, et attenta doctrina omnium fere Seminariorum Galliae, ac praesertim eorum quae a presbyteris Congregationis sancti Sulpitii diriguntur, sententia quae reiicit titulum legis civilis tamquam insufficientem, videtur longe probabilior, securior, et sola in praxi donec Sancta Sedes definierit. Quapropter fidelibus, qui a me consilium petunt utrum possint auctarium percipere ex mutuo, et qui nullum habent titulum a theologis communiter admissum, praeter titulum legis civilis, respondeo, eos non posse praefatum auctarium exigere, et denego absolutionem sacramentalem si exigant. Pariter denego absolutionem iis, qui perceptis huiuscemodi usuris, idest vi solius tituli legis, nolunt restituere. - Quaeritur : I. Utrum durius et severius me habeam erga huiuscemodi fideles. - II. Quae agendi ratio in praxi tenenda erga fideles, donec Sancta Sedes definitivam sententiam emiserit ».

Lugduni 24 Sept. 1831.—*Denavit Professor.*

« Sacra Poenitentiaria, perpensis dubiis quae ab oratore proponuntur, respondit: - Ad I. Affirmative: quandoquidem ex dato a Sacra Poenitentiaria responso liquet, fideles huiusmodi, qui bona fide ita se gerunt, non esse inquietandos. - Ad II. Provisum in primo unde orator priori Sacrae Poenitentiariae responso sub die Septembris 1830 sese in praxi conformare studeat. - Datum Romae, in sacra Poenitentiaria, die 11 Novembris 1831. A. F. de Retz Sacrae Poenitentiariae Regens. F. Fricca Sacrae Poenitentiariae Secretar. ».

VIII. - Sacrae Poenitentiariae ad quaestiones Ioannis Antonii Avvaro S. T. doctoris et regii professoris — « Eme et Rme Domine. — Regia lex pedemontana universim et sine ulla restrictione permittit, ut quisquis alteri cuicumque pecuniam mutuat, stipulare et exigere possit annuum auctarium 5. pro 100. supra sortem. Hinc in Pinaroliensi aliisque finitimis dioecesibus gravissima inter theologos fervet controversia, an, in casibus in quibus ex una parte nullus adest titulus lucri cessantis, vel damni emergentis, vel periculi extraordinarii sortis amittendae, ex altera vero praeceptum charitatis erga proximum non obligat ad mutuandum simplici ac nudo mutuo, liceat mutuanti illud auctarium recipere et retinere. Alii enim auctarium illud omnino usurarium et illicitum, alii vero ab omni usurae labe immune prorsus licitumque esse propugnant: et quod controversiam valde implicatiorem

reddit, omnes gloriantur se niti auctoritati Benedicti XIV., aut saltem eum sibi nullatenus adversari. Nimirum theologi, qui primam sententiam tuentur, dicunt auctarium, de quo agitur, a Benedicto XIV. reprobatum fuisse, implicite quidem in Encyclica die 1. Novembris 1745. *Vix pervenit,* ut patet ex attenta eius lectione; explicite vero in opere *de Synodo dioecesana* lib. X. cap. IV. num. 2. et 3. his verbis: « Graecis ex parte consensit Galvinus, qui ad cap. XVIII. Ezechielis licere docuit aliquod moderatum lucrum, non quidem a paupere, sed a divite praecise ratione mutui, exigere ». Errorem « a Calvino obiter insinuatum, ex professo propugnavit Carolus Molinaeus in suo tractatu *de usuris,* ubi num. 10. *audacter* affirmat usuram non esse prohibilam, nisi in quantum est contra charitatem. Eamdem *pravam* opinionem amplexatus, alia ratione defendit Claudius Salmasius in duplici tractatu, altero inscripto *de usuris,* altero *de trapezitico foenore,* quibus in locis usuram, nisi charitatem laedat, ab omni culpa absolvit, eo quod sit merces locatae pecuniae. Impiae Calvini et Molinaei opinioni non veriti sunt subscribere pauci quidam doctores catholici: illi scilicet, qui, quum agitur de muluo quo pecunia aliave res datur ad negotiationem, a foenoris labe excusant lucrum quod ex mutuo percipitur, dummodo sit moderatum, modumque servet a patriae legibus definitum. Porro etsi *Benedictus XIV.* in Synodo dioecesana solum loquatur ut privatus doctor, ipse tamen sine dubio omnium optime sciebat quid in sua Encyclica reprobare voluisset : adeoque quidquid circa usuram postea scripsit in *Synodo* et signanter citato cap. IV. ubi n. 10. doctrinam in Encyclica definitam summatim refert, habendum est tamquam eiusdem Encyclicae explicatio, a qua recedere piaculum sit.

» Theologi vero, qui tuentur secundam sententiam, dicunt auctarium illud non percipi ex mutuo « ipsius ratione mutui, vel solius causa mutui, vel vi mutui ipsius, vel praecise ratione mutui, hoc est lucri cessantis, damni emergentis, aliove extrinseco titulo remoto», quod veluti usurarium atque omni iure illicitum nientissime reprobavit Benedictus XIV. tum in Encyclica § 3. num. 1. et 2., tum citato loco *de Synodo* num. 11. sed « ratione, causa, vi, ac titulo extrinseco legis civilis » dominium auctarii ex mutuatario in mutuante transferentis, eo modo quo rerum dominium ex uno in alium transfertur per legitimam praescriptionem: vel *ratione publici boni,* quod, mutatis circumstantiis in praesenti rerum statu, absque illo auctario, vix aut ne vix quidem obtineri posset: vel *ratione ultronei* taciti ac mutui consensus in auctarium a lege permissum ex parte totius generatim societatis, cui inest ius disponendi de rebus suis prout ei libuerit, et speciatim ex parte

eorum, qui modo pecunia abundant et modo indigent, ac modo pecuniam mutuo dant, modo vero accipiuni: vel *ratione consuetudinis in* orbe catholico fere ubique receptae, etiam apud homines timoratae conscientiae, auctarium moderatum et a patriae legibus definitum exigendi: vel ob alias huiusmodi causas, quas Benedictus XIV. nullibi expendit aut memoravit. Ad argumentum autem quod ex Encyclica et ex opere *de Synodo dioecesana* deducunt primae sententiae patroni, quadrupliciter respondent :

» Respondent 1. Benedictum XIV, in Encyclica *Vix pervenit* hoc unum statuisse, tunc scilicet ex mutuo nullum auctarium, etiam moderatum, ultra sortem recipi posse, cum quis vel tenetur simplici ac nudo mutuo absque ullo auctario alteri succurrere, quod ex praecepto charitatis, ex eoque solo, locum habet in multis casibus, idque ex eo quod tunc nullus cum mutuo concurrere potest legitimus titulus aliquid supra sortem exigendi; vel mutuum dat in iis casibus, in quibus nullum alium iustum contractum praeter unum mutuum celebrare potest; quod etiam accidit in multis circumstantiis, verbi gratia quum alteri credit vinum, oleum, etc., ut patet ex § 3. num. 5, ubi postquam definivit falso et temere affirmari, reperiri semper ac praesto ubique esse vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel secluso etiam mutuo, contractus alios iustos, quorum vel titulorum vel contractuum praesidio, quotiescumque pecunia frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum ultra sortem integram salvamque recipere; *eumque qui ita affirmat et* non modo divinis documentis et catholicae Ecclesiae de usura iudicio, sed ipsi etiam humano communi sensui ac naturali rationi procul dubio adversari; huius definitionis rationem reddit, et concludit his notabilibus verbis: «Neminem enim id saltem latere potest, quod multis in casibus tenetur homo simplici ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso praesertim Christo Domino edocente : *Volenti mutuari a te ne avertaris:* et quod simpliciter multis in circumstantiis, praeter unum mutuum, alteri nulli vero iustoque contractui locus esse possit »: ac proinde iuxta Benedictum XIV quoties mutuo datur pecunia, et praeceptum charitatis non obligat ad eam mutuandam simplici ac nudo mutuo, semper una cum mutuo reperiri posse, quin imo praesto ubique esse legitimum aliquem titulum, verbi gratia *legem civilem, publicum bonum, etc.* cuius praesidio liceat auctarium moderatum ultra sortem recipere, iuxta tritam illam regulam : *In necessariis expressio unius est exclusio alterius,* aut saltem Benedictum XIV huic sententiae nullatenus adversari.

» Respondent 2., huic quoque sententiae nullatenus adversari Benedictum XIV in iis quae circa usuram scripsit citato cap. IV. *de Synodo* num. 2 et 1 : quia ibi solum docet, perpetuae Catholicae Ecclesiae de usura doctrinae, post graecos schismaticus, contradixisse tum Galvinum, qui erronee docebat aliquod moderatum lucrum ex mutuo *praecise ratione mutui* (in quo sita est usurae essentia) licite a divitibus exigi posse; tum Carolum Molinaeum, qui audacter affirmabat huiusmodi *usuram* a Calvino admissam, et suapte natura malam non esse prohibitam, nisi in quantum est contra charitatem; tum Claudium Salmasium, qui eamdem *usuram,* nisi charitatem laederet, ab omni culpa prave absolvebat, falso eo praetextu, quod sit merces locatae pecuniae; tum demum paucos quosdam doctores illos catholicos, qui, impiae Galvini et Molinaei opinioni *subscribere* non verentes, una cum ipsis audacter affirmabant et erronee docebam, « usuram non esse prohibitam nisi in quantum est contra charitatem », atque a faenoris labe excusari lucrum quod a negotiatoribus exigitur percipiturque ex mutuo *praecise ratione mutui,* dummodo si moderatum, modumque servet a patriae legibus definitum. Haec omnia profecto ne latum quidem unguem differunt a doctrina, quae continetur in Encyclica. At vero aliud est usurarium et illicitum esse auctarium, etiam moderatum et a patriae legibus definitum, quod percipitur ex mutuo *praecise ratione mutui;* aliud est usurarium ac illicitum esse moderatum illud auctarium a patriae legibus definitum , quod percipitur ex mutuo non *praecise ratione mutui, sed ratione legis civilis,* vel ob extrínsecas alias causas paulo supra commemoratas: primum affirmat Benedictus XIV; de altero ne verbum quidem facit.

» Respondent 3., in hypothesi quod Benedictus XIV in *Synodo* huic sententiae reipsa adversaretur, nullo modo culpandum fore, qui solidis rationibus innixus, a privata eius opinione seu explicatione modeste recederet, quum ille ipse in fine praefationis ad *Synodum dioecesanam* aperte profiteatur, « omnibus in rebus, quibus nullum ex publica Ecclesiae auctoritate pondus accessit », qualis procul dubio est explicatio de qua agitur, « nihil se in Synodo definire ac veluti decretorum exhibere velle», allata etiam ad hoc comprobandum auctoritate Melchioris Cani, et exemplo Innocentii IV., qui, etsi commentaria sua in libros decretalium scripserit quum summum pontificatum gereret, non tamen hoc sibi unquam arrogavit, ut, quidquid in eo opere scripsisset, pro re definita haberetur, sed facile passus est opiniones suas, quas tamquam privatus doctor proposuerat, ab aliis doctoribus oppugnari, ut patet etc.

«Respondent 4., in hypothesi quoque quod Benedictus XIV. huic sententiae adversaretur in Encyclica, iam inde nullum amplius argumentum peti posse ad reprobandam moderatum illud auctarium a lege permissum, quod percipitur in praesenti rerum statu; quia circumstantiarum mutatio aliquam inducere potuit, imo vero manifestam induxit variationem, non quidem quoad principia, quibus nititur, catholicae Ecclesiae de usura et mutuo doctrina, quaeque eadem semper ac omnino invariabilia sunt, sed quoad eorum applicationem.

« Ego, diligenter considerata, prout tenues ingenii mei vires ferunt, Benedicti doctrina, ut moderatus, sic probabilius illud existimo: dubitari merito posse, utrum ea doctrina, ex se sola, huic controversiae dirimendae sufficiar, necne. Verum cum, etiam posita hac mea opinione, cui parum fidere debeo, incertum adhuc remaneat, num auctarium illud tuta conscientia recipi possit; ut sublata omni incertitudine sit mihi parata facultas apte respondendi quibusdam confessariis, qui novissime circa eamdem controversiam me consuluerunt, tum et aliis, qui ratione munerum quibus perfungor, sive intra, sive extra sacrum Poenitentiae tribunal consulturi sunt; Vestram Eminentiam suppliciter rogo obtestorque in Domino, ut mihi transmittat resolutionem trium quaestionum, quas hic subiicio :

« 1. An auctarium, de quo agitur, licitum sit. Et quatenus haec quaestio ex doctrina Benedicti XIV. aliisque Sedis Apostolicae iudiciis directe resolvi nequeat:

« II. An poenitens, qui auctarium illud sive bona, sive dubia aut mala fide receperunt, sacramentaliter absolvi possint, nulla facta aut promissa hic et nunc restitutione, dummodo serio promittant se esse paratos ad exequendum quidquid super hoc negotio Sedes Apostolica determinaverit. Et quatenus affirmative, prout asserunt nonnulli ad hanc aliasque similes quaestiones iam pluries nomine sancti Officii et Sedis Apostolicae provisorie rescriptum fuisse, de quibus tamen rescriptis eorumque tenore mihi non constat ;

«III. An iis pariter, qui neque ullum habent titulum lucri cessantis vel damni emergentis vel periculi extraordinarii sortis amittendae, neque versantur in casibus, in quibus praeceptum charitatis erga proximum eos obligat ad mutuandum simplici ac nudo mutuo, liceat pecuniam mutuo dare, stipulato aut convento annuo auctario 5. pro 100. supra sorlem, prout lex regia permittit, sub eadem conditione de parendo futuris Sedis Apostolicae super hoc negotio determinationibus ».

« Maxima fretus fiducia, quod Eminentia Vestra votis meis, in re mihi adeo necessaria, benigne obsecundabit, sum eroque semper Em. Vestrae (Pineroli, die 22 Ianuarii 1832).

« Humillimus obsequenliss. et deditiss. Servus Ioseph Antonius Avvaro S. Theol. Doctor, et regius eiusdem facultatis Professor, Canonicus Theologus, et Provicar. generalis ».

« S. Poenitentiaria - Dilecto in Christo Iosepho Antonio Avvaro transmittendas censuit resolutiones alias datas ad quaedam dubia circa usuras, scilicet: *(sunt autem ea omnino quae superius attulimus, num. V).*

«Datum Romae, in S. Poenitentiaria, die 11 Februarii 1832- *E. Card. De Gregorio Maior Poenitentiar. Secretar.* ».

IX. - *S. Rom. et univ. Inquisitionis ad dubium Episcopi Nicaeensis* - « Rme Pater - In fasciculis quorum titulus *Annali delle scienze religiose, vol. 1, num. 1, pag. 128,* et *l'Ami de la Religion, 2 Avril 1835, num. 2436.,* legitur responsum, quod Emus Card. Poenitentiarius maior dedit die 7 Martii 1835. illustrissimo ac reverendissimo Episcopo Vivariensi in quaestione ab ipso circa usuram proposita. Exposuerat enim Praesul, nonnullos verbi Dei praecones docere in publicis concionibus licitum esse lucrum ex mutuo percipere titulo legis civilis, quin ullum verbum facerent *de illa conditione,* responsis a sacra Poenitentiaria nuper latis apposita, qua cautum est, ut poenitentes lucrum ex mutuo, legis civilis titulo, percipientes *parati* esse debeant stare mandatis sanctae Sedis: ac postulaverat, an illi sacerdotes essent improbandi. Cuius precibus benigne annuens Eminentissimus Poenitentiarius Maior respondit, Sacram Poenitentiariam haudquaquam voluisse responsis illis quaestionem a theologis agitatam de titulo ex lege principis desumpto definire, sed solummodo normam proposuisse, quam confessarii tuto sequerentur erga poenitentes, qui moderatum lucrum lege principis statutum acciperent bona fide, paratique essent stare mandatis sanctae Sedis ac proinde minime probari posse illorum concionatorum agendi rationem, qui absolute docent in sacris concionibus licitum esse lucrum ex mutuo percipere titulo legis civilis, reticitis enunciatis conditionibus.

» Quidam attendentes ad illa verba in responso apposita *bona fide* contendunt iuxta normam a sacra Poenitentiaria confessariis pluries propositam, illos tantum sacramentaliter absolvi posse, nullo imposito restitutionis onere, qui lucrum enuntiatum bona fide percepissenl. Alii e contra asserunt, etiam illos, qui dubia vel mala fide dictum lucrum percepissent, absolvi posse, nullo imposito restitutionis onere, dummodo parati sint standi mandatis sanctae Sedis: et, ut aiunt, hanc clausulam *bona fide* non respicere onus restitutionis, sed potius honestatem agentis et absolutionem, quam confessarii impertiri nequeunt poenitentibus in mala fide constitutis, nisi prius de pati ato in mala fide poeniteant: et

hoc deducunt ex ipsa postulatione Episcopi Vivariensis. Non petierat Episcopus, aiunt, utrum poenitentes dubia vel mala fide constituti obligandi essent ad restitutionem, sed tantum utrum improbandi essent concionatores illi, qui, nulla enunciata conditione, licitum usum mutui praedicti praedicabant: quumque sancta Sedes nondum quaestionem definierit, et patratum in mala fide, licet per se non inducat onus restitutionis, semper tamen inducat culpae reatum; hinc Eminentissimum improbasse aiunt istorum agendi rationem, qui, reticitis conditionibus *bona fide* et *standi mandatis sanctae Sedis,* licitum usum dicti mutui absolute praedicabant, quin loqueretur Eminentissimus de obligatione restitutionis, de qua non postulabat Praesul. Deducunt quoque ex conditione a Sacra Poenitentiaria requisita in poenitentibus standi mandatis sanctae Sedis, quae dispositio dubium necessario aut supponit aut excitat de honestate mutui praedicti. Quumque hinc et inde sint viri summae pietatis et non spernendae auctoritatis; hinc ut animarum quieti in re tam frequenti et seria provideatur, perhumillime petitur: «An poenitentes, qui moderatum lucrum solo legis titulo ex mutuo dubia vel mala fide perceperunt, absolvi sacramentaliter possint, nullo imposito restitutionis onere, dummodo de patrato ob dubiam vel malam fidem peccato sincere doleant, et filiali obedientia parati sint stare mandatis S. Sedis ».

» Nicaeae 9 Septembris 4837 — Subscriptus—*jfc Dominicus Episc. Nicaeensis.*

» Fer. IV. die 17 Ian. 1838-In Congregatione Generali S. R. et univ. Inquisitionis habita in Conventu sanctae Mariae supra Minervam coram Eminentissimis et Reverendissimis Dominis sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, proposito supradicto dubio, iidem Eminentissimi et Reverendissimi Domini dixerunt: « Affirmative dummodo parati sint stare mandatis sancta Sedis ».

Loco^tsigilli. — *Angelus Argenti S. R. et Universalis Inquisitionis Notarius.*

X. - *S. Congr. S. 0. sub die 26 Mart. 1840.* « Proposito dubio, *an ad aliquid reddendum teneatur* N. N. cuius pater magnam pecuniae summam mutuo dederat cum lucro *decem pro centum,* legali taxae illius temporis respondente; et quatenus restitutioni esset obnoxius, « utrum saltem quinque pro centum retinere licite valeat », rescriptum fuit: « Quoad usuras in genere, consulat decreta iam lata. Quoad excessivitatem fructuum, consulat R. P. D. Episcopum, qui expendat facti circumstantias, et praxim illius temporis, quae vigebat apud viros timoratae conscientiae, et provideat.

XL - Cum demum elapso anno 1871 ex quodam Italiae loco quaesitum fuerit: « 1. Se sia lecito, oggi, eziandio agli ecclesiastici, di collocare il danaro col frutto moderato, come permetteva la legge precedentemente sotto il legitimo governo, del cinque per cento?-2. Se oggi sieno da inquietarsi quei luoghi pii, manache e monasteri, che ricevono il frutto del loro capitale del sei per cento, stantechè oggi si dà e si riceve nell'andamento comune.

S. Congr. S. O. sub die 28 Febr. 1872 respondit ad utrumque: « Iuxta responsiones alias datas, dummodo sint parati stare mandatis S. Sedis, non esse inquietandos.

Conclusio : - Haec autem quae sequendo ordinem temporis, hic retulimus, sunt responsa praecipua inter alia plura, quae ad haec ipsa revocantur. Ex quibus colligi potest:

1. Generatim loquendo de lucro ex mutuo, nihil omnino percipi inde posse *vi mutui,* seu immediate et praecise ratione ipsius.

2. Aliquid ultra sortem percipere licitum esse, si forte titulus aliquis extrinsecus, non mutui naturae universim coniunctus et innatus, mutuo accedat.

3. Deficientibus licet aliis quibuslibet titulis, cuiusmodi sunt « lucrum cessans, damnum emergens, atque periculum amittendae sortis, vel assumendi insólitos labores pro sortis recuperatione », unum quoque legis civilis titulum ceu sufficientem in praxi haberi posse, tum a fidelibus, tum ab eorum confessariis, quibus proinde suos poenitentes hac super re inquietare non licet, donec quaestio haec sub iudice pendeat, nec S. Sedes ipsam explicite definierit.

4. Praxis huius tolerantiam minime extendi posse sive ad cohonestandam usuram, quamvis modicam erga pauperes, sive usuram immodicam ac naturalis aequitatis limites excedentem.

5. Denique, quaenam usurae quantitas dicenda sit immodica et excessiva, quaenam iusta ac moderata, universim determinari non posse, cum hoc dimetiri oporteat in singulis casibus, respectu habito ad omnes et singulas circumstantias locorum, personarum ac temporum.

LITTERAE Sanctissimi D. N. Papae Leonis XIII ad Aethiopiae Imperatorem, quibus eum exorat ut captivos milites reddat Italiae.

Très Puissant Negus Negesti, salut et prospérité.

Il vous a plu jadis de saluer par un acte spontané le commencement de Notre Pontificat, et, dix ans après, à l'occasion de Notre Jubilé sacerdotal, Vous Nous avez offert un nouveau témoignage de votre courtoisie. Ces preuves de bienveillance ont rejoui Notre coeur; elles honorent le vôtre. Aussi, est-ce à votre cœur de Monarque et de chrétien que s'adresse aujourd'hui Notre parole pour vous engager à un acte de générosité souveraine. La victoire a laissé en vos mains de nombreux prisonniers. Ce sont des jeunes gens vigoureux et dignes de respect, qui à la fleur de l'âge et à l'aurore des plus belles espérances, ont été enlevés à leurs familles et à leur patrie.

Leur captivité n'augmente ni la mesure de votre puissance, ni l'étendue de votre prestige; mais, plus elle se prolonge, plus vive est la douleur dans l'âme de milliers de mères et d'épouses innocentes.

Pour Nous, pénétrés de la sainte mission que Nous a confiée Notre Seigneur Jésus Christ, et qui s'étend a toutes les na-

Potentissime Negus Negesti, salutem prosperitatemque.

Placuit tibi olim Pontificatus Nostri exordia omnino sponte fausto omine salutare; ac decem post annos, dum quinquagesimus ab inito per Nos Sacerdotio annus solemniter ageretur, novum tuae in Nos observantiae testimonium exhibere. Huiusmodi benevolentiae tuae erga Nos argumenta animum nostrum laetitia affecerunt, Te vero summopere cohonestarunt. Hac igitur de causa nunc ad Te Imperatorem atque Christianum sermo Noster convertitur, ut Te ad magnanimitatis actum, summo Rege dignum, quoad possumus, provocemus.

Parta nuper victoria multos manibus tuis captivos tradidit. Isti sunt iuvenes robusti et honore digni, qui primo aetatis flore et in ipsa vitae aurora, dum quod maxime excupiebant atque sperabant adepturi erant, e sinu familiae patriaeque avulsi et abstracti sunt. Eorum profecto captivitas nec vim potentiae tuae, nec dominii extensionem auget; sed quo diutius protrahitur, eo acerbior mille matrum ac sponsarum innocentium animos dolor angit.

lions chrétiennes, Nous les aimons comme des fils.— Agréez donc la demande, que le cœur d'un Père vous fait, au nom de la Trinité divine, au nom de la Vierge bénie, au nom de tout ce qui vous est plus cher en ce monde: veuillez sans retard leur rendre la liberté.

Très Puissant Negus Negesti, ne vous refusez pas à vous montrer magnanime aux yeux des nations. Enregistrez cette page glorieuse dans les annales de votre règne! Que sont, après tout, les droits impitoyables de la guerre à côté des droits et des devoirs de la fraternité humaine?

Dieu vous en rendra une riche récompense, car il est Père miséricordieux ! Mille voix s'élèveront en chœur pour vous bénir, et la Nôtre se fera entendre la première. En attendant Nous implorons du Ciel sur la Famille Royale tous les biens désirables.

Donné à Rome, près Saint Pierre, le 11 Mai de l'année 1896, de Notre Pontificat la dix-neuvième.

LEO PP. XIII.

Nos certe, ut qui mandati ac muneris, quod a Domino nostro Iesu Christo accepimus, quodque omnes Christianos spectat, probe - conscii sumus, eos ut filios diligimus. — Suscipe igitur postulationem, quam Tibi communis Pater in divinae Trinitatis et Virginis opiferae nomine, atque eorum quorumlibet, quae Tibi in hoc mundo maxime omnium chara sunt, ex corde admovet; ut quam primum ipsos pristinae libertati restituas.

Potentissime Negus Negesti, ne renuas palam nationibus Te magnanimum comprobare. Hoc vero adeo illustre factum in regni tui fastis scribe. Quid sunt demum sanctiora etiam belli iura prae humanae fraternitatis iuribus et officiis?

Amplissimam procul dubio reddet Tibi Deus huius benefacti remunerationem; misericors enim Pater est. Mille undique voces benedicendum Tibi certatim se extollent, nostraque primum omnium inclamans audietur.

Voluntatis tuae significationem expectantes, omne interim bonum in Te, regiamque familiam e Coelo adprecamur.

Dat. Romae apud S. Petrum, die XX Maii, anno MDCCCXCVI. Pontificatus nostri anno XIX.

LEO PAPA XIII.

Leo Victor de Tribu luda Menelik electus Domini Rex Regum Aethiopiae Sanctissimo Leoni XIII Papae salutem.

LÉON XIII PAPE

Salut!

J'ai reçu par Monseigneur Macaire la lettre paternelle, où Votre Sainteté, après avoir rappelé gracieusement Nos relations antérieures, faisait appel à mes sentiments de clémence en faveur des prisonniers italiens, que la volonté de Dieu a mis entre mes mains. J'ajoute que Votre Sainteté ne pouvait choisir pour interpréter Ses sentiments un Envoyé plus éloquent et plus sympathique que Son Excellence Monseigneur Cyrille Macaire.

J'ai été vivement ému en lisant l'admirable lettre du Père commun des Chrétiens et en écoutant le langage de son illustre Envoyé, et le premier mouvement de mon coeur avait été de donner à Votre Sainteté la satisfaction qu'Elle me demandait si noblement, car, moi aussi, je pleure sur les nombreuses et innocentes victimes de cette guerre cruelle, que j'ai conscience de n'avoir point provoquée.

Malheureusement, mon vif désir de réaliser les vœux de

LEONI Xni PAPAE

Salutem.

Accepi per Antistitem Macarium vere paternas literas, in quibus Sanctitas Vestra, in memoriam humanissime revocatas, quae alias eidem exhibui, observantiae officiis, pro captivis Italis, quos manibus meis Deus tradidit, meos dementiae sensus compellat.

His ego addo, Sanctitatem Vestram alium Suorum sensuum interpretem eloquentiorem atque acceptiorem, quam Excmum Antistitem Cyrillum Macarium eligere potuisse neminem.

Equidem communis Christianorum Patris epistolam perlegens, atque praeclari Legati, ab eodem missi, sermones audiens, vehementer permotus sum, ac primus animi mei motus fuit sincera cupiditas Sanctitati Vestrae, quod adeo excupit, tamque urbane efflagitavit, illico concedendi: nam et ego ipse tam multas atque innocentes huius diri belli victimas defleo; quod tamen bellum intime conscius sum me haud provocasse.

Sed proh infortunium! Ardens desiderium meum Sanctita-

Votre Sainteté a été contrarié par l'actitude imprévue du Gouvernement Italien, qui, après m'a voir exprimé le désir de faire la paix et de rétablir les bonnes relations entre nous, continue à agir à mon égard comme si nous étions en état de guerre.

Mon devoir de Roi et de Père de mon peuple m'interdit, en ces circonstances, de sacrifier la seule garantie de paix qui se trouve entre mes mains, à la satisfaction d'être agréable à Votre Sainteté et à moi-même.

C'est avec la plus profonde tristesse, que, après avoir tout pesé dans ma conscience de Monarque et de Chrétien, je suis contraint de renvoyer à de temps meilleurs le témoignage d'affection et de haute estime, que j'aurais souhaité donner à Votre Sainteté.

J'espère que la grande voix de Votre Sainteté que tous les Chrétiens entendent avec respect, s'élèvera en faveur de la justice de ma cause, qui est celle de l'indépendance du peuple, dont Dieu m'a confié le gouvernement, et qu'Elle rendra ainsi très prochaine la réalisation de Notre commun désir de rendre à leurs familles ceux qui en sont séparés.

tis Vestrae votis satisfaciendi quominus expleretur inopinata Italici Dominatus agendi ratio in causa fuit; qui postquam pacem mecum pangere, bonasque inter nos sociales rationes iterum statuere se velle significasset, ita perrexit se gerere erga nos, quasi adhuc inter nos bellum ageretur.

Me Regem Patremque huiusce populi utrumque, hoc quo fungor, munus, in his rerum adiunctis, unicam obtinendae pacis cautionem, quae in manibus meis sit, animi voluptati immolare vetat, quam profecto experirer, si Sanctitati,Vestrae mihique satisfacerem.

Maximo animi mei moerore, postquam rem serio mecum ipse ut Rex et ut Christianus perpenderim, observantiae atque existimationis meae testimonium, quod Sanctitati Vestrae exhibere percupieram, in aliud opportunius tempus differre cogor.

Equidem spero fore, ut praeclara Sanctitatis Vestrae vox, quam omnes christiani reverenter audiunt, in causae meae iure asserendo valide inclamet; quae quidem est etiam causa huius populi (cuius mihi Deus regimen dedit); agitur enim civilis eiusdem libertas: atque ita eadem Sanctitas Vestra proximius reddet communis desiderii adimplementum , videlicet

Je puis, en attendant, rassurer Votre Sainteté sur le sort des prisonniers italiens, que je n'ai cessé de protéger et de traiter selon les devoirs de la charité chrétienne, et auxquels, à la considération de Votre Sainteté, j'accorderai encore, s'il est possible, des adoucissements

Ecrit à notre Ville d'Addis-Ababa, le 22 Mascaram 1889, de l'an de grâce (1er Octobre 1896).

familiis suis, quos inde belli calamitas abstraxit, restituendi.

Possum interea securam facere Sanctitatem Vestram super Italorum captivorum conditione; quos nunquam protegere, et iuxta christianae charitatis praecepta accipere neglexi, et posthac propter eamdem Sanctitatem Vestram, etiam indulgentiis, si fieri potest, habere cur abo.

Dat. in principe Urbe nostra Addis-Ababa, die *22,* m. Mascaram, a. 1889. Anno reparatae salutis 1896, prima die m. Octobris.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

De Consistorio habito die 30 Novembris 1896.

Sanctissimus Pater, praemissa Allocutione, proposuit sequentes Ecclesias:

Cathedrales Ecclesias Ostien. et Veliternen. **invicem perpetuo canonice unitas» vacan, per obitum clar. me. Raphaelis dum viveret S R. E. Cardinalis Monaco La Valletta, postremi illarum Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore Emi. ac Rmi. Domini Aloisii ipsius S.R.E. Cardinalis Oreglia ad Sancto Stephano,fSacri Collegii Decani.**

Cathedrales Ecclesias Portuen. et S. fíupnae, **invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per translationem, vigore optionis, Emi. ac Rmi. Domini Aloisii S. R. E. Cardinalis Oreglia a Sancto Stephano favore Emi. Card, Parocchi.**

Cathedralem Ecclesiam Albanen, **vacan, per translationem, vigore optionis, Emi. ac Rmi. Domini Lucidi Mariae S. R. E. Cardinalis Parochi ad sibi invicem perpetuo canonice unitas Sedes Cathedrales Portuensem ac S. Rufinae, favore Emi. ac Rmi. Domini Isidori eiusdem S. R. E. titulo S. Callixti Presbyteri Cardinalis Verga, praedicto titulo Presbyterali dimisso.**

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Stauropolitan. vacan, per obitum bo. me. Francisci Dominici Reynaudi. ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. P. Alexandri de Risio, Archiepiscopi S. Severinae.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Ancyranam, vacan, per obitum bo. me. Ioannis Cirino, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iulii Vaccaro Episcopi Triventini. Qui etiam deputatus fuit in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Dominici Marinangeli, Archiepiscopi Tranensis, Nazareni ac Barolensis atque Administratoris perpetui Ecclesiae Vigiliensis.

Archiepiscopalem Ecclesiam Ferrarien. vacan, per obitum clar. mem. Aegidii dum viveret S. R. E. titulo S. Mariae supra Minervam Presbyteri Cardinalis Mauri, postremi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Petri Respighi, Episcopi Guastallensis

Metropolitanam Ecclesiam Sanctae Severinae, vacan, per translationem R. P. D. Alexandri de Risio ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Stauropolitanam, favore Reverendi Domini Nicolai Piccirilli, Presbyteri Theatinae archidioeceseos. Qui Theatina in urbe progenitus et in quadragesimo primo aetatis suae anno constitutus, Examinator Synodalis, Convisitator archidioecesanus, atque in Ecclesia Metropolitana Thealina caeremoniarum Magister, Mansionarii atque Parochus hucusque renunciatus est.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Sardian. vacan, per obitum bo. me. Ioannis Ponzi, ultimi illius Episcopi apud romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Benedicti Lorenzelli, presbyteri archidioeceseos Bononiensis. Qui Apostolici internuntii in Hollandia munus suscepit, novissime vero Legatus Apostolicus apud Bavariae regnum renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam, Abellinen, vacan, per obitum bo. me. Francisci Gallo, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Seraphini Angelini, Episcopi Anglonen.-Tursien.

Cathedralem Ecclesiam Quastallen, vacan, per promotionem ad Archiepiscopalem Sedem Ferrariensem R. P. D. Petri Respighi, favore R. P. D. Henrici Grazioli Episcopi titularis Samosateni.

Cathedralem Ecclesiam Feretran. vacan, per translationem R. P. D. Caroli Bonaiuli ad Sedem Pisaurensem, favore R. D. Alphonsi Andreoli, Presbyteri ÌPergulani. Qui Pergulae progenitus et in quadragesimo septimo aetatis suae anno constitutus, Convisitatoris dioecesani atque Examinatoris pro-Synodalis muneribus perfunctus, Pergulanae etiam dioeceseos Vicarius in spiritualibus generalis atque Canonicus Primicerius hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Ñuscan, vacan, per obitum bo. me. Aemilii Todisco-Grande, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Michaelis Archangeli Pirone, presbyteri Abellinensis. Qui Abellini primogenitus et quinquagesimum sextum aetatis suae annum supergressi^, Examinator pro-Synodalis atque Cathedralis Ecclesiae Canonicus hucusque renunciatus est.

Cathedrales Ecclesias Soanen. et Pitilianen. invicem perpetuo canonice unitas vacan, per translationem R. P. D. Iulii Malteoli ad Cathedralem Ecclesiam Pisciensem, favore R. P. Michaelis a S. Aloisio, in saeculo Ioannis Francisci Cardella, e Congregatione SS. Crucis et Passionis D. N. I. C, Presbyteri archidioeceseos Lucanae. Qui in loco vulgo *Marlia* nuncupato archidioeceseos Lucanae progenitus et in quinquagesimo primo aetatis suae anno constitutus, Congregationem SS. Crucis et Pas-

sionis D. N. I. C. ingressus, Presbyteratus ordine et in sacra theologia Lectoris gradu donatus, in eadem Congregatione Rectoris ac Praepositi Provincialis muneribus pluries perfunctus est.

Cathedralem Ecclesiam Bisar chien, vacan, per obitum bo. me. Seraphini Corrías ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Philippi Bacciu Presbyteri eiusdem dioeceseos. Qui in loco, cui vulgo nomen *Budduso,* dioeceseos Bisarchiensis progenitus et in quinquagesimo nono aetatis suae anno constitutus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, Cathedralis Ecclesiae Bisarchiensis Canonicus Parochus atque etiam Examinator pro-Synodalis renunciatus est.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Pelusianam, vacan, per translationem R. P. D. Guidonis Corbelli ad Sedem Cathedralem Cortonensem, favore R. P. D. Ioannis Glavina Episcopi Theodosiopolilani.

Cathedralem Ecclesiam Tlascalen. vel Angelopolitan. in ditione Mexicana Americae Septentrionalis, vacan, per obitum bo. me. Francisci Melithonis Vargas, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iosephi Perfecti Amezquita, Episcopi Tabasquensis.

Cathedralem Ecclesiam Mañanen, in Brasilia, vacan, per obitum bo. me. Antonii Mariae Correa de Sá et Benavides, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Silvera Gomes Pimenta, Episcopi titularis Camachensis.

Cathedralem Ecclesiam Constantiam, vacan, per obitum bo m. Ludovici Henrici Julien Lafferrière, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iulii Stephani Gazaniol, Episcopi titularis Thuburbitan.

Cathedralem Ecclesiam Veglen. vacan, per translationem R. P. D. Andreae Sterk ad Sedes Tergestin. ac Iustinopolitan. invicem perpetuo canonice unitas, favore R. D. Antonii Mahnic, Presbyteri archidioeceseos Goritiensis. Qui in loco vulgo *Hobdilj* nuncupato archidioeceseos Goritiensis progenitus, et in quadragesimo septimo aetatis suae anno constitutus, doctorali laurea in sacra theologia donatus, Consiliarius consistorialis atque Assessor iudicii matrimonialis renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Rosnavien. vacan, per obitum bo. me. Georgii Schopper, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Ioannis Ivankovits, Presbyteri dioecesis Csanadiensis. Qui Szegedini Csanadiensis dioeceseos progenitus et quadragesimum nonum aetatis suae annum supergressi, Capellani, Parochi ac Professoris doctrinae religionis in Regia Schola Szegedinensi munera exercuit, Consiliarius deinde ecclesiasticus in Regio Ministerio cultus Hungarico renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Lugosien. ritus graeco-rumeno-catholici, vacan, per promotionem R. P. D. Victoris Mihalyi de Apsia ad Sedem Metropolitanam Fogarasien. et Alba-Iulien.., favore R. D. Demetrii Radu, Presbyteri Fogarasiensis archidioeceseos. Qui in pago vulgo *Tompahaza* nuncupato archidioeceseos Fogarasiensis progenitus et in tricesimo quinto aetatis suae anno constitutus, Romae inter Collegii Graecorum alumnos cooptatus, in philosophia et in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, in archidioecesim Bucharestiensem profectus, Assessoris Consistorialis, Rectoris ac Professoris sacrae theologiae muneribus perfunctus est.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Germanicianen. vacan, per obitum bo. me. Gustavi de Belrupt-Tyssac, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Emmanuelis Secundi Ballon, Presbyteri dioeceseos de Arequipa. Qui in loco vulgo *Tiabaya* nuncupato dioeceseos de Arequipa progenitus atque qua-

dragesimum secundum aetatis suae annum supergressus, in utroque iure doctoratus gradu dudum donatus, Arequipae muneribus Professoris theologiae moralis atque historiae ecclesiasticae, in praesens vero Director piae Societatis Sanctae Monicae atque Canonicus Magistralis Ecclesiae Cathedralis renunciatus est.

Episcopalem Ecclesiam Titularem Samaritan. sub Archiepiscopo Caesarien. vacan, per obitum bo. me. Basilii Leto, ultimi illius Episcopi, extra romanam Curiam defuncti, favore R. D. Gasparis Bova, Presbyteri Panormitano Qui Panormi ortus et quinquagesimum aetatis suae annum supergressus, a secretis primum Antistitis Agrigentini, dein in patriam reversus plurium Monasteriorum, Collegiorum ac Piaram Congregationum spiritualem curam solerter suscepit.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Helenopolitan. sub Archiepiscopo Nicomediensi in Bithynia, vacan, per obitum bo. me. Augusti Berlucca, ultimi illius Episcopi apud romanam curiam defuncti, favore R. D. Antonii Mariae Cesareo, Presbyteri Catanensis. Qui Catanae progenitus et in septuagesimo aetatis suae anno constitutus, in sacra theologia atque in iure canonico dudum doctorali laurea donatus, Examinator pro-Synodalis et Canonicus primum in Ecclesia Collegiata S. Mariae vulgo *dell'Elemosina* ac deinde in Ecclesia Cathedrali electus est. Novissime vero eiusdem Cathedralis Ecclesiae Canonicus Prior est renunciatus.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

PARISIEN.

MATRIMONII

Die 28 Martii 1896.

Sess. 24 cap. 5. De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. In Ecclesia *S. Ioannis Baptistae de Grenelles* Lutetiae Parisiorum, Ioanna annos duodeviginti nata et Franciscus, annis viginti peractis, *die 26 Septembris 1882* legitimum contraxerunt matrimonium.

Nuptiae autem infelicem habuere exitum ; vir enim, ebrietati deditus, violentissimae indolis erat, ac, uti videtur, singularem erga mulieres fovebat aversionem. Ideoque Franciscus, ut uxor refert, numquam coniugale debitum reddere voluit, et ad eius reiteratas preces, quae in votis habebat

matrem esse, contemptu respondebat « qu'il n'aimait pas les femmes, qu'il préférait une chopine à une femme ».

Hoc in miserrimo statu Ioanna fere decem anuos perduravit, sed cum mores eius violenti et inemendabilis viri continuo in peius verterent, recursum habuit ad tribunal civile pro divortio obtinendo, quod de facto declaratum fuit *die 11 Ianuarii 1892,* attenta utriusque coniugis incompatibilitate indolis, ac maxime, quia maritus numquam coniugale debitum reddidit, uti ex mulieris inspectione comprobatum fuit.

Tunc Ioanna, consulere volens suae conscientiae, per supplices litteras adiit Supremum Pontificem, dispensationem a suo matrimonio tantummodo rato eiflagitans.

S. C. Conc., cui preces remissae fuere, statim Emo Archiepiscopo Parisien, processus confectionem commisit, qui maxima sollicitudine per Iudicem delegatum processum inchoavit, excutiens actricem eiusque testes septimae manus. Reus quoque legitime citatus in iudicio comparuit ac se submisit Iudicis interrogationibus, sed testes inducere recusavit. Sueta denique diligentia expleta iudiciali inquisitione, Archiepiscopus mense Maio 1893 Emo S. Congr. Praefecto processum transmisit, simul his verbis miserrimam commendans Ioannam : « Nihil quidem alicuius momenti circa causam huiusmodi adnotandum venit, nisi quod honestissima et probatae religionis sit oratrix, quae etiam testes produxit omnino commendabiles. Ipsi autem quam maxime favorabile visum est peritorum examen ».

Disceptatio Synoptica

VOTUM CANONISTAE. Duas distinguit quaestiones consultor, nempe : 1. an constet de inconsummatione dicti matrimonii; 2. an adsint iustae dispensationis causae; et *ad utramque affirmative* respondit.

Inprimis animadvertit duo quoad formam processus de inconsummatione: alterum est eumdem esse rite confectum, si

excipiatur quod duo periti non mediantibus obstetricibus, at immediate ad inspectionem mulieris processerunt, quod Parisiis de more est et consuetudo invaluit, iuxta Bened. XIV Const. *Dei miseratione III nonas Nov. 1741* et *S. C. C. 22 Augusti 1840:* alterum est, quod, *uî* constet de non consummatione, non requiratur physica, sed moralis certitudo : *Cum enim,* verbis utar Conscii *De separat, tori coniug. I. 3, num. 146, agatur de facto occulto, a quo testes absunt, probationes esse non possunt certae certitudine physica, sed sufficiunt certae certitudine morali, quae fundare valeat iudicis animum, quemadmodum sunt coniecturae, indicia, praesumptiones, et alia argumenta coniunctim ponderanda, uti docent communiter Canonistae et Theologi ».*

Hisce praemonitis ait: certissime constat de non consummatione ; nam 1. ipsi coniuges affecti antipathia inter se numquam consummationem attentarunt, atque se numquam consummasse matrimonium suum iuramento constanter affirmant. Verum quidem est quod de causa inconsummationis in iudicio discordant, tamen de ipsa non consummatione concordes omnino sunt, ut patet ex actis et ut advertit ipsa Curia Archiep. *Uteris ad S. C. C. datis 29 Octobris 1892: « Concordant coniuges in asserenala inconsummatione matrimonii., dissentiunt autem in assignandis causis huiusce facti. Actricem et reum vidimus; mulier miseratione digna visa est, eamque virtutibus praeditam existimamus. Vir autem squalidis vestibus in aedibus Officialitatis comparuit, speciemque potatoris vini prae se fert ».*

Oratrix iurata ita fatetur coram Iudice: *Mon père m engageait vivement à me marier______Avant le mariage un mois ou deux a eu quelques craintes sur mon futur ; il croyait avoir entendu dire que ce jeune homme buvait. Mr. Francois disait parfois avoir travaillé et avoir été empêché par ses occupations et il s'était amusé comme nous avons su plus tard_____le premier jour a prétexté la fatigue pour ne pas demander F accomplissement du devoir conjugal. . . . Jamais il m'a demandé l'accomplissement des de-*

voir s conjugaux__Nous --vons toujours partage la même chambre et le même lit, sauf le cinq ou six mois derniers de la vie commune_____Je lui ai souvent fait des demandes indirectes par discrétion, n osant pas préciser d'avantage. Je lui répétais souvent que nous ne nous étions pas mariés pour rester ainsi, que je désirais des enfants, et autres demandes du même genre.

« A mes différentes demandes il répondait avec dédain et mépris, me répétant souvent quii n aimait pas les femmes, quii préférait une chopine à une femme. J'affirme de la facon la plus absolue que mon mariage avec François n a jamais été consommé, et cela var le fait de mon m,ari, qui, je l'affirme une fois de plus, ne m'a rien demandé, et n a jamais rien tenté ».

Ad viri Francisci quod attinet confessionem dico clara esse eius verba: « *Je jure que V acte conjugal na pas été consommé, ni même commencé; je le jure devant Dieu, et sur la tète de mon père qui est mort. La responsabilité en appartient à ma femme toute seule ».*

Insuper *obiicies,* hic quoad rationem reddendam non consummationis, hanc repetit ex repugnantia uxoris: ait enim *« J'ai demandé immédiatement à ma femme Vaccomplissement du devoir conjugal, mais elle me Va refusé, comme d'ailleurs elle Va toujours refusé dans la suite, malgré toutes mes tentatives. Ne voulant pas user de violence, ne voulant pas la lier, je n ai pas été plus loin____»* Et interrogationi ex officio a defensore factae respondet : « *Oui elle prenait tout d~'abord la position naturelle, mais immédiatement elle me repoussait, et se mettait à crier età pleurer* », Cuinam fides adhibenda est ?

Fides adhibenda prorsus est Ioannae quia hanc honestissimam feminam atque omnino veracem exhibent et Curia archiepiscopalis et testes omnes septimae manus.

Forte cum in ebrietate esset, brutali modo ipsam amplexatus est, vel brutorum instar aliquid ab ea petiit: quod accidisse sic, loquitur testis in causa Domina Barrat.

Vir mentitur. *a)* Uti reus enim vocatur et cum iam propter non consummationem a civili tribunali de iniuria in uxorem fuerit damnatus, hinc mirum non est si de facto occulto mentiendo totam causam non consummati matrimonii mulieri imputet. Ipsum autem factum inconsummationis, cum se negavit causam esse, negare non potuit: ipse enim novit quod eius uxor a tribunali civili post diligentem corporis inspectionem reperta est virgo. — *b)* Alias deprehensa est mendax: Mons. Villard, testis in causa ait: Mons. Francois un jour vint se plaindre *de ce que sa femme ne lui avait pas préparé à déjeuner. J^e lendemain sa femme nous montra le déjeuner prêt de la veille. Mr. François prétendait ne Vavoir pas vu. mais il avait bien vu la bouteille de vin. Tai entendu plusieurs fois Mr. François adresser des outrages ci sa femme, mime les plus grossiers que je demande la permission de ne pas répéter ».* *c)* Quin imo ipse referens rationem non consummationis in mulierem invenitur contradicere iis quae veluti prolata et dependentia ab ipso attestantur iurati plures septimae manus. Sufficiant duorum attestationes: altera Dñi Petri Villard, altera Dñi Verschère. Porro Villard refert: «Il m'a dit nettement: *Je n ai jamais dépucelle ma femme: j'aime mieux une bouteille de vin* ». Idem prorsus refert D.Verchère: *Mr. François* m'a dit lui même *quii u'aimait pas sa femme et qu'il lui préférait une bouteille de vin ». — d)* Quid mirum de mendacio huius viri si fere habitualiter ebriosus inveniatur: iamvero ab eiusmodi egoistis, quos vocant, hominibus, cum verum fateri ipsis noceat, non est expectanda veracitas rationalium animarum propria. Ebrietas enim iuxta Chrysost.

facit *homines peiores irrationabiUbus______Quanto melior asinus ebrioso est?* Et S. Aug. « *Ebrietas est blandus daemon, dulce venenum, grave peccatum;* quam qui habet, *seipsum non habet;* et qui facit, peccatum non facit, sed totus est peccatum ». In confesso autem apud omnes testes in causa adhibitos Franciscum habitualiter ebriosum et saepe saepius ebrium ex integro reperiri; legatur vel unum testimonium

ianitoris domus quam inhabitabat, aientis D. Franciscum fere in statu ebrietatis semper suam repetebat domum.

Ipsa mulier suspicata est aliqualem viri impotentiam. Nam ait « Tout me porte a croire *que mon mari est impuissant; sa reserve vis-à-vis des femmes, et de moi sa femme, sa passion de boire. Mais je n ai pas constaté de visu quii il fût impuissant. Il me serait d'ailleurs difficile de constater V impuissance, puisqu'il n' a jamais demandé V accomplissement du devoir conjugal, et que moi-même, je ne sais pas—*

Addatur et antipathia iam a primis matrimonii diebus. Nuptiarum die frigiditas animorum apparet. Ipsa Ioanna ait: « il me plaisait peu » et sicut refert testis iurata *Fayein:* « Elle, Ioanna, *m'a dit que ce mariage était loin de lui plaire, mais qu'il faisait pAaisir à son pere, et qu'alors elle l'accepterait. Son père d'ailleurs, quelle aimait sans reserve, lui avait fait mille promesses pour l'engager à l'accepter; et com'elle était fort jeune, elle s'est laissé fai^e ».*

Ipsa continua ebrietas, ipsi mores asperrimi Francisci non poterant non dissociare atque penitus alienare animos. Fere ab omnibus septimae manus testibus deponitur « *Toujours il était avec sa. femme très-brutal, et très-violent ».*

Habetur igitur, praeter iuratam confessionem utriusque coniugis de non consummatione, ratio unde illa provenit in viro abominatio omnium feminarum et forte impotentia, in uxore antipathia huius viri *semper vino madidi.* Atqui verbis utar et Conscii « *quando coniuges ob reciprocam abominationem et antipathiam ac odium, ^nunquam prope inter se fuerint in eo statu quem consummatio necessario exposcit, funditus cessat quicumque ambigendipraetexttts, quia in hoc decipi et allucinari non possunt, cum sine modis aptis et proportionatis impossibilis sit consummatio* ». Ad rem etiam Emus Card. De Luca *De matrim, disc. 9, n. 15:* « *In quadam vero alia causa, in qua ob inimicitias et antipathiam, cum hoc exemplo idem practicatum fuit, cum praesupposito etiam quod ageretur de matrimonio rato tantum dif-*

/¿cultas magna apud me erat, quod ageretur de vidua, quae cum viro iam dormierat, ideoque non agnoscebam quomodo convinci posset negativa consummationis matrimonii, licet enim id non sit omnino impossibilis iustificationis,* attamen videtur nimium difficilis *adeo ut sit difficultas, quae quodammodo fraternizet cum impossibilitate______».*

Hinc quaecumque evanescit de consummatione praesumptio, eo quod cohabitaverint et condormierint, ut recte monet Ursaya *Discept, t. 2, p. 1, discept. III, n. 45: « Condormitio coniugum non facit ut matrimonium amittat quantitatem et denominationem rati quando cum effectu consummatum non fuit ». Corrad. in Prax. Disp. I.* VIII*, c. 7, n. 32.*

Accedit *septimae manus* testium depositio: ii enim omnes uno ore testantur de honestate et veracitate praesertim oratricis: cuius etiam archiepiscopalis Curia sic testimonium reddit datis uteris mense maio an. 1893: « Nihil quidem alicuius momenti circa causam huiusmodi adnotandum venit, nisi quod *honestissima et probatae religionis sit Oratrix, quae etiam testes produxit omnino commendabiles ».*

Iamvero coniugum confessio testimonio septimae manus suffulta in eiusmodi controversiis certitudinem parit; Sánchez *De matr. lib. 8, Disp. 9.* Caelest. V. *De Frigidis et Male fic.* Idem repetunt DD. e. g. Consc. *De separat, tori coniug. I. 3, c. 2, n. 134: « Aliquando si una simul coniuges cohabitaverint, negativa consummationis, quando etiam per viam, iuris petitur separatio, probatur eorumdem coniugum iuramento cum septima propinquorum manu pariter iuramento coniuncta ad normam text. in can. Requisisti 2, Ca. 33, q. 1 ».* Et n. 136 subdit: « *Accedente praeterea in hac materia iuramento septimae manus consanguineorum aut vicino rum ex parte utriusque coniugis; qui si affirment firmiter credere coniugum confessionem esse veridicam, eosque sic delicatam habere conscientiam ut sint incapaces proferre mendacium ac periurium tamquam purgatores dicti alieni suspicionem collusionis remorent ac falsitatis ».*

Quae certitudo de inconsummatione maior fiet si addatur probatio ex aspectu corporis feminini. Pudenda enim muliebria rite inspecta a valde peritis signum indubium exhibent virginitatis mulieris.

His testibus medicis valde peritis ad abundantiam subiungam testimonium peritissimi D. Socquet, quamvis non iurati coram Ecclesiastico, sed coram civili Tribunali ubi postquam descripserit qualiter se habeat claustrum virginale Ioannae concludit: « 1. *Mme. Jeanne n est pas déflorée; elle est donc vierge: 2.* La conformation des organes génitaux externe de cette dame est normale; rien ne s'oppose donc à ses rapprochements sexuels complets ».

Gravissimae autem adsunt causae ad dispensationem inducendam. Et quidem gravissima est animorum dissociatio, quin futurae reconciliationis spes adfulgeat. *Cf. De Iustis De dispens, matr. L II, n. 21-34,* aliique DD. qui communiter hanc causam ut iustissimam habent. Atqui talis obtinet inter Franciscum et Ioannam animorum dissociatio. Nam ex actis patet evidenter disparitas indolis, ut felix matrimonii exitus sperari non possit : maritus violentus valde et acerrimus in uxorem, haec autem timida potius et mitis. Atque ita fere omnes testes in causa loquuntur, quorum omnium, nemine excepto, conclusio in attestationibus est quod reconciliatio est impossibilis; et quod nonnisi separati esse possunt, non modo propter dictam indolis incompatibilitatem , sed etiam quia Franciscus nullatenus providebat uxorem de alimentis , quin imo necessaria vitae ab ipsa exquirebat, et pluries iuratus est res proprias uxoris ad vitio ebrietatis indulgendum. Ebrietas ipsa habitualis sine spe emendationis iusta causa esset optatae separationis.

Ex hoc porro ebrietatis vitio patet altera iusta causa, inde tota profluens, videlicet si cogerentur simul cohabitare, timor valde probabilis est scandali futuri, discordiarum et rixarum inter se et consanguineos. Quid amplius? Cum agatur de ebrioso mulier exponeretur saepissime discrimini vitae.

At non solum vitae, sed et animae periculum magnum esset pro muliere quae cogenda esset cum tali viro cohabitare, maritalem fovere consuetudinem cum eo, qui ob ebrietatem numquam posset maritaliter satisfacere uxori, procreandi filios vehementi desiderio affectae.

Non posset satisfacere debito coniugali si vellet. Dubitatur enim de aptitudine viri ad generandum. Nam a pluribus testibus asseritur ipse esse valde delicatae complexionis. Imo praeter ipsam Oratricem sunt et testes qui certissimam causam non consummationis repetunt ex impotentia coeundi. Porro signa etiam huius ebrietatis erant etiam ante matrimonium: unde aliquod videretur obfundi dubium in ipsam matrimonii validitatem; atquo adeo facilior esset dispensatio, quam postulat oratrix. Insuper superveniens impotentia esset causa iusta; sed alia est fortior causa i. e. sententia divortii a tribunali civili lata.

Hisce positis, cum moraliter impossibilis sit animorum reconciliatio et corporum commixtio, qualem natura exigit, mulier cogenda esset ad perpetuam viduitatem. Atqui haec oratrix est valde iuvenis atque ad tantum malum ferendum adigi nequit. Id enim pati non modo excedit femineae imbecillitatis ordinarias vires, sed etiam in gravissima damna coniiceretur mulier.

Accedit praxis S. C. C. quae vel ob unam ex his causis Romano Pontifici dispensationem a matrimonio rato et non consummato suasit, ab eoque obtinuit. Porro *a)* si ex praescripto iuris probata manet inconsummatio matrimonii per iuratam coniugum et septimae manus confessionem, quae si suffulta sit iuramento parit moralem certitudinem - vel *b)* si dispensationem obtinuit S. O. C. quamvis hymen fuerit repertus dilaceratus in aliqua parte (cf. Acta S. Sedis v. XII. pag. 629; XIV. p. 361; XVII. p. 367; XVIII. p. 523; XIX. p. 239): probatissima dicenda erit inconsummatio matrimonii inter Franciscum et Ioannam; eaque magis digna quae dispensetur a vinculo matrimonii cum omnes adsint

iustissimae causae dispensationis eiusmodi, et simul omnes concurrant probationes inconsummationis.

VOTUM THEOLOGI. Ad matrimoniorum validitatem, de necessitate, scitum est, coeundi requiri potentiam, quam tamen persaepe ob frigiditatem deficere quotidiana experientia constat. Sunt autem frigidi habendi ii omnes qui, cum rei uxoriae vacandum est, continuo non erigunt, vel etiam a legitima copula insuperabilem aversionem patiuntur. Causa buius vel est naturalis seu ingenita organorum debilitas, vel ex intemperantiae repetitis actibus acquisita imbecillitas. Ex tali capite impotentes inveniuntur non solum qui venereis abusi fuerint, sed etiam qui sepeliré se vino aut'po tu quocunque consueverint. « Quelle que soit la boisson fermentée, ait Dr. Roubaud Traité de l'impuissance p. 196, dont l'ivrogne fasse abus..., les conséquences, sous le rapport qui nous occupe, sont parfaitement identiques; tous perdent avec le sentiment de leur dignité le stimulant moral qui pousse un sexe vers l'autre, et, en même temps, la sensibilité physique sans laquelle les organes restent sourds aux impressions extérieures ».

Huiusmodi frigiditatis causa in viro Francisco vigebat, cum, die 27 Sept. 1882, annos tunc natus viginti, Parisiis coram parocho ecclesiae S. Ioannis Baptistae in legitimam uxorem accipiebat Ioannam eiusdem fere aetatis. Per annos circiter octo sub tecto eodem coniuges degerunt, eodem lecto utentes, quin tamen suum matrimonium consummarint. Mulier utique, cum in votis habebat esse matrem et procreare filios, passim maritum, ut debitum redderet, precibus et lacrymas rogabat. Hic autem fastidiosus propositum repudiabat dicens se malle poculum haurire vini, quam ad feminas accedere. Interea uxorem se nullo amore prosequi factis demonstrabat. Omnia tamen in silentio et patientia miserrima coniux ferebat, de mutanda sua sorte nihil cogitans, donec casu ab amica edocta est matrimonii sui inconsummationi inesse causam divortii. Tale nuntium, utpote quod insperatae felicitatis viam aperiebat, cum laetitia accepit.

Bona utique, prout videtur, fide saecularem iudicem adiit, atque mox, demonstrata per corporis inspectionem sua integritate, optatam sententiam impetravit. Prope iam sciens hanc nihil valoris habere coram Deo, supplicibus litteris ad Sanctitatem D. N. porrectis, expostulat ut auctoritate apostolica cum ipsa dispensetur super matrimonio suo, tamquam rato et non consummato. Vir autem, qui reus est in causa actricis precibus minime contradicit, imo et ipse, licet non ex propria impotentia, sed ob adversos eiusdem conatus id contigisse velit, se nunquam matrimonium consummasse fatetur.

Haec cum ita sint, circa duo inquirendo votum meum qua theologus conficiam, scilicet: 1. Utrum constet matrimonium de quo in themate, coniugali copula non fuisse consummatum. 2. utrum dentur sufficientes atque idoneae rationes et causae consulendi S. S. quatenus petitam dispensationem concedere dignetur.

Porro ad utrumque, statim dicam, salvo omni meliori iudicio, respondendum esse puto *affirmative.*

Ad primum quod attinet, tale responsum plane suadent tum coniugum concors declaratio, tum septimae manus testimonium, tum corporis inspectio.

Declaratio coniugum. - Oratrix circa coniugale debitum interpellata, sic sub sacramento respondit: « *François,* le premier jour, a prétexté la fatigue pour ne pas demander l'accomplissement du devoir conjugal_____*Jamais il n a demandé f accomplissement des devoirs conjugaux*.... Je lui ai souvent fait des demandes indirectes par discrétion... Je lui répétais que nous n'étions pas mariés pour rester ainsi, que je désirais des enfants. Je lui ai souvent reproché, soit de vive voix soit par mon attitude et mes larmes, que je ne pouvais pas vivre ainsi... Il me répondait avec dédain et mépris, me répétant souvent qu'il n'aimait pas les femmes, qu'il préférait une chopine (poculum) à une femme.... *J'affirme de la façon la plus absolue que mon mariage avec François n a jamais été consommé* et cela par le fait de

mon mari , qui ne m'a jamais rien demandé et n'a jamais rien tenté.... J'attribue la non-consommation à l'impuissance de lui.... Tout me porte à croire que mon mari est impuissant: sa réserve vis-à-vis des femmes et de moi sa femme; sa passion de boire ».

Haec actrix, quam Parisien. Curiae Vicarius generalis, officialis ad Emum Praefectum scripsit existimari « miseratione dignam atque virtutibus praeditam », dum vir, sic idem ait, « squalidis vestibus indutus in aedibus officialitatis comparuit, speciemque prae se fert *potatoris vini* ».

Interrogatus iste a iudice utrum matrimonium consummaverit, respondit: « *Je jure que l'acte conjugal na pas été consommé, ni même commencé.* Je le jure devant Dieu et sur la tête de mon père qui est mort ». Causam autem inconsummationis idem ipse dixit esse in muliere, debitum constanter recusante. J'ai demandé immédiatement à ma femme l'accomplissement du devoir conjugal, mais elle me l'a refusé, comme d'ailleurs elle l'a toujours refusé dans la suite, malgré toutes mes tentatives. Elle me donnait pour raison la souffrance qu'elle éprouvait ».

De talibus itaque ex parte oppositis testimoniis applicandum est quod egregie sic docet Farinacius, Tract, de testibus q. 66. n. 24: « Testes non discordantes in substantia probant, nam inter eos non adest variatio vel contradictio, et forte melius est non ista penitus convenire in accidentalibus, ne videantur praemeditati, et propterea cum sint concordes in effectu et non discordent in substantia, nihil eis diminuendum in fide ».

Ast, dicet forsitan aliquis, cum ita coniuges se habuerint, cur in ipsa novitate rei uxor non reclamavit parentibusque miserrimum suum statum patefecit? Obvia est responsio. Matre orbata a pluribus annis inveniebatur, cum matrimonium inibat. Si illa tunc inter vivos adhuc degisset, puella utique rem totam ipsi quam primum manifestasset. « Il n'en eut pas été ainsi, coram iudice dixit, si j'avais eu le bonheur de posséder encore ma mère; mais je l'ai perdue vers

l'âge de 14 ans ». Oratricis pater et ipse, paucis a coniugio interiectis annis, mortem oppetiit. « Mon père est mort depuis cinq ans. Mon père n'a reçu de moi aucune confidence sur mes relations avec mon mari. Je lui aurais fait une peine inutile ». Ceteroquin maritus uxori affirmabat matrimonii inconsummationem non dare locum divortio, plurimosque coniuges sic secum vivere, quod ingenua puella verum credebat. Nihilominus, tempore etiam non suspecto, cum paucis amicis de suo statu conquerebatur : « J'ai parlé de la non-consommation du mariage avant même la séparation. J'en ai parlé à ma soeur et à son mari, à Mr. et Me. Villard, Me. Brossée, Me. Barat, Mr. et Me. Rufte, toutes personnes que j'indique comme témoins ». Et revera testes istos actricis declarationem plane confirmasse, ex mox transcribendis docemur.

Septimae manus testimonium. - Testes quindecim vel ab actrice producti vel ex officio citati sunt. Reus enim se pro testatus est causae non adversari, sed neque velle in sui defensionem testes producere, neque documenta. Porro septima manus integra, nullo teste excepto, oratricem sub sacramento declaravit esse feminam apud omnes probatissimam, christianam, modestam, veracem cui credendum omnino est, cum dicet matrimonium suum non fuisse consummatum.

Corporis inspectio. - Haec prout apud Parisien. Curiam mos est, neque a iure, vid. Sánchez *Hb. VIII, disp. 113, n. 21,* neque a S. C. O. reprobatur, non a matronis, sed a duobus probis atque doctis peritis, praemisso a sacris Canonibus requisito balneo, instaurata separatim est, qui deinde sub sacramento, coram iudice, tum scripto tum verbo et ore, sententiam suam palam fecerunt. Interpellati itaque utrum ipsis constet de integritate oratricis sic responderunt:

Dr. Iulius Bucquoy : « Cela ne fait pour moi aucun doute. Ma conviction est, qu'il n'y a pas eu consommation de mariage. On trove chez Mme. Jeanne toutes les conditions physiques répondant à l'affirmation que jamais le mariage n'a été consommé. Rarement j'ai trouvé les condi-

tions réclamées par les Canons aussi évidentes que chez la même ».

Alter peritus, Dr. Ferrand, respondit : « Oui, c'est pour moi une conviction qu'il n'y a pas eu consommation de mariage, et que Mme. Jeanne a conservé toutes les preuves physiques des la virginité ».

Ex hucusque dictis iure meritoque concluditur constare de non consummatione matrimonii de quo quaeritur. Restat ut de idoneis causis inquiramus consulendi S. S. quatenus optatam dispensationem elargiri dignetur.

Cum « indissolubilitas matrimonii sit de iure naturali et divino » theologorum communis est doctrina, cf. Sánchez *De matrim, lib. II, disp.-15, n. 5,* dispensationem Pontificis in coniugio nondum consummato, absque causa iusta et idonea non esse concedendam. Causas autem huiusmodi varii varias enumerant, cum tamen, nemine dissentiente, tres sequentes omnino idoneae habentur, scilicet: probabilitas impotentiae, alienatio animorum, exclusa spe reconciliationis; periculum incontinentiae. Porro

Virum probabiliter impotentem praeter actricem tenet expressis verbis Iulius Verchère, testis, sororis istius maritus. Ceteroquin quis unquam admittet eumdem, nisi impotentia laborasset per integros novem annos cum muliere cohabitasse, noctibus singulis in lecto eodem dormiisse, quin eam, prout ipse fatetur, ne semel quidem tangeret. Vir utique hoc contigisse ait, quia uxor eum continuo repellebat : Credat hoc Iudaeus Apella.

Coniugum animos ab invicem ita esse alienos, ut ab omni reconciliatione desperandum sit, tum ex ipsorum verbis, tum ex septimae manus testimoniis evincitur: imo civilis divortii sententia obstat ne ad communem vitae consuetudinem restaurandam deveniatur.

Demum incontinentiae periculum actrici imminere ex hoc patet, quia de puella agitur, quae cum trigesimum aetatis annum vix superavit, typographica arte vitam sustentat, ac proinde per integros dies in mediis viris operariis degere

cogitur. Prout ex actis eruitur, pietas eam a lapsu praeservavit. Talem autem iuvenilem puellae ingenuitatem periculum potius augere, quis nescit?

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Vertente anno 1882 mensis septembris die 26 Ioanna 18 annos nata, Francisco, constituto in annorum aetate 20, denupsit, quocum communione thalami per octo circiter annos usa est, si ipsam audias, fratris et sororis instar.

Sed anno 1890 labente, Franciscum Ioanna in ius rapuit apud laicum tribunal. Iudiciali nam in examine diei 27 decembris 1892 Ioanna profitetur: « Le divorce civil a été demandé il y a environ deux ans. Je l'ai demandé par injure grave résultant de la non-consommation du mariage et sa mauvaise conduite, car souvent il ne rentrait pas de la nuit, restant au cabaret ».

Ast Ioannae et ab ea inductis testibus in virum Franciscum obsequia coniugalia detrectantem mordicus iste adversatur. Ait enim : « *J'ai demandé immédiatement à ma femme Vaccomplissement du devoir conyugal, mais elle me Va refusé, comme d'ailleurs elle Va toujours refusé dans la suite, malgré toutes mes tentatives. Ne voulant pas user de violence, ne voulant pas la lier, je n ai pas été plus loin*___». Et interrogationi ex officio a defensore, factae respondet : « *Oui elle prenait tout d'abord la position naturelle, mais immédiatement elle me repoussait, et se mettait à crier et à pleurer ».*

Iam liquet igitur alterutrum saltem coniugum veritati minime studere. Nec peremptorium est, quod in huius generis causis attendi potissime solet, specimen scilicet in mulieris corpore peractum. Non tres enim obstetrices, sed duo medici adhibiti ad hoc sunt. Quae res non modo naturali honestati, sed etiam tutiori veritatis assecutioni adversatur. In huiusmodi namque negotiis inter peritiores peritissima est mulier.

Deinde recognitio corporis ab unoquoque expleta est, altero astante perito; et ex conspiratione testimonium me-

dici cognitores ediderant. Quod improbatur in Instruct, a S. C. C. edita die 22 Augusti 1840 § *Designata die* et *§ Iudex, defensa?"*, ubi cavetur ut SEORSIM *corpus inspiciant* et ut SEORSIM *singulae obstetrices referant de virginitatis aut corruptionis indiciis, ab inspectione resultantibus.*

Hisce animadversis, suppositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congr. C. re cognita sub die 28 Martii 1896, censuit respondere : *Affirmative.*

MATRITEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 2 Maii 1896.

Sess. 24 cap 5 de ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Casimirus legibus ferendis in Hispania Orator electus, *die 18 Decembris 1882* Matri ti matrimoniale iniit foedus cum Dolorosa, rite Tridentina forma servata; sed heu! infelicem habuit exitum huiusmodi coniugium quod auspicato svdere videbatur initum. Siquidem uxor, sane maritali genio idonea et firma praestans valetudine, videtur ita insana veneris cupiditate allecta ut a viris abhorreat, inhians praeposteras cum foeminis uniones. Fertur enim concordi coniugum attestatione quam una voce testes comprobant, vitae maritalis consuetudinem perdurasse ad 29 dies, nempe usque ad 27 Ianuarii 1883, sed coniugali copula infecta ob Dolorosae tenax propositum sui corporis copiam non faciendi viro, etsi hoc enixius expetenti. Hinc thori et cohabitationis dissolutio ad nostros usque dies constanter perseverans, quae viro acerbior evasit, quippe interim uxorem referunt testes omnimode initis nuptiis abusam

fuisse, tum contrahendo aes alienum cui vir, ut suo parcere!, nomini, satisfacere coactus est, tum alienando gemmas, monilia, aliaque id genus, matrimonii causa, comparata. Deinceps res eo devenerunt, ut Dolorosa furti accusata ad criminales Iudices rapta fuerit, quorum sententia sub hisce diebus attenditur.

Infelix vir, ut tam infestum disrumpat maritale foedus supplex adiit Sacratissimum Principem, ut dignaretur dissociare huiusmodi coniugium, utpote ratum et non consummatum.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO VIRI. Advocatus in primis respondet difficultati, sponte sua erumpenti, quomodo nempe Dolorosa matrimonium potuerit sponte contrahere et consummare non voluerit. Notat enim quod sive ipsamet Dolorosa, sive quotquot adsunt in Matritensibus tabulis testes, pleno ore asserunt illius repugnantiam ad. se coniungendam tam cum viro suo, quam cum homine quolibet talem esse, quae numquam immutari aut minui possit. Quinimo aliqui ex testibus adiiciunt, mulierem hanc abhorrere a sexu masculino, cui praetulit femineum sexum ante et post matrimonium, inhonestas fovendo affectiones cum femina aliqua.

Satis haec superque sunt, iuxta patronum, ad demonstrandam mulieris Dolorosae reluctantiam ad praestandum matrimonii debitum Casimiro et causam praecipuam huiusmodi agendi rationis. Idcirco progreditur ad quaestionem alteram, quae fluit a reluctantiae causae notitia; nimirum, cur matrimonium iniit Dolorosa cum Casimiro, si hunc summopere adyersabatur, masculos omnes in genere adversaretur. Et hac quidem super re opinio est nonnullorum testium, mulieris intentionem, contrahendo hoc matrimonium, fuisse ut frueretur viri divitiis. Et re quidem vera aes alienum contraxit, inscio marito ; quinimo imitando viri scripturam, ut pecuniam sibi compararet.

Firma et certa cum sint mulieris aversio in Casimir um,

et finis quem sibi illa praestituerit, in contrahendo matrimonio, mirum non videtur oratori quod viri preces, blanditiae, amicorumque iterata consilia Dolorosam haud valuerint a proposito removere.

Expectavit, narrat Patronus, Casimirus dies, menses et annos integros ; nihil intentatum reliquit ut Dolorosam ad bonam frugem reduceret, ut initum cum ea matrimonium tandem aliquando perficeret. Expectavit patiens, in morbum etiam incidens, desideria coercens : inlatam sibi iniuriam plus aequo toleravit ne dilectam mulierem, quam in suam uxorem elegerat, perderet omnino. Sed di lectioni, pietati, patientiae finem tandem imposuit mulieris pertinacia, eiusque agendi ratio, quae nedum privant Casimirum P. G. iure suo, sed eius famam, decorem quam maxime laedunt. Etenim firmum in ea hodieque perdurat propositum nunquam se coniungendi cum Casimiro ceu ipsamet dixit coram Iudicibus matritensibus.

Firmus in ea, prosequitur Advocatus, hodieque manet perversus instinctus alia potius illicita et nefanda appetendi quo concupiscentiae satisfiat, quam debita viro suo obsequia praestandi. Firmus in ea hodieque manet finis unicus, quem sibi proposuerat in matrimonio contrahendo, utendi scilicet abutendique nomine et divitiis Casimiri, quo melius genio suo ac pravis moribus indulgeret: id quod ex concordi attestatione apprime constat. Dilectioni, pietati, patientiae Casimiri hucusque adhibitis erga Dolorosam, finem tandem imposuere criminales Inquisitiones, quae hodie instituuntur a Magistratibus matritensibus in mulierem, quaeque illustre, honoratum atque integrum Casimiri nomen infamiae nota etiam inurere certe videntur.

Matrimonium fuisse haud consummatum inter Casimirum et Dolorosam praeterquamquod, iuxta Advocatum, usque ad evidentiam liqueat ex dictis eorumdem coniugum, ex unanimi consensione testium, qui in iudicium sunt vocati, viginti quatuor numero, certum indubiumque fit ex attestatione iurata trium Peritorum, qui ex Iudicum Matritensium

mandato Dolorosam accuratissime, iuxta medicinae et chirurgiae placita et criteria inspexerunt die 4 Decembris elapsi anni 1895.

Secundam quaestionem quod spectat, obiter Orator tantummodo notat, ex Doctorum attestationibus, ac praesertim ex illa Antecessoris Gabini Samaniego Sacristano, ex officio deputati a Iudicibus matritensibus ad inspiciendam mulierem, rite recteque argui posse perversum mulieris ipsius instinctum, quique causa praecipua fuit cur matrimonii debitum Casimiro praestare constanter Dolorosa renuit. Unde testium omnium dicta, quae de pravis mulieris moribus sermonem habent, confirmationem accipiunt etiam ex Peritorum iudicio.

Constat itaque, concludit Patronus, de primo extremo ad impetrandam pro Casimiro dispensationem a matrimonio rato et non consummato. Item, ait, constare de causis rationabilibus et gravibus quae dispensationem imploratam suadeant. Adest praeprimis mulieris pertinacia, ad nunquam se coniungendam in posterum etiam cum viro suo. Qui imo interrogata Dolorosa a Iudicibus matritensibus, utrum ipsa contradiceret matrimonii resolutioni, respondit : sese oppositionem non facere, quinimo id apprime desiderare. Qua ex mulieris pertinacia, Casimirus coactus videretur usque ad vitae suae exitum, vel Dolorosae, ad continentiam, quam unquam professus est, et idcirco matrimonium iniit. Coactus videretur ex mulieris pertinacia toto suo vitae tempore vel Dolorosae matrimonii quod contraxit fines, quales sunt certe procreatio prolis, remedium concupiscentiae, numquam assequi : idque cum animae suae corporisque periculo et detrimento.

Adest praeterea, pergit Advocatus, ut iusta et rationabilis causa, quae matrimonii rati resolutionem suadeat, Dolorosae vivendi agendique ratio, quae honestam mulierem, honestam uxorem minime decet, quamque certe aequo animo ferre vir, moribus egregius, pietate et dignitate insignis, haud unquam poterit ; causaque esset proinde semper et con-

tinue iurgiorum, iniuriarum et scandali inter virum et uxorem. Cuiusque sententiae sunt quotquot sunt in tabulis testes.

Sed iam memoratis causis, urget demum Advocatus, nova accedit maximi momenti et gravitatis, quae desumitur ex superioribus testium dictis, nempe ex Inquisitionibus criminalibus, quae nunc institutae sunt Matriti adversus Dolorosam, quaeque proximis diebus disquirentur coram Magistratibus , et cum illius fraudes plene constent, certe criminis rea erit iudicata atque in carcerem coniecta. Cui Advocati voto concinit Ordinarii Suffragium.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. Ex adverso Matrimonii Defensori fere incredibile videtur, virum in legalibus disciplinis apprime versatum, numquam cogitasse tam diuturno temporis intervallo inconsummatum matrimonium esse relaxationi obnoxium, maxime quia cunctatio illa actionis adversus matrimonium intentandae e diametro pugnet cum praesenti festinatione, qua controversiam dirimi pertentat,

Quod dubium magis urget Defensor, qui asserit, iudicialem inquisitionem nullitatis vitio tabescere. Profecto Benedictus XIV in celebri constit. *Dei miseratione,* nedum districte praecipit ut causis matrimonialibus intersit matrimonii defensor ex officio, verum etiam cavet : « Quaecumque, defensore matrimonii non legitime citato aut intimato, in iudicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus, ac pro nullis, cassis ac irritis haberi volumus, perinde ac si citata et intimata non est ea pars, cuius citari intererat, et quam iuxta legem et canonum praescripta ad legitimam iudicii validitatem citari aut intimari omnino necessarium erat ».

Iam vero curia matritensis, acceptis apostolicis uteris, in quibus commissum est Episcopo ut conficeret processum super asserta non consummatione matrimonii et causis dispensationis eiusdem, servata forma Constitutionis Benedicti XIV *Dei miseratione et* Instructionis S. C. anni 1840,

archidiácono Iuliano de Diego y Arcolea, canonico poenitentiario Isidoro Estecha et Donato Zimenez parocho iudicum inquisitorum, et Eduardo Calvo Gonzalez cancellarii munus concredidit, de matrimonii defensore ne cogitavit quidem.

Praeterea notat Orator, omnino latere quid ad hoc in praesenti actum, sit, quia cancellarius, dum refert testium responsiones, propositas quaestiones omnino contra praescriptum legis retinet.

In altero tantum Dolorosae examine ipsas quoque propositas quaestiones actis inserit : et ex illis ad alias testibus propositas quaestiones argumentatus Defensor, credit testes ita excussos ut non solum inviti nullam debuerint prodere veritatem, sed praeterea responsionem sibi benevisam iii proposita quaestione paratam invenerint sive consonam sive dissonam a veritate.

Aliis missis, dolet Defensor quod etiam corporalis uxoris exploratio non rite peracta sit, nimirum iuxta leges praestitutas in celebri S. C. C. Instructione *diei22 Augusti 1840.* Re namque vera, urget Orator, recognitionem corporis mulieris non tribus obstetricibus committunt, sed uni tantum medico, nempe Gabino Samaniego y Sacristán. Siquidem semel ac Casimirus et Dolorosa matrimonium ambo dissolvi cupiunt, facultas in ipsos collata eligendi quemque suos peritos abnormis prorsus est, nec proin inter iudiciales medicos cognitores recenseri possunt Henricus Capesino y Servocal atque Petrus Calaberin y Calderin.

Nec minus abnormis iuxta Defensorem est modus a medicis cognitoribus adhibitus. Ipsi enim minime iurarunt, antequam recognitionem mulieris peragerent, se commissum sibi munus fideliter diligenterque expleturos quocumque partium studio cessante, sed exploratione ad exitum perducta, compluribus ab absoluta exploratione iam exactis diebus, iurarunt *di dire verità.* Honesta matrona, quae nedum ex lege honestatis, verum etiam ad removendum collusionis periculum est adhibenda, non adscita fuit. Quinimo non

alium ad inspectionem agendam locum accommodatiorem iudicarunt, quam domum Petri Calaberin y Oalderin, medici a Dolorosa electi, advertit Orator.

Qui ait, omnibus notum esse, feminas plus semel, remediis quibusdam ante peritorum explorationem adhibitis, virginitatem simulare. Ad rem Sánchez *de matrim, lib.* 7, *disp. 108, n. 8,* « saepe inquit, oculi et manus (explorantium) falluntur : eo vel maxime quod feminae multis fraudibus utantur, quibus virgines apparent » ; item Zacchias *quaest, medie legal, lib. 3, tit. 2, quaest. 6, n. 1.*

Eapropter urget Orator, medici cognitores ne fallantur uti solent remediis, inter quae balneum praesertim tepentis aquae. Ita Sánchez *De matrim, lib, 7, disput. 113, n. 11:* (ibi) « Hinc deducitur sanum consilium esse, ut iudex disstricte praecipiat matronis, ut antequam feminam inspiciant, quo de eius virginitate deponant, faciant, ipsis praesentibus, eam in balneo aquae competenter calidae lavari, et tanto tempore moram in eo trahere, quantum necessarium fuerit, ut si forte glutino apposito verenda mulieris compressa sint atque coarctata, ut virgo appareat, id liquefieri possit. Quia in valore matrimonii investigando quaecumque probationes possibiles adhibendae sunt, et potius debent esse superfluae quam diminutae, ut probavi *disput. 107 n. 1 ».*

Omnia vero adiuncta praesenti in inquisitione eo diligentius rimanda erant, iuxta Oratorem, quia praeterquam quod res est de femina vaferrima omnium, exploratio contigit tredecim ab bymenaeo praeterlapsis annis : et compertissimum est lapsu temporis facile violatae virginitatis argumenta evanescere, prouti testatur Zacchias.

Nihilo secius, videtur Defensori ex specimine in Dolorosae corpore, etsi negligentissime facto, haud levia erumpere tum fraudis a Dolorosa ad simulandam virginitatem adhibitae, tum amissae virginitatis argumenta uti colligi potest ex relatione peritorum, in casu adductorum.

Quocirca concludit Defensor, suspicandam esse simula-

tam virginitatem, quia teste Zacchia, feminae nonnullis lotionibns adstringentibus, aliisque aptis medicamentis adhibitis, muliebria adeo adstricta et angusta reddunt, ut non modo naturalem cohaerentiam ante violatam virginitatem adaequent, sed etiam longe exuperent.

Quapropter supervacaneum existimat Defensor de causis ad dispensandum necessariis verba facere ; sive quia otiosum prorsus est de dispensandi causis agere, cum ipsa matrimonii inconsummatio anceps sit, sive quia causae omnes, allatae innituntur fidei testium, qui ita excussi sunt, ut, eorum dicta nullo prorsus in pretio haberi queant.

Quibus adductis, propositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato, in casu.

RESOLUTIO. Sacra O. C. re disceptata sub die 2 Maii 1896 censuit respondere: *Praevia sanatione actorum, ob pecidiaria in casu occurrentia,, affirmative et scribatur Episcopo ad mentem.*

BRUNDUSINA

PRAEEMINENTIAE

Die 25 Iulii 1896.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. In Cathedrali Brundusina *anno 1818* statutus fuit ad viginti septem numerus *canonicorum* et ad duodecim numerus *Benefciatorum* in dicta ecclesia inserviendum ; nec non duplex constituta fuit clos communis seu *massa,* altera vulgo dicta *magna [grossa)* altera *parva (piccola).* Massae magnae participant praebendati *iure beneficii,* parvae vero *iure servitii,* iuxta mentem Concilii Tridentini.

Ob eversi vas leges a civili gubernio editas *anno 1866, canonicorum* numerus una simul cum dignitatibus ad duodecim; *beneficiatomm* vero ad sex redactus fuit. Hinc factum est, ut canonici supra hunc numerum postea electi ad tramitem Decretorum S. C. C. editorum *anno 1876* frui non potuerint redditibus *massae magnae,* sed tantummodo perceperint *iure servitii* ex parva massa quasdam distributiones. Hac ratione adlectus fuit sac. Lopez, qui per litteras D. Aquilar Brundusini Archiepiscopi *die decima Septembris anni 1884* ad Canonicatum evectus fuit, huiusque beneficii obtenta possessione atque emissa fidei professione iuramento et a ceteris canonicis data ei voce activa et passiva, receptus fuit uti frater in gremio Capituli. Insuper omnia onera, aeque ac ceteris canonicis, ei imposita fuerunt honoresque concessi. Item quoad locum in choro et praecedentiam in sacris functionibus omnia pacifice processerunt usque ad annum 1894, quo can. Lopez novae Bullae concessae fuerunt ut a Gubernio civili per *R. Placitum,* uti vocant, admitteretur in numerum 12 canonicorum eique congrui tribuerentur redditus. - Exinde discordiae de quibus modo quaeritur, originem habuerunt. - Siquidem anno 1891 sacerdos Fornaro per Bullas Apostolicas, quibus accessit *Regium exequátur,* obtinuit praebendam Canonici Theologi, unam ex illis in dicta Cathedrali Ecclesia adhuc a gubernio usurpatore servatam. Per biennium dictus Fornaro, quamvis alios canonicos supra duodenarium numerum electos, neve in choro, neve in processionibus antecederet quoad *praecedentiam* quaestionem non movit: quam excitavit postquam Lopez assecutus est anno 1894, prouti dictum fuit, ut in numero *12* canonicorum recenseretur ; hanc obiiciens rationem, nempe se praebendam obtinuisse anno 1891, Lopez vero tantum anno 1893, quando nempe, habito regio Placito, praebendam vere Canonicalem obtinuit, quum antea tantum *iure servitii* et ex benigna Capituli concessione quosdam redditus perceperit ex *parva massa.* - Haec quaestio antea delata fuit ad Capitulum Cathedrale, quod *die 5 Maii 1894* cano-

nici Fornaro precibus annuit. Restitit huic decisioni can. Lopez recurrens ad Curiam Brundusinam, sed Canonicus Theologus timens ne sua iura spreta fuissent, et quia res, ut ipse ait, nimis in longum protrahebatur, recursum habuit ad S. C. C. quae tamen perpensis rationibus hinc inde allatis respondere putavit *die 15 Iunii, anni mox elapsi « Lectum ad instantiam* » canonici Fornaro.

Nihilo secius quaestio haud composita fuit, quippe Canonicus Lopez timens ne ulterius dubium proponeretur et aliter resolveretur, renuit exequi Bullas iam impetratas et *Regio Placito* munitas, ea maxime de causa quia novae praebendae sibi attributae uniebatur *officium Poenitentiariae,* quo assumpto munere, reapse videri poterat, novum beneficium canonicale concessum fuisse et hinc computandum non esse tempus ab admissione in capitulum, *anno 1884.* - Episcopus percontatus an Officium Poenitentiariae propriam et distinctam constituat praebendam, ab aliis omnino seiunctam, reposuit, antiquitus revera *Poenitentiariam* fuisse distinctum beneficium habens redditus proprios, praeter massam communem, aut ab initio huius saeculi hoc beneficium defecisse, et iam ab anno 1821 indiscriminatim Poenitentiarii munus uni vel alteri canonico magis idoneo attributum fuisse ; proindeque unionem huius officii cum certa praebenda non *de iure,* sed *de facto* tantum consistere, nempe *accidentaliter,* non ex fundatione. Verum hisce noviter deductis congrue pensatis, S. C. C. arbitrata est non esse recedendum a decisis: quare sub *die 24 Augusti 1894* rescriptum fuit « *In Decretis* ».

Nihilo secius Can. Fornaro novis litteris instare prosecutus est, ut denuo in examen res revocaretur, hisce propositis quaestionibus :

1. Cuinam ius praecedentiae competat, Canonico Lopez an Fornaro proindeque ius succedendi in Decania vacanti quae spectat antiquiori Canonico.

2. An Canonicus Lopez per bullas anno 1894 factus sit *Neo- Can onicus.*

3. Tandem an non iterata possessione et professione fidei Canonicus Lopez faciat fructus suos.

Archiepiscopus vero efflagitat ut S. C. C. declaret :

I. Quod Revmus Canonicus Lopez, etiam Poenitentiariae officio acceptato, sive secumferat translationem sive minus tituli beneficialis maneat in sua praecedentia :

II. Quod dispensetur ab alteris Bullis obtinendis, quamvis priores ob nimium praeterlapsum tempus non amplius forsan in suo robore sint. Siquidem dictus Canonicus Lopez bis centum libellarum summam persolvent, nullum tamen habens pro tali onficio peculiare emolumentum.

Disceptatio Synoptica

Tota vis argumentationis Canonici Theologi innititur facto recognitionis a Gubernio Civili concessae per *Regium Placet.* Nam etiam in libello typis evulgato ipse ait, quum institutio civilis una cum Ecclesiastica collatione mihi concessa fuerit *anno 1891,* Canonico vero Lopez tantum *anno 1894,* ergo antiquior ego sum et praecedentiae iure equidem polleo. - Ad rem citat nonnulla decreta S. C. Rituum, quibus statuitur, amitti ius praecedentiae, si dimisso beneficio, antea obtento, quis novum assequatur beneficium. Quare arguit, Can. Lopez quippe canonicali praebenda auctum anno 1894, non posse computare tempus ab anno 1884, quando non *iure beneficii,* sed *iure servitii* quosdam redditus capitulares percipere coepit. Unde concludit novam possessionem iterumque fidei professionem et iuramentum exquiri pro nuper obtenta praebenda canonicali.

E contra Canonicus Lopez asserit, canonicos non facere *Regium Placitum* vel *Exequatur,* sed legitimas canonicas institutiones, iuridicae executioni demandatas. Ab illis non ab istis desumenda est antiquitas in canonicatu. Quod si ipse novis indiguit Bullis, fuit tantum ad redimendam iniustam gubernii civilis vexationem, nempe ad reditus canonicatus obtinendos, quos secus non consequeretur.

Praeterea, ipse ait, non ex mera liberalitate capituli ab anno 1884 quosdam habuisse redditus canonicales, sed vi canonicae institutionis in praebendam, quam a competente auctoritate Ecclesiastica recepit, quamque collationem Capitulum probavit ; unde sibi invocare valet quod a Capitularibus statutis decernitur in titulo « *Dei Beneficiati* » scilicet: « Di conseguenza la precedenza viene regolata, non secondo l'anzianità dell'ordine, ma secondo l'anzianità della loro ammissione e possesso alla loro porzione e participazione capitolare ».

Neque deest argumentum praxis vigentis, vi cuius tres viri Capitulares supra duodenarium numerum in Capitulum cooptati, praecedentiam, non respectu ad Bullas a civili auctoritate recognitas obtinuerunt, sed respectu ad institutionem canonicam, et ita uti seniores habiti, dignitates in Capitulo consecuti sunt.

Quae praxis viget etiam quoad emissionem fidei et iuramentum praestandum, quae non iterantur quando quis antea in Capitulum admissus, postea numerum praebendarum a Gubernio Civili servatarum ingreditur. Et hoc iure meritoque; siquidem in dicta Cathedrali non habentur canonicatus distincti, praeter *quatuor dignitates* et *praebendam Theologalem.* Ceteri namque canonicatus, neque vi fructuum praebendalium, neque vi tituli, neque nominis utpote alicuius sancti, aut pii fundatoris, sed *numero* distinguuntur et a possessore solent denominari; quippe in aequalem mensuram massae communi et oneribus participant. De hac constitutione praebendarum canonicalium amplissime Episcopus testatus est referens, omnes pertinere ad ordinem presbyteralem. Ergo in casu non esse applicandum videtur decretum a S. Rit. C. *sub die 18 Augusti anni 1792* editum, quo sancivit: « *Canonicus dimittens canonicatum, ut alium in eadem Ecclesia obtineat, priorem amittit praecedentiam, ultimoque sedere debet in loco* ».

Postulata vero Episcopi quod spectat, res nonnullum facessit negotium si admittatur officium Poenitentiariae,

distinctam non secumferre praebendam, sed expleri, modo, indiscriminatim ab uno vel ab altero canonico, nullo percepto peculiari emolumento. Inquam « *modo* » etenim iam relatum fuit, olim Poenitentiariam constituisse praebendam ab aliis seiunctam, sed hanc pessum abiisse iam ab initio labentis saeculi.

Quamobrem Canonicus Lopez, retinere valet praebendam iam obtentam anno 1884, sibique assumere munus Poenitentiarii lucrando reditus massae communis, a quibus iniuste hactenus per usurpationem Gubernii civilis prohibitus fuit. Unde exulat quaecumque necessitas novas Bullas impetrandi; quum iam obtentae suum sortitae sint effectum ad vexationem redimendam auctoritatis civilis, non alio pacto admittentis ad certos redditus canonicales obtinendos.

A Iure communi vero non est alienum, aliquem in canonica praebenda institutum, ius aliquando habere, progressu temporis, ut alios locupletiores assequatur fructus quin mutet titulum beneficii vel aliam obtineat praebendam ; patet *eas cap. 9 De Const.; cap. 25 De Praebendis et Dignitatibus,* et praecipue *cap. ult. De concess. praeb, in 6,* quibus huic similis continetur facti species ; prouti passim commentantur Canonistae.

Quam ob rem, cardo quaestionis haec est, nempe an sac. Lopez reapse Canonicus habendus sit et hactenus perseveret vi praebendae obtentae anno 1884, quam prosequetur retinere explens Poenitentiarii officium.

Quibus animadversis quaesitum fuit quid esset quaestioni respondendum.

RESOLUTIO Sacra C. C. re disceptato sub die 25 Iulii 1896 censuit respondere : *iuxta votum Archiepiscopi, favore Canonici Lopez, praevio tamen examine, ut Officium l^oenitentiariae consequi valeat.*

PHAREN.

IURIUM

Die 13 Iunii et 25 Iulii 1896

Sess. 25 cap. 12 De reform.

COMPENDIUM FACTI . In dioecesi Pharensi in Dalmatia, ab anno 1886, quaestio inter parochum Cosimum .Scarpa et municipium Civitatisveteris vulgo *Stangarci,* exardet circa celebrationem missae solemnis in die commemorationis Omnium fidelium defunctorum, canendae in ecclesia coemeteriali, nec non circa administrationem nonnullarum eleemosynarum in apposita capsula eiusdem oratorii collectarum. En praesentis contestatae litis ratio, cuius originem sequentia explicant facti adiuncta.

Anno 1838, ad quem usque defuncti in coemeterio, parochiali ecclesiae continenti, sepeliebantur, auctoritas municipalis Civitatisveteris, decretis imperialibus obtemperandi gratia, quae fideles in ecclesiis inhumari vetabant, in fundo liberaliter oblato, opera et sumptibus privatorum civium nec non propriis expensis, commune coemeterium extruere curavit.

Quippe hoc sepulturae fidelium catholicorum inservire debebat, municipium civium votis obsecundans, idem sacello ornare et veluti perficere statuit ; quod oblationibus collatis et redditibus ex coemeterii usu municipio obvenientibus in id erogatis excitatum fuit. Sub anno 1876 cultui publico oratorium dicatum fuit sub titulo Beatae Mariae Virginis Moerentissimae, idemque Oratorium cultui provehendo, processu temporis, altari in perpetuum *privilegiato* et indulgentia plenaria bis in anno a fidelibus lucranda, auctum fuit.

Quolibet vero anno, die commemorationis omnium defunctorum iusta funebria solemniter persolvebantur vel a parocho ipso vel ab alio, ab eo delegato, cui a municipio exsolvebantur expensae ; stype detracta e capsula in ecclesia exposita. Res ita se habuit usque ad adventum hodierni parochi.

Tunc moveri coepit quaestio de iure celebrandi huiusmodi funus, nimirum an parochus veluti municipii mandatarios et delegatus censendus esset, cui proinde stipendium, quasi vi mandati exsolvebatur a municipio ; vel potius dicendum esset, funus agi a parocho, iure sui officii, municipium autem, qua administratorem, auctoritate ecclesiastica delegatum pro oblationibus a fidelibus in oratorio collectis, tribuere, ratione funeris, congruum stipendium. — Exinde parochus funus quotannis celebrare perseveravit exigens a municipio suetam eleemosynam, ab hoc denegatam, contendente, se nihil parocho debere quem ad funus non invitaverat. — Quamobrem parochus municipium apud iudicem laicum rapuit, ut sibi suetum stipendium exsolveret, at deinceps, forsitan spe deiectus obtinendi suam intentionem ad curiam ecclesiasticam, tum suo viduatam Episcopo, recursum habuit, et decretum edi impetravit quo interdicebatur omnibus presbyteris missam celebrare in coemeterii ecclesia nisi obtenta, *toties quoties,* parochi licentia.

Contra hoc decretum recursum porrexerunt sacerdotes Civitatisveteris, cui benigne annuit Episcopus, nunc Pharensem ecclesiam regens, qui tamen sub die 7 *Decemb. 1893* novum decretum edidit in quo, rem nostram quod attinet, haec habentur :

1. Ut parochus decanus valeat sive per se, sive per substitutum quotannis celebrare Missam solemnem in Cappella huius coemeterii ; dum ius eiusmodi recognitum fuit a Municipio ipso.

2. Ut liceat tum Municipio, tum fidelium cuilibet appellare sacerdotem, qui eorumdem favore Missam applicet, sed post Missam solemnem decani parochi.

Tandem animadversum fuit, si licet Municipio ^eligere sacerdotem qui Missam celebret, nequit tamen eleemosynam respectivam sumere ex capsa in qua colliguntur eleemosynae a fidelibus collatae, et quarum administratio soli competit parocho ; quia parva Coemeterii Ecclesia proprio caret rectore. Id firmari videtur a S. C. C: « Eleemosynae et ob-

lationes in oratorio publico colligi solitae, debentur capellano eius ; ita tamen ut ratio reddatur Episcopo et convertantur in usum et cultum divinum ipsius cum Episcopi approbatione ». — *Auscul. 23 August. 1733.*

Tunc municipium putans ex hoc decreto suis iuribus praeiudicium factum fuisse, conques tum est per oblatum memoriale Apostolico Nuntio in Austria Hungaria, qui videns in cassum cedere omnia consilia ad concordiam obtinendam inita, rem totam per tramitem Pontificiae Secretariae Status ad S. C. Congregationem cognoscendam transmisit. Quapropter proposita fuit quaestio sub hac dubitandi formula : 1. *An sustineatur Episcopale decretum quoad utramque partem in casu.* Et 2. *Quatenus affirmative quomodo intelligi debeat locutio* ad ora conveniente *in casu.*

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO PAROCHI. Parochus Civitatisveteris negat exemptionem dictae ecclesiae coemeterii a parochiali iurisdictione ; nam, ipse ait, etiamsi auctoritati municipali vere ius constet patronatus, tamen ei non competeret ius sacras functiones moderandi in dicta ecclesia, quum iura et officia patroni tantum sit iuxta illud tritum : *Patrono debetur honor, onus utilitasque, praesentet, praesit, defendat, alatur egenus, vt* non amplius.

Sed ille prosequitur, contendens, nullimode oratorium esse iuris patronatus. Siquidem hoc ius grati animi ergo a sacris canonibus introductum fuit pro fidelibus, qui de ecclesia suis donationibus optime fuissent meriti. Sed liberalitas nulla est quando quis suo proprio muneri, uti in casu, satis facit ; re enim vera, auctoritas municipalis coemeterium erigens nihil aliud gessit quam edictis imperialibus saepe saepius promulgatis obtemperare. Quare ei ullimode competit hoc ius ; nam « Patronum faciunt *dos, aedificatio, fundus » ;* quae requisita, iuxta parochum, non concurrunt neque ob ecclesiam in coemeterio aedificatam. Non habetur *dos,* quia

haec coemeterialis ecclesia per fidelium oblationes suis sumptibus consulit; non *aedificatio,* quia expensis et laboribus civium fuit aedificata; non *fundus,* quia a munificentia alicuius peculiaris familiae donatus. Municipium autem quidquid impendit aut in dies adhuc exsolvit, retrahit ex reditibus coemeterii ipsius, cuius usus civibus, non una ratione gratuitus non est. Ergo concludit parochus Scarpa auctoritati municipali nullum ius patronatus competere super ecclesiam coemeterii, eo magis quum dictum coemeterium sit exclusive *catholicum* et hinc *accessorium* ecclesiae parochialis ecclesiae. Re quidem vera coemeterium, iuxta canones, habendum est veluti necessario adnexum ecclesiae parochiali eiusque pertinentiam, adeo ut S. C. C. non semel edixerit in coemeteriis communibus, hodierno more, ab ecclesia seiunctis transferri pmnia iura a canonibus tributa singulis parochis in sua coemeteria et *iuridice* non censeri ab ecclesia seiuncta.

In themate vero applicatio huius principii parocho iam videtur rata et certa ob consuetudinem usque ad annum 1886 non interruptam, quare parochus in dicta ecclesia pacifice sua iura exercere valuit, municipio consentiente.

Neque ullum facessunt negotium decisiones SS. CC. allatae praecipue vi decreti *Urbis et Orbis anni 1703* quo confraternitatum iura determinantur et adversus parochos definiuntur ; quia modo agitur de ecclesia quocumque rectore destituta, quae proinde necessario, etiam hoc nomine, subest parochiali iurisdictioni (1).

Dein descendens ad alteram decreti partem, advertit quod administratio bonorum ecclesiasticorum, tametsi in meris eleemosynis consistant, sive iure consuetudinario, sive iure scripto locali, sive iure civili imperii Austri-Hungarici, pertinet ad parochum vel ad rectorem ecclesiarum, in quarum administrationem consilium fabricae ipsius parochialis ecclesiae nullam auctoritatem habet. Revera in statutis dioece-

(1) Decretum ***Urbis et Orbis anni 1703*** **habes Vol. I, 591 et Vol. XXII, 474 in nota.**

sanis sub cap. *De administratione ecclesiarum et oratoriorum,* articulo XXX legis concordatae pro imperio Austro-Hungarico innixis, bona ecclesiae seu oratorii ita definiuntur: « Il complesso dei beni destinati al mantenimento del luogo sacro e dell'esercizio del culto divino » et in cap. IV haec leguntur: « Il parroco o il cappellano della chiesa amministra immediatamente le facoltà delle singole chiese in unione a tre comunisti ».

Hisce dispositionibus consonant, instat parochus, etiam Decreta legis civilis circa administrationem bonorum ecclesiasticorum, quo nomine veniunt quaecumque eleemosynae etiam exigui valoris, quia tenuitas quantitatis neque mutat, neque immutare potest illius naturam et indolem.

Unde, observat parochus, ut municipium suam intentionem sustentaret et aliquo iure fulciret, debuit naturam illarum eleemosynarum immutare et quod mere religiosum erat civile dicere. Sed hoc falsum est, ipse subiungit, quia loci et temporis adiuncta, quibus eleemosynae colliguntur tribuunt eisdem naturam et intentionem oblationum ecclesiasticarum. Postremo vero reponit, quod si Episcopus indulsit, administrationem illarum eleemosynarum haberi penes auctoritatem comunalem usquedum ipsa iis legitime utebatur, nihil vetat quominus auctoritas ipsa sibi revocet hoc ius, quum sit manifestum, administratores abuti privilegio illis ex benevolentia concesso.

Denique quoad secundum dubium, ait, nullo argumento fulciri propositam quaestionem. Nam statuere qualis sit *hora conveniens* pro aliqua functione ad auctoritatem civilem non pertinere, sed ad ecclesiasticam, eo vel magis quum ex receptis moribus statuta iam sit, nimirum, ut in casu nostro, *hora octava,* quam consuetudinem apud Christifideles firmam et ratam ne parochus quidem, pro suo arbitrio, immutare potest.

Episcopus vero in suis litteris commendationis vehementer instat ut repellatur a S. C. C. instantia municipii, quippe nullo iure innixa, sed ob aemulationes iam in paro-

churu excitatas promota: rationum momenta a parocho allata rata habet et roborat, explicando agendi rationem Municipii usque ad annum 1886.

Circa horam, funeris celebrationi congruam, notat Episcopus, hanc ita determinandam esse, ut parochiale funus, celebratum in ecclesia parochialis coemeterii, antecedat sacrum ab aliis sacerdotibus faciendum, ad tramites decreti *Urbis et Orbis 1703 ad quaestionem decimam nonam,* vi cuius etiam in oratoriis a parocho non dependentibus missa in diebus festis celebrari non potest ante missam parochialem. Notat vero, diem solemnem commemorationis omnium defunctorum habendum esse vere festivum, quamvis « *sine feriatione in foro* ».

DEFENSIO MUNICIPII. Ex adverso, municipii patronus in primis notat, in themate quaestionem esse de functionibus non parochialibus, quibus adnumerari debet celebratio funeris in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, in celebratione missae solemnis de requie, cum rituali absolutione consistentis ; quae functiones utpote exercitium iurisdictionis non praeseferentes, indifferenter ab omnibus sacerdotibus celebrari possunt. Praeterea instat, hic agi de functionibus non parochialibus extra ecclesiam parochialem celebrandis; et quidem in ecclesia seiuncta ab ecclesia parochiali, bonis laicalibus constructa, cui iura patronalia ab ipsa constructione sunt inhaerentia, sacris canonibus inviolabilia declarata.

In iure siquidem compertum est, ait Orator, patronatum quod est ius fundatori alicuius ecclesiae in ea competens, sacris canonibus virtute gratitudinis introductum, per aedificationem, dotationem vel fundationem ecclesiae adquirendum, iuxta illud glossae carmen « *Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus* » fundatori summo iure competere, ipsoque iure adquiri per factum constructionis ecclesiae, quamvis nulla sit expressa reservatio. Quod docet Pontifex Clemens III in cap. *Nobis 25 tit. de iur. p.* decernens: « quod si aliquis ecclesiam cum consensu dioecesani Episcopi con-

struxerit ex eo ius patronatus adquirit ». Quo deducit procurator, cum constet quemdam fundasse ecclesiam, sive persona physica sit, sive moralis, satis probatur eum esse illius patronum.

Iamvero, instat Orator, *in facto* quod communitas propriis reditibus aediculam vel ecclesiam, novo coemeterio coniunctam construxerit, nemo infìciari contendit. Auctoritas vero municipalis coemeterium construendo, ab Ecclesiae constructione abstinere poterat, advertit patronus, et cum religio communitatis sit catholica, votum populi interpretata, coemeterium complere voluit per adiunctam ecclesiam ob functiones cultus catholici, consentiente et plaudente dioecesano Episcopo.

Proinde deducit orator, Episcopale decretum tribuisse parocho quod communitati tamquam laico patrono abstulerat. Nam parocho ius vindicavit celebrandi funus in commemoratione omnium fidelium defunctorum in ecclesia patronali seiuncta ab ecclesia parochiali, et patrono ius denegavit peragendi functiones non parochiales in propria ecclesia. Idcirco iuxta patronum dubium an sustineatur Episcopale decretum in casu versari circa quaestionem centies exagitatam, an oratorium publicum seu ecclesia fundata intra limites paroeciae, praesertim si patronalis, dependentiam et subiectionem habeat ab ecclesia parochiali in functionibus, quae ad pietatem fidelium excitandam diriguntur.

Cui quaestioni negativam responsionem, ait procurator, certam esse ex *cap. fin. de off. archid,* quo taxative praescriptum legitur: « Ecclesias positas intra limites paroeciae ipsi nequaquam subesse ne forte de iuribus parochialibus agatur ». Cui concinit constans doctorum opinio unanimiter firmantium, quaslibet ecclesias etsi sitas intra fines ecclesiae parochialis, in functionibus non mere parochialibus a parocho omnino independentes esse, quia eidem nullatenus subiectas. Card. De Luca *(Depar. disc. 31 n. 4)* docet : « Atque non agebatur de iuribus seu functionibus mere parochialibus sed solemnitatibus ad devotionem et ecclesiae maiorem cui-

tum ac incitamentum ad opera pietatis in quibus actibus, utpote ex voluntate seu devotione, atque super parochialibus non concernentibus vel usurpantibus, quoties a rituali non aberratur etc. non potest ipse impedire vel se ingerere invitis partibus. Ecclesiae siquidem intra alicuius parochiae limites, non dicuntur ipsius parochiae subditae, neque ab ea aliquam habent dependentiam, nisi ex lege fundationis aut legitimae consuetudinis seu alias specialiter probet ».

Rem conficere opinatur orator, decretum Urbis et Orbis, anno 1703 in quo *ad quartum- « An confraternitates erectae in oratoriis, tum publicis, tum, privatis, seiunctis ab ecclesiis parochialibus, quod dictas functiones ecclesiasticas habeant dictam dependentiam a parocho?* » Responsum fuit *Negative.* — Apud S. C. C. *in Reatina 12 Ian. 1844* qua quaestiones ponebantur, I°. *An liceat capellano novenas, triduos, et alias functiones etc. independenter a parocho?* II°. *An liceat eidem capellano missas solemniter celebrare independenter a parocho in casu ?* Responsum fuit : Ad I[um] et II[um] *Affirmative in omnibus.*

Ratio legis iuxta patronum ex eo patet quia nulla ecclesia, citra cathedralem, fundat intentionem suam super subiectione alterius ecclesiae, etiamsi fundata inter limites suae paroeciae, adeo ut, exceptis iuribus parochialibus, alia iura non competant parocho in ecclesia, intra limites suae parochiae fundata.

Quodsi, urget orator, funus in commemoratione omnium fidelium defunctorum inter functiones parochiales adnumerari velit, non inde sequitur posse parochum functiones parochiales peragere in ecclesia patronali, quae si fiunt a parocho, faciendae sunt ab ipso in propria ecclesia, quia parochus, invitis patronis, in eorum ecclesia iurisdictionem non valet exercere. Hoc definitum fuit in decretis supradictis a S. Congregatione Rituum, ubi ad 17 dubium in quo quaeritur : *« An parochus, invitis confratribus, docere possit doctrinam christianam in dictis ecclesiis et oratoriis publicis vel privatis, a parochiali divisis et separatis? »* responsum fuit *Negative.*

Neque adversantur, notat procurator, text. in cap. *Dilectus de cap. monac.* decisio S. Rotae *214 par. 12 rec.* aliaeque resolutiones allegatae a Pignatelli *Cons. 6, tom. 5,* quia distinguendum est inter ecclesias seu oratoria subiecta ecclesiae parochiali, eo quod sint fundata, constructa vel dotata ex eius bonis et reditibus, aut ei unita ; et inter ecclesias seu oratoria seiuncta et nullatenus subiecta ecclesiae parochiali, eo quod sint fundata constructa et dotata de bonis propriis laicorum, prout est in casu. Resolutiones illae intelligendae sunt quoad ecclesias fundatas de bonis propriis laicorum; ibi enim non potest parochus functiones non parochiales exercere, quarum exercitium spectat ad rectores dictarum ecclesiarum.

Et sub isto respectu, iuxta oratorem, intelligenda est auctoritas ad iustificationem controversi decreti ab Episcopo Pharensi deducta in officiali informatione diei 24 Maii 1895 Berengo *Enchiridion parochorum* « nulla cuiuscumque generis sacra functio nisi a parocho in ecclesia parochiali aut in ecclesiis vel oratoriis ab ea dependentibus fieri potest, quatenus omnes omnino functiones per se parocho in dictis ecclesiis vel oratoriis competant ».

Deinde ad trutinam revocans patronus rationes ipsas in decreto allatas ; quia hoc decrevisse cavet Episcopus ; « onde con altro procedere non si allontanino 'i devoti fedeli dall' essere presenti alla stessa, » notat neque Episcopum, neque parochum obligare posse fideles, ut intersint functionibus non mere parochialibus, eo magis quod eodem die parochus solet celebrare aliud funus solemne in ecclesia parochiali cui opportune fideles interesse possunt.

Quia Episcopi decretum prohibet missas celebrari privatas ante celebrationem funeris parochi, notat patronus posse Episcopum decreto synodali statuere, ut diebus festis de praecepto missae celebrari non debeant in oratoriis et ecclesiis ruralibus, nisi celebrata missa in ecclesia parochiali, ut declaravit S. C. C. in *S. Agathae Cothorum 25 Maii 1652,* et in *Camerinen. 30 Augusti 1704,* ita tamen si missa pa-

rochialis hora opportuna celebretur, at hoc non tenere in casu. Non enim agitur de die festivo de praecepto, quibus fideles obligantur ad audiendum sacrum.

Quia Episcopus in epistola ad S. C. O. *diei 25 Maii 1895,* protestatus est, per decretum noluisse nova iura favore parochi constituere, et documentum porrexit, attestationem scilicet Bertoldi Illisé quondam oeconomi curati paroeciae Civitatisveteris, ad comprobandam possessionem favore parochi celebrandi funus in ecclesia coemeterii absque dependentia auctoritatis municipalis, notat patronus frustra favore parochi insinuari praescriptionem, quum exploratissimum sit « actus non necessarii, sed mere facultati vi praescriptionem « non inducunt > et quum tempus decurrens ab anno 1876 ad 1885 brevissimum tempus sit incapax omnino ad aliquam praescriptionem inducendam.

In quod propositum recolit causam *Balneoregien. - Oratorii quoad ss. functiones.* In medio latifundi vulgo d'Agliano publicum extabat oratorium sacrum B. Virgini *delle Grazie,* cum unico altari adnexum hórreo latifundi. Moniales Asceterii *del buon Gesù,* perantiquae latifundii dominae, praedictum oratorium a fundamentis restaurarunt, et pro spirituali populi beneficio diebus festis de praecepto missam in eodem sacello celebrare faciebant. Anno 1809 cum piorum locorum bona a quaestoribus publicarentur, latifundium ipsum in Cardinalis de Simoni dominium transiit, atque ab eius haerede an. 1852 in Equitem Petrum Valentini emptionis-venditionis contractu, in quem omnia iura venditori spectantia translata sunt. Quum piissimus Eques Valentini missam celebrare facere diebus festis, suis expensis voluisset, parochus territorii instabat ius sibi competere canendi missam in praecipua solemnitate, quae in dicto oratorio celebratur feria II Pentec. asserens ipse habere possessionem huiusmodi iuris ab an. 1800 id est per annos 64. Quae causa proposita die 28 Maii 1874 sub dubiis « I. *An liceat Equiti celebrare facere missas solemnes, aliasque functiones non parochiales praesertim feria II Pentecostes in publico oratorio per capellanum*

aliosque presbyteros independenter a parocho in casu. II. *An et quomodo eidem Equiti retinere liceat claves oratorii in casu* » responsum fuit a S. C. C. — Ad I^{um}. *Affirmative ad formam decreti urbis et Orbis S. C. Rituum diei IO Decembris 1703* - Ad II^{um}. *Affirmative.*

Quoad aliam decreti partem, qua Episcopus praefato decreto ius parocho tribuit administrandi oblationes fidelium in eadem ecclesia coemeterii, tempore sacrarum functionum collectas solitas, praesidium invocando ex dispositione c. XXX legum Concordatus et resolutione S. C. C. in *Ascul. 23 Augusti 1733,* patronus refert ea quae ipsum municipium advertebat in libello dato ad nuntium apostolicum, nempe: criterium, quo utitur auctoritas dioecesana aptari non posse pecuniae collectae in capsa coemeterii, quia circa eandem pecuniam applicari nequeunt dispositiones Concordatus articuli XXX, neque allegata resolutio Asculanae 23 Augusti 1733. Agitur enim de tenui florenorum vi, a fidelibus collata, ut una cum municipio decus coemeterii servetur. Ideo colligi nequit quomodo aptari possit huic parvae pecuniae summae *Art. XXX Concordatus* in quo dicitur *Bonorum ecclesiasticorum administratio apud eos erit, ad quos secundum canones spectat.* Neque dicatur, thesi episcopali favere decisionem in Asculana 23 Augusti 1733. Cui offensioni respondetur a patrono verbis ci. Santi. *Praelcct. lib. III, tit. XXX, n. 23.* — « Si quaeratur cuinam cedant oblationes, dicendum est de iure communi oblationes quae fiunt intra limites paroeciae, sive in ecclesia Parochiali, sive in oratorio privato, vel alicui imagini, pertinere ad parochum loci. Ipse enim habet fundatam intentionem in iure. Ita communiter doctores. At hac in re notanda sunt. I°. Principium superius allatum locum habuisse in tota sua extensione cum vigebat usus decimarum. Hodie autem praesertim locorum consuetudines sunt attendendae, quibus consuetudinibus inductum est, ut oblationes oratoriis vel locis piis factae administrentur ab illis, quibus commissa est loci cura sub Episcopi auctoritate, vel saltem vigilantia. Qua in re

prae oculis haberi debet decretum urbis et orbis S. C. R. 1703 edit. circa iura parochialia et praeeminentias inter parochos et confraternitates laicorum, eorumque capellanos. In dubio 23 decreti, cum quaereretur an possit parochus se ingerere in administratione oblationum et eleemosynarum, in saepe dictis ecclesiis collectarum vel capsulae pro illis excipiendis expositae clavem retinere, responsum est *negative.* 2°. Praecipua attendenda est intentio fidelium offerentium ».

Favore municipii vero viguisse consuetudinem, comprobare nititur patronus ex illis verbis decreti « non avendo la chiesuola di codesto cimitero il proprio cappellano o rettore », unde deducit non pertinere ad parochum has oblationes, quae capellano vel rectori ipsius ecclesiae attribuendae fuissent. Revera constat de voluntate fidelium oblationes tradendi tamquam voluntarium subsidium maiorum expensarum pro convenienti manutentione coemeterii. Et cum agatur de tenuissima summa paucorum florenorum annualium, maiori summae adiicienda pro convenienti manutentione coemeterii annuatim ex reditibus communitatis expendendae, auctoritas municipalis, pollens iure administrandi maiorem summam, habere quoque debet ius administrandi minorem summam, pro eodem fine traditam, accessorium enim naturam principalis sequi debet.

Quare, instat patronus, ab exordio ecclesiae coemeterii usque ad praesens oblationes, istas administravit auctoritas municipalis absque contradictione et administravit potius tamquam oblationes civiles, quam oblationes mere ecclesiasticas. Capsulam expositam tenuit ad colligendas voluntarias oblationes pro convenienti manutentione coemeterii eodem modo quo ubique in ecclesiis colliguntur oblationes fidelium pro solemnitate celebranda alicuius festivitatis, quae cedunt et administrantur ab his qui curam festivitatis gerunt, absque parochorum dependentia.

Quia vero municipium petiit ab Ordinario ut ecclesiae rector deputetur, cui oblationum administratio pertineat, auctoritas municipalis insistit quod impraeiudicata remaneat

quaestio oblationum : interim ei conservato statu possessionis, ac antea manebat.

Alterum dubium, quod spectat: « *Quomodo intelligi debeat locutio* - ad ora conveniente - *in casu* », notat patronus locutionem « *ad ora conveniente* » nimis amplam esse, ac indeterminatam. Hinc aeque locutio *ad ora conveniente* traduci potest, hora iusta, rationabilis, partibus vicissim concordata : quae dicendi formulae recto tramite ad iurgia et dissentiones ducunt, advertit orator, praesertim, quando ut in casu, quisque ex partibus his verbis ius suum consistere putat. Praescriptio horae congruentis indeterminate sic posita, aeque respicit commoditatem populi et parochi, quare notat orator, potest subaudiri, praescriptio parocho facta celebrandi funus in commemoratione omnium fidelium defunctorum pro commoditate populi, id est hora quam moderatores communitatis determinare maluissent, aut ea contra absolutum arbitrium permissum parocho horam determinandi quam maluerit, etiam meridianam, quare aliis sacerdotibus occasio celebrandi auferretur illa die in ecclesia coemeterii.

Imo, urget patronus, plurima momenta parocho posse suadere celebrationem annualis funeris in ecclesia coemeterii hora meridiana. Constat parochum quotannis in ecclesia parochiali eodem die commemorationis omnium defunctorum aliud solemne funus celebrare ; quare si eidem libeat funus in ecclesia coemeteriali postea celebrare, sequitur funus in ecclesia coemeterii nonnisi hora undecima celebrari posse, et ad horam fere meridianam se extendere. Obstaculum sic factum est, prosequitur procurator, aliis sacerdotibus celebrandi illa die in ecclesia coemeterii, et fidelibus suffragandi animas defunctorum per applicationem missarum in altari privilegiato. Obstaculum demum positum est lucrandi indulgentiam plenariam, illam ecclesiam visitantibus, in horis matutinis sacram sinaxim recipere cupientibus. Quamobrem expostulat demum patronus ut haec hora congrua ab EE. PP. determinetur.

Quibus animadversis proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An sustineatur Episcopale decretumj quoad utramque partem, in casui*

Et quatenus affirmative.

II. *Quomodo intelligi d ebeat loc atio* « ad ora conveniente » *in casui*

RESOLUTIO. Sacra C C . re disceptata, sub die 25 Iulii 1896, censuit respondere: *Ad I. Affirmative et ad mentem. Ad II. Non esse respondendum.*

EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

DUBIUM quoad vinum utendum in s. Sacrificio Missae.

Die 6 Augusti 1896.

Beatissime Pater,

Silverius episcopus titularis Gamacensis, auxiliaris R. P. D. Episcopi Marianensis in Brasilia, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, quae sequuntur humiliter exponit :

In Brasilia difficillimum est verum vinum habere ad S. Missae Sacrificium conficiendum, et fere impossibile illud ab adulterino distinguere, nisi in ipsa eadem regione confectum. Iamvero uva his in locis adeo debilis et aquosa est ut, ad tolerabile vinum habendum, aliquid sacchari e planta, quam vulgo *canna de assugar* appellamus, musto admiscere debeat : et hoc quidem modo fabricatum quoque est vinum, quo Sacerdotes in S. Missae sacrificio passim utuntur. Nunc vero, cognita responsione Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis feria V, loco IV, die 25 Iunii 1891 lata, dubitationes et conscientiae anxietates ortae sunt. Quapropter humilis Orator instantissime supplicat, ut Sanctitas Tua benigne declarare dignetur, utrum sic confectum vinum pro S. Missae Sacrificio tuto adhiberi valeat necne.

Feria IV, die 5 Augusti 1896.

In Congregatione Generali Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis, proposita suprascripta instantia, praehabitoque Rmorum DD. Consultorum voto, Emi ac Rmi Domini Cardinales Inquisitores Generales respondendum decreverunt: *Loco saeehari extraeti e canna smeeharina, vulgo canna de assugar, addendus potius esse spiritus alcool, dummodo ex genimine vitis extractus fuerit, et cuius quantitas, addita eum ea quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, haud excedat proportionem duodecim pro centum; huiusmodi vero admixtio fiat quando fermentano tumultuosa, ut aiunt, defercescere inceperit.*

Sequenti vero feria VI, die 7 dicti mensis, Sanctissimus Dominus Noster Leo Divinae Providentiae PP. XIII in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, relatam sibi Emorum Patrum resolutionem benigne approbare dignatus est

IOSEPHUS MANCINI
S. Rom. et Univ. Inquisitionis *Notarius.*

DUBIA circa vinum utendum in s. Sacrifìcio Missae.

Die 6 Augusti 1896.

Beatissime Pater,

Archiepiscopus Tarraconensis in Hispania, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus humiliter exponit, Tarraconensem regionem optimis vineis abundare, ex quo fit ut vinorum commercium ad exteras nationes protrahatur, et quamplurimi populi, Americae praesertim, a nostris vinicolis et mercatoribus vinum ad S. Missae Sacrificium conficiendum emere soleant.

At dubium hac super re a R. P. D. Episcopo Massiliensi dudum propositum, et lata a Sancta Romana et Universali Inquisitione Feria IV, die 30 Iulii 1890 relativa responsio vinicolas ipsos et mercatores curis et anxietatibus affecerunt. Vina enim dulcia, quae hac in regione coniiciuntur quaeque magnopere a Sacerdotibus pro Missae celebratione desiderantur, post

primam fermentationem iam duodecim vis alcoolicae gradus exsuperant, ad quos massilensia, nec permissa succi alcoolici additione pertingunt.

Nihilominus ut haec generosa et dulcia vina, licet maiori, qua massilensia, virtute praedita, ad exteras nationes tuto exportan queat, decem et octo vis alcoolicae gradibus polleant oportet; secus enim propter ipsam eorum dulcedinem novis fermentationibus sunt obnoxia, et in maris transmissione, ut plurimum acescunt.

Quam ob rem vinarii nostri mercatores, eosque inter maxime Augustinus Müller, vir de religione catholica optime meritus, gratiam implorant ei similem quae Episcopi Massiliensis supra laudati votis concessa fuit, facultate videlicet roborandi spiritu seu alcool, ex genimine quidem vitis extracto, vina praesertim dulcia, ita ut ea quae naturaliter plus minusve ad quindecim vis alcoolicae gradus pertingunt, ad octodecim increscant. Ita enim eorum impeditur corruptio, quam iteratis fermentationibus subire solent, tutiusque evehi possunt ad exteras nationes quae apto vino carent ad decorose litandum.

Praeterea, ut aiunt, in nonnullis Hispaniae regionibus viget perantiqua consuetudo qua plures Sacerdotes vinum pro S. Missae Sacrificio sibi conficiunt praemissa vel ignea musti evaporatane vel uvarum ad solis radios exsiccatione, qui mos cohonestan videtur declaratione S. Officii die 22 iulii 1706 circa vinum ex acinis uvae passae confectum.

Hisce praehabitis, ad omnem in re tanti momenti dubitationem auferendam, Archiepiscopus Orator humiliter declarari postulat.

I. Utrum praelaudatis vinis, praesertim dulcibus, pro eorumdem conservatione, tantum spiritus seu alcool, ex uva deprompta addi queat, ut ad septemdecim circiter vel octodecim vis alcoolicae gradus increscant : quin cessent exinde esse materia apta pro S. Missae Sacrificio.

II. Utrum licitum sit ad S. Missae Sacrificium conficiendum uti vino ex musto obtento, quod ante fermentationem vinosam per evaporationem igneam condensatum est.

Feria IV, die 6 Augusti 1896.

In Congregatione Generali Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis proposita suprascripta instantia, praehabitoque Re-

verendissimorum DD. Consultorum voto, Eifii et Rmi Domini Cardinales Inquisitores Generales respondendum decreverunt:

Ad I. *Attentis noviter deductis, dummodo in casu proposito spiritus extractus fuerit ex genimine vitis, et quantitas aleooliea adiungenda, una eum ea, quam vinum de quo agitur, naturaliter continet, non excedat proportionem septendecim vel octodecim pro centum, et admixtio fiat quando fermentatio tumultuosa, ut aiunt, deferveêcere ineeperit ; nihil obstare quominus idem vinum in Missae Sacrificio adhibeatur.*

Ad II. *Licere; dummodo decoctio huiusmodi fermentationem alcoolieam haud excludat, ipsaque fermentatio naturaliter obtineri possit, et de facto obtineatur.* Sequenti vero feria VI, die 7 dicti mensis, Sanctissimus Dominus Noster Leo Divina Providentia PP. XIII in solita Audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, relatas sibi Emorum Patrum resolutiones benigne approbare dignatus est (1).

los. MANCINI
S. Rom. et Univ. Inquisitionis *Notarius.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

ROMANA seu PARISIEN. Beatificationis seu Canonizationis ven. Servae Dei Magdalenae Sophiae Barat fundatricis societatis Sororum a S. Corde Iesu.

Scripta, quae Ven. Servae Dei Magdalenae Sophiae Barat attribuuntur, quaeque ex perquisitionibus rite peractis, Sacrae Rituum Congregationi exhibita fuerunt, ut super iis revisio et examen ad tramitem decretorum institueretur, in separato elencho describuntur. Quum vero infrascriptus Cardinalis Sacrae Rituum Congregationi Praefectus loco et vice Emi et Rmi Dñi Cardinalis Raphaelis Monaco La Valletta, Causae Relatoris, in ordinariis sacrae ipsius Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, dubium discutiendum proposuerit super revisione peracta horum Scriptorum; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis et audito R. P. D. Gustavo Persiani Sanctae Fidei Promotoris munere

(1) Quoad vinum utendum in s. Sacrificio Missae, recole responsa S. Cong. S. R. U. Inquisitionis, collecta Vol. XXIII, 699 et Vol. XXV, 441

fungente, rescribendum censuerunt : « *Nihil obstare quominus ad ulteriora procedatur ; sed scripta non edantur, inconsulta Congregatione, et ad mentem ; reservata facultate Promotori Fidei opponendi, si et quatenus de iure* ». Die 23 Iunii 1896.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per meipsum subscriptum Cardinalem relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et confirmavit, die 7 Iunii eodem anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S *R. C. Praefectus.*

L. * S.

A. TRIPEPI, *S. R. C. Secretarius.*

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

MEDIOLANEN. Quandonam Cruces et Coronae etc. benedictae amittant Indulgentias si vendantur.

Die IO Iulii 1896.

Quamvis haec S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita decreverit sub die 16 Iulii 1887, res indulgentiis ditatas tradi debere fidelibus omnino gratis, ita ut, si aliquid quocumque titulo requiratur vel accipiatur, indulgentiae rebus adnexae amittantur; nihilominus ab hac S. Congregatione humiliter petitur sequentium dubiorum solutio:

I. An amittant Indulgentias Cruces, Coronae etc. si quis eas emens, ipsi venditori earum benedictionem nomine suo curandam committat, soluturus pretium expensasque transmissionis, in ipso actu, quo res illas iam benedictas sibi tradentur?

Et quatenus negative.

II. An amittant Indulgentias Cruces, Coronae etc. si quis praevidens eas iam benedictas postulatum iri certa occasione, puta magni concursus fidelium, in antecessum benedicendas curet pro iis qui eas, restituto pretio expenso, petituri sint?

Sacra vero Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, audito etiam unius ex Consultoribus voto, sub die 10Iulii 1896 relatis dubiis respondere mandavit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative.*

Dat. Romae ex Secret, eiusdem S. C die et anno uti supra.

ANDREAS CARD. STEINHUBER *Praefectus.*

L. © S.

S ALEXANDER ARCHIEP. NICOP. *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

S. FIDEI NEOGRANATEN.

IURIUM

Die 2 Maii 1896.

Sess. 21, cap. 4 De reform.

COMPENDIUM FACTI. In archidioecesi S. Fidei Suffraganeatum constituit Gregorius Pontifex XVI per decretum S. C. Consistorialis *diei 10 Decembris 1833,* sequentis tenoris :

« Sanctae Fidei in America meridionali, erectionis Suffraganeatus ».

« Ea est Sanctae Fidei dioecesis in America meridionali vastitas provinciarum, quibus ipsa constat, longinquitas et itinerum difficultas, ut ad commodiorem sacrorum procurationem, et ad infidelium illic degentium conversionem, non unus, sed plures illic necessarii censeantur Antistites. Cum vero, attenta praesenti temporum conditione, cathedralium Ecclesiarum erectio illis in partibus hic et nunc obtineri nequeat, ad consulendum, meliori quo fieri posset medio, spirituali illorum populorum bono, placuit interea Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XVI, Pontifici Maximo, in memorata Sanctae Fidei dioecesi perpetuum in modum Episcopum constabilire titularem in partibus infidelium ; eo praesertim consilio, ne quando sit et ipsa Ecclesia viduata Antistite, desit qui rite exequatur cuncta illa quae ordinis sunt episcopalis. Omnibus idcirco mature perpensis, me infrascripto Sacrae Congregationis negotiis consistorialibus praepositae secretario referente, eadem Beatitudo sua in provincia Casanare nuncupata dioecesi Sanctae Fidei suffraganeatum erigendum decrevit pro uno Episcopo titulari in partibus infidelium , qui in dicta provincia Casanare degat, et tam in

ea quam in aliis provinciis, pro lubito Archiepiscopi pro tempore Sanctae Fidei, pontificalia aliaque munia quae ordinem requirunt episcopalem , exerceat, data Archiepiscopo facultate, quoties hoc officium vacare contigerit, supplicandi pro viro ecclesiastico meritis et qualitatibus commendato, qui in id muneris adsciscendum ipse censuerit. Ut tamen Episcopus pro tempore suffraganeus suae dignitatis splendorem ea qua par est decentia tueri valeat, idem Sanctissimus Dominus congruam scutatorum sex millium super fructibus episcopalibus mensae sanctae Fidei quotannis percipiendorum eidem attribuere dignatus est. Hoc porro erectionis Suffraganeatus decretum perinde habendum ac si Litterae Apostolicae in id latae fuissent, edi et in actibus eiusdem Sacrae Congregationis consistorialibus referri mandavit, contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae hac die 9 mensis Decembris, anno Domini 1833 ».

Huius Auxiliaratus officio et dignitate se auctum fuisse contendit Moyses Higuera Episcopus, in hac controversia actor, contradicente hodie Herrera S. Fidei Archiepiscopo, ea potissimum de causa quia Higuera, personae tantum Arbealez, tunc temporis Archiepiscopi, auxiliaris destinatus fuerit. Controversa Bulla, rem nostram quod spectat, haec habet :

« Cunctis ubique pateat quod anno a Nativitate Domini Nostri Iesu Christi 1876, die vero 8 mensis Aprilis, Pontificatus autem SSmi Domini Nostri Pii Papae IX anno trigesimo, ego officialis deputatus vidi et legi quasdam Litteras, Apostolicas, sub plumbo expeditas tenoris sequentis videlicet: Pius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Moysi Higuera, electo Maximopolitan. salutem et Apostolicam benedictionem. . . . . .teque illi {Ecclesiae Maximopolitan.) in Episcopum praeficimus et Pastorem, curam, regimen et administrationem huius Ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo ad hoc ut Venerabili quoque fratri nostro Vincentio Arbelaez archipraesuli Sanctae Fidei de Bogota in pontifi-

talibus exercendis aliisque pastoralibus muneribus obeundis in civitate et archidioecesi Sanctae Fidei de Bogota adiumento esse possis, praecipue pro missionibus de Casanare, vel alibi obeundis prout ipsemet Archiepiscopus melius in Domino expedire iudicaverit ; ita tamen ut de consensu tantum et licentia praefati Vincentii archipraesulis in ipsa civitate et archidioecesi pontificalia exercere et alia episcopalia munia obire possis iuxta Decretum Sacrae Congregationis Consistorialis a nobis approbatum, Apostolica Auctoritate praefata tenore praesentium constituimus et deputamus nec non consuetam congruam quindecim millium francorum illius monetae super integram massam decimalem eiusdem Archidioeceseos iuxta conventionem unanimiter peractam in postremo Concilio provinciali ab Antistitibus Columbiae habito, dicto auxiliaratui iam adtributam auctoritate et tenore praemissis tibi assignamus in Illo, qui dat gratias et largitur praemia ».

Interim die 29 Iulii 1880 Leo Pontifex XIII, novam instituit Dioecesim Tunquensem, per dismembrationem veteris Archidioecesis S. Fidei, ab hac divellens provinciam *Casanare,* de qua est sermo in citatis Decretis, quamque uti suum residentiae locum obtinebat Episcopus Higuera. Hic novae dioecesis, non adhuc sui pastoris solatium habentis administrator renunciatus fuit, in eaque post Episcopi adventum commoratus est diversa explens munera, usque ad annum 1884, quo per Bullam *diei 24 Iunii eiusdem anni* Decanatum Capituli cathedralis ecclesiae in archidioecesi S. Fidei adeptus est. Archiepiscopo Arbealez *die 1 Februarii* viam universae carnis ingresso, tres alii successerunt Archiepiscopi; in his hodiernus Herrera, quem apud S. C. C. vocavit Higuera ea intentione, ut ipsum in suum Auxiliarem recognoscat, ipsique solvat annuam congruam sibi attributam, computatis exactis annis a die 19 Martii 1881, quibus congrua soluta non fuit, petens summam 15 libellarum pro singulo anno, aliamque pro rationibus hactenus non satisfactis in vim libellarum 187, 500.

Uti par erat haec controversia antea ad S. Congreg, negotiis eccl. extraordinariis praepositam, delata fuit, eademque sub anno 1894 Archiepiscopo S. Fidei mentem Summi Principis significavit, nempe per Decanatus collationem Episcopo Higuera iam satisfactum fuisse, quippe auxiliaratus officio Archiepiscopus S. Fidei non amplius indigebat.

Verum dominus Higuera vehementer conquestus est, contendens suis iuribus, se inaudito, maximum praeiudicium factum fuisse, quare ad Sacratissimum Principem recursum habuit, efflagitans, ut sua iura iudicio tueri fas esset. Quod Summus Princeps, pro ea qua pollet mira benignitate et aequitatis sollicitudine, concedere dignatus est.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO ARCHIEPISCOPI. Huius advocatus, postquam advertere, quaestionem videri iam definitam per Summi Pontificis oraculum qui, collato Decanatus beneficio, declaravit Episcopo Higuera nullum amplius ius competere in Auxiliaratum, neque in huius redditus, iuris controversiam sibi proponit diluere ostendendo:

1. Dominum Higuera non Archiepiscopatus, ut ipse contendit, sed personae Illmi ac Rmi Archiepiscopi Arbealez coadiutorem electum fuisse. Dato etiam, at non concesso,

2. Dominum Higuera Archiepiscopatus S. Fidei Coadiutorem fuisse electum, tamen illum pro provincia Casanare tantummodo tali munere donatum fuisse retinendum esse ;

3. Adeo ut nova dioecesi Tunquensi erecta, eique provincia Casanare assignata, nec Sedes Apostolica, nec omnes Archiepiscopi, qui deinceps in Sede Metropolitana S. Fidei successerunt, nec capitulum , nec tota dioecesis, revmum D. decanum Higuera coadiutorem agnoverit; imo, quod magis est, nec ipsum ab erectione novae dioeceseos se uti coadiutorem gessisse.

Primum quod spectat, Advocatus notat, Auxiliaratus officium esse speciem Coadiutoriae, at *Archiepiscopatus coadiutoriam,* quam adversarius vellet, esse in iure omnino

igne-tam. Nam duae iure recensentur coadiutoriae species; alia est temporanea, alia est perpetua. Coadiutor temporaneus ad nutum amovibilis est, ac morte coadiuti aliisque de causis ab officio cadit ; Coadiutor perpetuus ille tantummodo appellatur qui, cum iure successionis, a Romano Pontifice eligitur ; Ferraris ad verbum *Coadiutoria,* omnesque iuris canonici doctores. Iamvero, instat Patronus, coadiutoriam perpetuam seu cum iure succedendi Archiepiscopo Arbealez, nemo ei concedit, nec ipse umquam sibi arrogavit.

Itaque, concludit Orator, Archiepiscopatus Coadiutoria ut aliquid novum, abnorme, a iure nostro exorbitans, sane admittenda non est, nisi, invictis argumentis, ita res se habere probetur. Quae enim a iure exorbitant, quae odiosa sunt, quae Episcoporum iurisdictionem limitant probanda sunt. *Reg. iur. 15-28 in VI.*

Quia ex illis verbis Decreti Concistorialis erectionis suffraganeatus factae, *perpetuum in modum,* arguit adversarius, se esse Auxiliarem perpetuum ; hoc inficiatur Advocatus ; ex allato Decreto deducens. R. Pont. Gregorium XVI duo constituisse, videlicet I°. ut in dioecesi S. Fidei perpetuum in modum adesset Episcopus titularis, qui, etiam sede vacante, pro lubito Capitularis vicarii, quae propria sunt episcopalis ordinis exercere posset; 2°. ut talis Episcopus titularis coadiutoriae munus exerceret, quam ipse in provincia Casanare instituerat. Quare iuxta decretum Gregorii XVI in dioecesi S. Fidei perpetuus esse debebat Episcopus titularis ; non perpetuus coadiutor, arguit Orator, qui praeterea advertit quod etsi admittatur Coadiutoriam perpetuam constitutam fuisse, tamen probandum est, in perpetuum fuisse concessam Adversario : quum necessario in officiis distinguatur perpetuitas *subiectiva* ab *obiectiva;* et, in themate, videatur Coadiutor concessus personae Archiepiscopi, non Sedi.

Imo neque perpetuitas officii coadiutoris absolute ex praefato decreto deduci potest, iuxta Patronum, quia Suffraganeatus « *hic et nunc, interea* » « *attenta praesenti temporum*

conditione » institutus declaratur. Quapropter tempus Pontifex Gregorius XVI indicat, quo praedictum Suffraganeatus officium cessare oportet; cum scilicet talis temporum conditio fuerit, ut Ecclesiae cathedrales ibi erigi possint.

Sed insuper contendit Patronus, tempore deputationis D. Higuera, Gregorii XVI decretum vim iuridicam amisisse I°. quia a 40 annis circiter in desuetudinem abiit. Vi illius-unus tantummodo Auxiliaris Coadiutoriam in Casanare per tres annos retinuit; at deinceps usque ad annum 1876 quo R. D. Higuera Coadiutor electus est, nullum reapse coadiutoris officium in dioecesi S. Fidei exercuit; 2°. quia R. Pontifex Pius IX in Bulla, qua coadiutor designatur, nec directe neque indirecte de decreto Gregorii XVI facit mentionem ; ac Higuera non vi decreti Gregorii XVI, sed vi cuiusdam consistorialis decreti emolumenta assignantur; 3°. quia in Concilio Provinciali anno 1868 actum est, an magis expediret S. Fidei dioecesim dividere, aut Episcopum coadiutorem constituere, tamen haec Concilii pars anno 1873 approbata adhuc non fuerat, ac forsan nunquam approbata est.

Ceterum advertit Orator, adversarii iura tantummodo ex bulla esse desumenda, qua R. Pont. Pius IX ipsum Episcopum titularem Maximopolitanum, ac Archiepiscopi Arbealez coadiutorem elegit, quam Pianam Bullam advocatus contra illum retorquet, ita argumentatio. Quum in iure perspectum sit, R. Pontificem postrema constitutione antiquam constitutionem vel interpretari, vel ei derogare ; ita certum est, Decanum ea iura sibi vindicare posse, quae tantummodo in Bulla R. Pont. Pii IX collata fuerunt, ac ad antiquum decretum Gregorii XVI recurrendum esse in iis solum quae obscuritatem laborent. Atqui luculentioribus-verbis Romanus Pontifex Pius IX dominum Higuera Episcopum titularem Maximopolitanum elegit, « ad hoc ut quoque fratri nostro Vincentio Arbealez Archipraesuli S. Fidei de Bogota in pontificalibus exercendis aliisque pastoralibus-muneribus obeundis, praecipue pro missionibus Casanare adiumento non possit ».

Deinceps, prosequitur Orator, quia ignotum esse non debet domino Higuera, Archiepiscopum Arbealez a R. Pontifice auxiliarem personalem petiisse, mirum non est si auxiliaris personalis seu temporaneus ipse electus et recognitus est, nimirum et Capitulum ecclesiae cathedralis S. Fidei et omnem clerum et omnes Episcopos, qui Arbealez successerunt, illum semper ut coadiutorem personalem Archiepiscopi Arbealez considerasse.

Incassum, ait Advocatus, Higuera affirmât, se quatuor Archiepiscopis nempe Arbealez, Paul, Velasco, et Herrera coadiutorem usque ad haec tempora fuisse, quia palam est, erecta dioecesi Tunquensi, nec Archiepiscopo Arbealez, nec Paul, nec Velasco, nec hodierno Archiepiscopo Herrera ipsum coadiutorem fuisse.

Ad secundum Orationis caput descendens Advocatus evincere satagit, *dato, sed non concesso* Higuera Archiepiscopatus Coadiutorem fuisse electum, quod tamen ille hoc munere tantum pro provincia Casanare auctum fuerit. Siquidem in proposito Consistoriali decreto iussu edito Gregorii XVI, dicitur « omnibus mature perpensis eadem Beatitudo Sua in provincia Casanare nuncupata dioecesi Sanctae Fidei suffraganeatum erigendum decrevit pro viro Episcopo titulari in partibus infidelium, qui in dicta provincia Casanare degat et tam in ea, quam in aliis provinciis pro lubito Archiepiscopi pro tempore S. Fidei, pontificalia aliaque munia quae ordinem requirunt Episcopalem exerceat etc. » Quare duo distinguit Patronus, principale et accessorium. Principale est Suffraganeatum seu Coadiutoriam in provincia Casanare erectum esse « in provincia Casanare Suffraganeatum erigendum decrevit ». Accessorium est = illum Suffraganeum seu coadiutorem hac etiam obligatione teneri videlicet, Archiepiscopum S. Fidei quoad ea quae ordinem Episcopalem requirunt adiuvare. - Quocirca, urget Orator, si admittatur, uti contendit Higuera, Gregorii XVI decretum eius tempore viguisse, eumque illius decreti vi coadiutorem electum fuisse, consequeretur R. D. Higuera coadiutorem seu suffraganeum

electum fuisse in provincia et pro provincia Casanare « in provinciae Casanare Suffraganeatum erigendum decrevit ». Cum autem erectione novae dioecesis Tunquensis, cui provincia Casanare adscripta est, Suffraganeatus abolitus sit, re principali pereunte, periit etiam accessorium ; adeo ut post illam erectionem, uti omne ius in provincia Casanare Higuera amiserit, ita etiam omni obligatione adiuvandi Archiepiscopum S. Fidei quoad potestatem ordinis Episcopalis exemptus sit.

Bulla vero Pii IX, iuxta Advocatum, confirmat Decretum gregorianum, quia edicitur in illa, Higuera coadiutorem Archiepiscopi Arbealez praecipue pro missionibus provinciae Casanare electum esse. Quamobrem cum coadiutoriam electus, statim in provinciam Casanare se non contulisset, Sedes Apostolica Archiepiscopum Arbealez monuit reverendum Higuera ad officium dimittendum cogendum esse, nisi in provinciam Casanare statim sese conferret.

Demum *tertio* loco Advocatus contendit, adeo verum esse, Higuera auxiliarem personalem Archiepiscopi Arbealez electum fuisse, adeo verum esse quacumque in hypothesi, Higuera pro provincia Casanare exclusive Auxiliarem electum fuisse, ut, nova dioecesi, Tunquensi erecta, eique provincia Casanare assignata, nec Sedes Apostolica, nec omnes Archiepiscopi qui deinceps in Sede Metropolitana S. Fidei successerunt , nec Capitulum, nec tota dioecesis Decanum Higuera Coadiutorem agnoverint ; imo, nec ipse ab erectione novae dioeceseos se uti coadiutorem gesserit.

Re quidem vera, narrat Patronus, Cardinalis Iacobini Status secretarius ad Archiepiscopum Arbealez scribens aiebat, Sedem Apostolicam curam habituram de D. Higuera Episcopo Maximopolitano, iam auxiliari, iuxta eiusdem Arbealez commendationem.

Praeterea, ait Orator, erecta nova dioecesi Tunquensi, Summus Pontifex Leo XIII, D. Higuera Auxiliarem Episcopi Medellensis elegit ; quod tamen officium D. Higuera recusavit. Iam in decreto R. Pontificis nulla fit mentio de Auxi-

liaratu dioecesis S. Fidei ; imo evidenter R. Pontifex in alia dioecesi illum auxiliarem elegit, ut « peculiari benevolentia eum complecti volens » redditus ei assignaret, quos in dioecesi S. Fidei propter amissam coadiutoriam, amiserit.

Sed expresse, iuxta Patronum, Pontifex Leo XIII declarat D. Higuera, post erectam dioecesim Tunquensem S. Fidei *Auxiliarem iam fuisse,* quia in Bullis collationis Decanatus decernitur « Nos, qui uti accepimus, venerabilis fratris nostri archiepiscopi S. Fidei de Bogota, Auxiliaris iam fuisti etc. ».

Verum quum Rev. D. Higuera opponat se in dataria apostolica *Syngrapham* vulgo *minutam* vidisse in qua romanus pontifex scripsisset : « Nos qui uti accepimus venerabilis fratris nostri archiepiscopi S. Fidei de Bogota auxiliaris existis etc. » notat Advocatus in Dataria apostolica nonnisi duo documenta reperiri. Primum est documentum originale bullae decanatus quod in archivio Datariae servatur : in hoc legitur : « auxiliaris iam fuisti ». Aliud est modulus originalis supplicationis, qua ipse Moyses Higuera decanatum a romano pontifice petit una cum rom. pontificis responsione, ac originali subscriptione. Ipse ita supplicat : « Bme Pater, - Cum decanatus metropolitanae ecclesiae S. Fidei de Bogota, qui inibi dignitas post pontificalem maior existit, per obitum quondam Raphaelis Plata, illius dum viveret ultimi possessoris, extra romanam curiam defuncti, aut alia certo alio modo vacaverit et vacet ad praesens, supplicat igitur humilis S. S. devota creatura una Moyses Higuera episcopus titularis Maximopolitanus ac iam S. Fidei de Bogota archiepiscopus auxiliaris existens quatenus eum amplioris gratiae favore prosequendo decanatum praefatum etc. » Item « Auxiliaris iam fuisti » legitur in Syngrapha vulgo Minuta quae ab Expedi tore Apostolico servatur.

Hisce addit Procurator pontificem in bulla decanatus Revmum Higuera episcopum titularem Maximopolitanum tantummodo denominare, et autumat nullum haberi pontificium documentum quo post erectam dioecesim Tunquensem auxiliaris S. Fidei denominetur.

Verum observat Orator, supervacaneum esse de mente romani pontificis inquirere cum inter acta adsit perspicua romani pontificis Leonis XIII responsio, cui per organum S. Congregationis a negotiis ecclesiasticis extraordinariis iam proposita quaestio fuit, qui documentis hinc inde perpensis hanc per cardinalem Marianum Rampolla responsionem praebuit videlicet I°. Revmum Higuera archiepiscopi Arbealez (non archiepiscopatus) coadiutorem electum fuisse. 2°. Erecta dioecesi Tunquensi nullam amplius auxiliaris necessitatem apparaisse. Quae necessitas, instat Patronus, hodie multo minus apparet tum quia anno 1894 die 30 augusti tertia dioecesis de Tolima erecta fuit, tum quia ita redditus mensae archiepiscopalis S. Fidei exigui sunt, ut si coadiutoris onere gravarentur in praeceps ruèrent.

Quare, prosequitur Advocatus, R. pontifex declarabat hac de causa, D. Higuera « *iam auxiliaris archiepiscopi S. Fidei de Bogotá* » consuluisse eidem decanatum cathedralis S. Fidei conferendo, proindeque huic nihil deberi nec quoad tempus praeteritum, neque quoad futurum auxiliaratus praetextu. Quum Adversarius opponat, subreptione laborare romani pontificis responsionem, quasi vel documenta falsa, vel non omnia documenta Idem cognovisset, monet Patronus se iura archiepiscopi défendisse iisdem praesertim documentis fretum, quae adversarius romano pontifici obtulit, quaeque Congregatio a negotiis ecclesiasticis extraordinariis huic S. C. C. tradidit.

Deinde memorat Orator, apostolicum delegatum, nova dioecesi Tunquensi erecta, episcopum Higuera vicarium apostolicum in nova dioecesi nominasse, et archiepiscopum Arbealez tunc Sedi Apostolicae illum commendasse, ut in episcopum Pastopolitanum eligatur, quia cum auxiliaris pro provincia Casanare, ipse ait, Revmus Higuera electus sit, nova dioecesi Tunquensi erecta, ipse officium amisit. Hac de causa archiepiscopus Arbealez ut interea episcopo Higuera consuleret, eum administratorem novae dioecesis Tunquensis elegit, usquedum novus episcopus Revmus Garcia suae dioe-

cesis possessionem caperet. Ut autem ei sustentationis media non deficerent, super mensa episcopali Tunquensi, reditus constituit. Insuper cum Higuera post erectam dioecesim Tunquensem hac in dioecesi resideret ibique pinguiora emolumenta lucraretur tam uti rector seminarii Tunquensis, tam uti vicarius apostolicus S. Augustini, archiepiscopus Arbealez datis litteris gratulatur dominum Higuera vicarium S. Augustini electum fuisse « a rimpiazzo della designazione d' ausiliare » eique pro gestis coadiutoriae tempore gratias agit.

Nec aliam successorum fuisse sententiam, contendit Advocatus, quia, ex his nemo unquam Higuera uti auxiliarem recognovit. Archiepiscopus Paul tum capitulo, tum etiam Rmo Herrera hodie archiepiscopo S. Fidei non semel dixerat se Higuera auxiliarem non recognoscere. Insuper ob necessitatem visitandi archidioecesis regiones, quae in provincia Tolima iacent, archiepiscopus Paul, lato decreto, Higuera episcopum titularem Maximopolitanum delegavit , eique congruam pensionem ex ipsa mensa archiepiscopali assignavit. Sed neque archiepiscopus Velasco, urget Orator, Higuera uti coadiutorem agnovit, adeo ut archiepiscopus Velasco quamdam petitionem romano pontifici porrigendam laceraverit, quia Higuera se auxiliarem S. Fidei inscribere ausus erat.

Praeterea advertit, non solum hodiernum Archiepiscopum S. Fidei eum uti Auxiliarem non habuisse, sed neque capitulum cathedralis Ecclesiae, erecta nova dioecesi Tunquensi, Higuera uti auxiliarem agnovit. Nam iam ab anno 1882, capitulum Archiepiscopo interroganti reposuit, nihil Episcopo Higuera deberi, quia iam coadiutoriae munus, erecta nova dioecesi, amiserit. Insuper capitulo coadunato canonicus Plata proposuit omnesque probaverunt, ut Episcopo Higuera solveretur quod ei debebatur usque *ad diem, qua coadiutoris munus amisit, videlicet usque ad diem, qua nova dioecesi Tunquensi erecta est.* Tandem inter acta adest relatio quam, postquam haec quaestio orta fuit, Archiepiscopus Herrera a capitulo petiit, ut eius consilium cognosceret. Omnes autem

capitulares unanimiter censuerunt erecta dioecesi Tunquensi, Higuera coadiutoris munus amisisse.

Quamobrem postremo evincere conatur Advocatus, quod neque Higuera ipse, dioecesi Tunquensi erecta, uti auxiliarem seu coadiutorem se agnovit, quia hac in dioecesi et alibi diversa suscepit et explevit munera, auxiliaratui incompatibilia, congrua inde accepta mercede, adeo ut in Bulla, qua dioecesis Tunquensis erecta est inter personas, quae enumerantur ad novam dioecesim Tunquensem nomen Rmi Higuera legatur quin hic pro testatus sit.

Deinde refert Patronus, quod cum tempore, quo dioecesis Tunquensis erecta est, idest die 19 Martii 1881, non omnia emolumenta quae Rmo Higuera uti auxiliari debebantur soluta essent, ipse anno 1883 ab Archiepiscopo S. Fidei petit quod ei debetur ac subdit : mi si deve il mese di Marzo fino al 25 Aprile, data in cui assunsi il governo della diocesi di Tunia, come risulta dal decreto di quella data.... Non tornerò ad annoiare V. S.

Igitur pergit orator, Higuera in nova dioecesi Tunquensi usque ad annum 1884 domicilium habuit, quo a Romano Pontifice Leone XIII decanus capituli ecclesiae cathedralis S. Fidei de Bogota promotus est.

Denique, ait advocatus, praetermittendum non est in dioecesi S. Fidei notorium esse decanum Higuera, qui affirmat se etiam hodie officium auxiliaris exercere, singulis annis, mense Decembris ineunte, ad dioecesim Tunquensem se conferre; nec nisi procedente iam quadragesimali tempore, reverti.

Quare suspicatur patronus, D. Higuera hanc causam contra Archiepiscopum intentasse, non ut auxiliaris recognosceretur; sed ut paupertatem, egestatem praedicans subsidia vel ab Archiepiscopo Herrera vel quocumque alio modo obtineret. At in propositum refert, Higuera ut Decanum Lib. 10,000, quotannis recipere, ex suis patrimonialibus redditibus recipere 14,000 Lib., e contra Archiepiscopi S. Fidei mensam ex Lib. circiter 30,000 constitui; ac si oneribus gravaretur profecto in praeceps mere.

DEFENSIO EPISCOPI HIGUERA. EX adverso Episcopus Higuera, ratus antea sua iura despecta fuisse quia S. C. a Negotiis Extraordinariis Eccles. Decreta Pontificia in facti specie relata prae oculis non habuerit, in eadem decreta nonnulla animadvertit quae ipsissimis eius verbis referre duco. Postquam *primo* adduxerit Decretum Consistoriale anni 1833, haec postea advertit :

« *Secundo.* In huius Sacrae Congregationis Consistorialis Decreti vi eidem Archiepiscopatili dicto quatuor Episcopi titulares et Auxiliares concessi fuere ; scilicet : Iosephus Antonius Chaves, Ordinis Minorum, Vincentius Arbelaez, similiter ac infrascriptus, Episcopus Maximopolita, Indaletius Barreto et Franciscus de Paula Reyes.

« *Tertio.* In eiusdem ipsius Decreti Consistorialis virtute et ego ipse Episcopus titularis Maximopolita, Sanctaeque Fidei de Bogota Archiepiscopatui sive Archidioecesi Auxiliaris unice et exclusive electus fui a Sanctissimo Domino Nostro Pio IX, anno 1876, ut episcopalis meae institutionis Bulla signanter exprimit, quae Bulla in Decreto Consistoriali luculente fundatur, propriis his verbis ; videlicet : « . . . . teque illi (Ecclesiae Maximopolitan.) in Episcopum praeficimus et Pastorem, curam, regimen et administrationem huius Ecclesiae Tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, ad hoc ut Venerabili quoque Fratri Nostro Vincentio Arbelaez Archipraesuli Sanctae Fidei de Bogota in Pontificalibus exercendis aliisque Pastoralibus muneribus obeundis in Civitate et Archidioecesi Sanctae Fidei de Bogota adiutamento esse possis praecipue pro Missionibus de Casanares vel alibi obeundis prout ipsemet Archiepiscopus melius in Domino expedire iudicaverit, ita tamen, ut de consensu tantum et licentia praefati Vincentii Archipraesulis in ipsa Civitate et Archidioecesi pontificalia exercere et alia episcopalia munia obire possis, iuxta Decretum Sacrae Congregationis Consistorialis a nobis approbatum, apostolica auctoritate praefata tenore praesentium constituimus et deputamus, nec non consuetam

congruam quindecim millium Francorum illius monetae super integram massam decimalem eiusdem Archidioeceseos, iuxta conventionem unanimiter peractam in postremo Concilio provinciali ab Antistitibus Columbiae habito dicto Auxiliariatui iam attributam Auctoritate et tenore praemissis tibi assignandus in Illo qui dat gratias et largitur praemia. »

His Bullae verbis Sanctae Fidei Bogotensis Auxiliaratus congruam episcopalem consuetam, in postremo Concilio Provinciali ab Antistitibus Columbiae habito dicto auxiliaratui iam attributam, Romani Pontificis Pii IX auctoritate et tenore praemissis mihi inconditionaliter tamquam Episcopo Sanctaeque Fidei de Bogota Archiepiscopatus Auxiliari assignatam esse, in Illo qui dat gratias et largitur praemia, luculentissime videtur.

« *Quarto.* Tamquam Auxiliaris Archiepiscopis quatuor adiumento fui in Civitate et Archidioecesi Sanctae Fidei de Bogota ab anno 1876 hucusque, Sede vacante Sedeque plena; scilicet : Domino Vincentio Arbelaez, Iosepho Telesphoro Paul S. L, Ignatio Leoni Velasco S. I. et Bernardo Herrera Restrepo, hodierno Archiepiscopo de Bogota, impleto ministerio episcopali maxima cum approbatione eorumdem Praesulum: et nihilominus congrua episcopalis mihi a Summo Pontifice Pio IX assignata, sine causa a die 19 Martii 1881 hucusque retenta fuit, non obstantibus quibuscumque, etiam pro nihilo reputare Litteras Apostolicas ; videlicet : « Apostolica Auctoritate praefata, tenore praesentium constituimus et deputamus, nec non consuetam congruam quindecim millium francorum illius monetae super integram massam decimalem eiusdem Archidioeceseos, iuxta conventionem unanimiter peractam in postremo Concilio Provinciali ab Antistitibus Columbiae habito dicto auxiliaratui iam attributam auctoritate et tenore praemissis tibi assignamus in Illo qui dat gratias et largitur praemia ».

« *Quinto.* Expositis iuribus meis, Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Bernardus Herrera Restrepo, Sanctae Fidei Bogotensis Archiepiscopus hodiernus, inconsulta Sancta

Sede, fretus tantum propria auctoritate, qua fungitur, declaravit me neque Archiepiscopatus, neque Archiepiscopi Bogotensis Auxiliarem esse, abstulitque a me facultates pontificalia et alia quaecumque munia episcopalia exercendi in Civitate et Archidioecesi de Bogota, non obstante mea duplici Dignitate Episcopali et Decani Ecclesiae Metropolitanae. Postea vero misit litteras, quas ego nondum vidi, ad Eminentissimum Cardinalem Marianum Rampolla del Tindaro Suae Sanctitatis a Secretis; et Eminentissimus Dominus, bona fide indubitanter, non bene expositis iuribus et factis usque adhuc scriptis responsum dedit contra iura mea, acquisita in Litterarum Apostolicarum virtute ab anno 1876 in hodiernum, ut antea dixi, pacifice possessa, et tandem in audientia mihi concessa, die X Iulii huiusce anni, Deo gratias, a temetipso, Sanctissime Domine Noster, quem Deus sospitem servet, verbo confirmata.

« Cum sui ordinis spectatissimum sit Sacrae Congregationis Consistorialis Decretum, in quo Sanctae Fidei Bogotensis Archidioeceseos privilegium Episcopum titularem Auxiliarem seu Suffraganeum semper habendi - perpetuum in modum - fundatur, existentibus, hoc ipso temporis momento, eisdem causis, per quas eiusmodi Decretum datum fuit, Illustrissimus Dominus Archiepiscopus Herrera, inconsulta Sancta Sede, sua sponte, sua sola auctoritate, caducum factum esse quoque declaravit.

« *Sexto.* Dicetur forsan Archidioeceseos Sanctae Fidei Bogotensis massam decimalem tantam non esse, ut sufficiens sit uti congrua episcopalis Auxiliaratui de Bogota iam attributa a Patribus Concilii Provincialis et mihi a Sanctissimo Domino Nostro Papa Pio IX assignata dari possit. Sed ad hanc obiectionem respondetur : dictam decimalem massam ex Bulla, quae incipit *Coelestem Agricolam,* a Domino Nostro Gregorio XVI, anno 1835, septimo kalendas Octobris, expedita, cumulum habuisse scutatorum ducentorum octoginta seu millium. Scilicet Sc. 286, 000.

« Ab hac quantitate cumulus triginta millium scutatorum

detractus fuit Dioecesi Neo-Pampilonensi, quando erecta fuit, anno 1835. Videlicet Sc. 30, 000.

« Item. In Novae Tunquensis Dioecesis erectionis Bulla, me iam constabilito Archiepiscopatus Sanctae Fidei Bogotensis Auxiliari, necnon cumulus quinquaginta millium scutatorum detractus fuit, anno 1880, die vero 29 Iulii. Nempe Sc. 50,000.

« Cumulus igitur hodiernus decumanus Sanctae Fidei Bogotensis Archidioeceseos invenitur scutatorum ducentorum sex millium esse, ut videre est. Scutata 206, 009.

« Quamobrem, si ab hoc Sanctae Fidei de Bogota Archidioeceseos decimali cumulo detrahatur congrua episcopalis annua, dicto Auxiliaratui iam attributa a patribus Columbiae Concilii Provincialis, et mihi a Sanctissimo Domino Nostro Pio IX benigniter assignata, ingens adhuc cumulus decimalis Archiepiscopatus invenitur. Haec autem sunt verba Sanctissimi Papae Gregorii XVI Bullae quae incipit *Coelestem Agricolam.*

« Sumpta namque complexim ex decimis pecunia, quae ex omnibus Archidioecesi Sanctae Fidei de Bogota Provinciis quotannis habetur, et illius Metropolitanae Ecclesiae dotationi inservit ad ipsius propria munera decenter obeunda, vis exurgit scutatorum ducentorum octaginta sex millium, ideoque si detrahantur ab hoc cumulo proventus decimarum quos Provincia Pampilonensis suppeditat, nempe scutata circiter vigintiquinque millia ad triginta millia, eaque novae Ecclesiae adiudicentur, par illius habebitur dotatio partienda iuxta modum, quem veteres statuunt leges legitimaeque invectae consuetudines, ad illorum commodum, qui ad ipsam debita pro parte ius habent : qua detractione facta, sufficiens adhuc superesse intelligitur reditus Ecclesiae Metropolitanae ad tuendam honoris sui dignitatem, et pastoralia munia, ut par est explenda ; idque eo etiam magis quo reditus huiusmodi satis apparet in dies augendos, per progressus agriculturae aliarumque artium ex quibus hauriri decimae consueverunt ».

« *Septimo.* Obiiciunt Dominus Archiepiscopus Herrera Capitulumque Bogotense tantum, per Decanatus Bullam Sanctae Fidei Bogotensis Archidioeceseos seu Archiepiscopatus Auxiliaratum vacasse. Sed hoc esse non potest, propter tria.

« Primo. Quia in dicta Decanatus Bulla clausula non invenitur aliqua ex qua deduci possit talem Auxiliaratum vacasse : sicut contra in meae institutionis episcopalis Bulla inveniuntur haecce verba, quibus Parochia *De Succursu* nuncupata, quam ad praesens ego ipsemet tunc temporis possidebam, vacans a Summo Pontifice Pio IX declaratur ; nempe : « Volumus autem quod Paroeciam vulgo *de Succursu* nuncupatam quam in Archidioecesi Sanctae Fidei de Bogota ut accepimus ad praesens obtines per solas provisionem et profectionem huiusmodi vacet eo ipso ». Certum est enim quod : Legislator seu Lex quod voluit expressit ; et quod non expressit noluisse censendum est.

« Secundo. Quia tutemet ipse, Beatissime Pater, in Decanatu mihi conferendo, amplioris gratiae favore prosequi voluisti tantum; sed nequaquam aut iura mea maiora, vel Dioecesis Bogotensis privilegia Sacrae Congregationis Consistorialis Decreti vi concessa tollere. Haec enim sunt ipsius Decanatus Bullae verba : « Leo Episcopus Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Moysi Higuera Episcopo titulari Maximopolitan. salutem et Apostolicam Benedictionem. Personam tuam Nobis et Apostolicae Sedi devotam tuis ita exigentibus meritis paterna benevolentia prosequentes, illa tibi favorabiliter concedimus, quae tuis commoditatibus fore conspicimus opportuna .... Nos qui, uti accepimus, Archiepiscopi S. Fidei de Bogota Auxiliaris iam fuisti, amplioris gratiae favore prosequi volentes, decanatum praefatum .... Apostolica tibi auctoritate conferimus, deque illo etiam providemus____»

« Itaque voluntas tua, Pater mi in hac Decanatus Bulla perspicuissima videtur, ut legenti patet.

« Tertio. Quia Beatitudinis Tuae mens, Deo gratias, tam in Decanatus Bullae Syngrapha (vulgo *Minuta),* quam in

Dataria Apostolica vidi, quam in Bulla ipsa valde perspicua est, ut dixi, et patet. Haec autem sunt verba, quae erant in Syngrapha (vulgo *Minuta),* quam vidi: « Nos, qui, uti accepimus Venerabilis etiam Fratris Nostri Archiepiscopi S. Fidei de Bogota Auxiliaris iam fuisti . . . . amplioris gratiae favore prosequi volentes, Decanatum praefatum . . . . Apostolica tibi Auctoritate conferimus, deque illo etiam providemus ».

« Secus. Estne Decanatus Dignitas gratia amplior Episcopali Dignitate Sanctae Fidei Bogotensis Archidioeceseos, Archiepiscopique pro tempore de Bogota, Auxiliari, in Sacrae Congregationis Consistorialis Decreti virtute constabilita, et mihi benigniter concessa a Summo Pontifice Pio IX in meae institutionis Episcopalis Bulla, quae in eiusmodi Consistoriali Decreto fundata est?___

« An accipere singulis mensibus pecuniae improbae, - vulgo papyrus-moneta -, quadringentos Francos tantum (400 f. Haec est enim Decanatus Bogotensis assignatio hodierna) gratia amplior est quam accipere singulis mensibus mille ducentos quinquaginta Francos illius monetae (1250 f.) ut signanter ait meae institutionis episcopalis Bulla? . . . . Haec est equidem assignatio seu congrua Patribus Concilii Provincialis Columbiae dicto Sanctae Fidei Bogotensis auxiliaratui iam attributa, et mihi Auxiliari a Summo Pontifice Pio IX assignata in Illo qui dat gratias et largitur praemia.

« Profecto. Quomodo Beatitudo Tua, o Sanctissime et Augustissime Pater !, Decanatu concesso dumtaxat mihi Archiepiscopatus seu Archidioeceseos Auxiliaratus possessionem pacificam habenti tunc temporis, etiam illustrissimo Archiepiscopo Vincentio Arbelaez nondum vita functo, amplioris gratiae favorem concedere voluisset, amissis congrua aliisque maioribus meis iuribus episcopalibus ?.... Hoc esse non posse mihi videtur.

« Praeterea. Possuntne sine Sanctae Sedis declaratione expressa Litterae Apostolicae in quibus iura mea fundantur - videlicet : Sacrae Congregationis Consistorialis Decretum,

meae institutionis episcopalis Bulla in ipso Decreto Consistoriali fundata, et eiusdem Decanatus Bulla - destrui aut interpretatae esse in ipsissimorum Archiepiscoporum, Archidioeceseos, et Auxiliaris profectus destructionem? Et qua de causa?___

« Cum ego, omnibus annis ministerii episcopalis - 18 - quatuor Archiepiscopis semper obediens fuerim tamquam Archiepiscopatus de Bogot| Auxiliaris ut supra dixi, iuxta et Sacrae Congregationis Consistorialis Decreti et meae institutionis episcopalis Bullae iussa, impleto ministerio « pro lubito Archiepiscopi pro tempore de Bogotá », tandemne impostor tantum ero? Durus est hic sermo___!

« Et si iura mea, quae in Litteris Apostolicis evidentissime fundantur, non valerent, quod ius valebit ultra?....

« Porro. Eaedem causae, per quas Archiepiscopatui Bogotensi privilegium Sacrae Congregationis Consistorialis Decreti virtute datum fuit existunt hodie. Sanctae enim Fidei Bogotensis Archiepiscopatus centum septuaginta novem paroecias (179 P.) ad praesens habet. Est etiam itinerum longi tudo et difficultas. Necesse est enim, ad faciendam Visitationem episcopalem, ire equis, ac etiam ire pedibus aliquibus in partibus.

« Volo te, Beatissime Pater, certiorem facere Sanctae Fidei de Bogotá Archiepiscopatum extensionem territorialem habere ad praesens vigintiquinque millium quater centum et decem kilometrum quadratorum (25, 410 k. q.) et amplius; et decies centum millia habitantium (1,000,000 h.); et insuper sexdecim millia ad minus numerantur infidelium, qui in Sancti Martini de Tours territorio degunt in umbra mortis sedentes !...

« Omnia argumenta contra iura mea facta inveniuntur exposita et confutata in documentis quae habeo; et alia insuper mihi sunt documenta valde utilia ad veritatem super his, quae hic tractantur, exprimendam.

« Caeterum, occasionem opportunam non dimittam, quin gratias quam plurimas Sedi Sanctae Apostolicae agam, propter

magnam erga me benevolentiam qua me indignum sacerdotem, nullis meis meritis, sed Dei gratia et sola Sanctae Sedis Apostolicae consueta dignatione, primo Summus Pontifex Pius IX, felicis recordationis, cum Sanctae Ecclesiae Catholicae Principibus collocare dignatus est, ad sublimem Dignitatem Episcopalem Maximopolitan. evectum, anno 1876, ad hoc, ut Sanctae Fidei Bogotensi Archiepiscopatui Auxiliaris forem, et Sacrae Congregationis Consistorialis Decreti privilegii eidem Archiepiscopatui a Pontifice Maximo Gregorio XVI concessi, anno 1833, et meae institutionis Episcopalis Bullae virtute ; et « amplioris gratiae favore prosequi volens » Tutemet ipse, Sanctissime Pater Leo XIII, singulari Dei munere, Papa regnans, eiusdem Archidioeceseos Bogotensis Ecclesiae Cathedralis Decanatum mihi etiam conferre postea similiter dignatus fuisti, anno 1883.

« His omnibus de causis, exposito iure meo, tuo proprio iussu verbali, Maxime Catholicae Ecclesiae Hierarcha, omnisque iuris legitimi Custos Sublimis, protectionem a te humiliter ex iustitia peto :

« 1. Ut detur mihi congrua episcopalis tot annis - a die 19 Martii anni 1881 hucusque-, sine causa retenta, non obstantibus meis reclamationibus ultra modum prudentibus, et indigentia mea omnibus nota.

2. Ut singulis mensibus mihi tamquam Archiepiscopatus de Bogotá Episcopo Auxiliari tribuatur in posterum congrua episcopalis dicto Bogotensi Auxiliaratui a Concilii Provincialis Columbiae Patribus unanimiter « iam attributa », mihique a Summo Pontifice Pio IX benigniter assignata tenore Litterarum Apostolicarum, quas exhibui; ut « meae dignitatis splendorem « ea qua par est decentia tueri valeam », sicut sapientissime ait Decretum Consistoriale. »

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An morte Archiepiscopi Arbealez, Episcopus Titularis Maximopolitanus Auxiliaris munus amiserit in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 2 Maii 1896 censuit respondere : *Affirmative ; et commendetur SSmo. Episcopus Maximopolitanus.*

Ex QUIBUS COLLIGES: I. Coadiutoria, SufTraganeatus, aut auxiliaratus Episcopo in spiritualibus datus ab Apostolica Sede, cessat per mortem coadiuti quoties officium hoc modo temporaneo constitutum fuit.

II. Coadiutoria vero perpetua cum futura successione haud expirat per coadiuti obitum; sed potius transit in plenum ius: siquidem coadiutor cum vi perpetuae coadiutoriae ius ad rem haberet donec coadiutus in vivis ageret, post eiusdem obitum ius plenum in re consequitur.

III. Auxiliaratum vel coadiutoriam in themate videri accensendam esse coadiutoriae temporaneae, seu ad vitam coadiuti, eiusque obitu expirari absque ullo iure successionis, neque reviviscere, nisi per novam Sedis Apostolicae deputationem favore Episcopi alterius.

IV. Coadiutoriam seu auxiliaratum perpetuum pro sedibus episcopalibus in iure ignorari ab eoque exorbitare ; quia odiosum est quidquid limitat Antistitum iurisdictionem; ita ut qui eundem allegat probare debeat.

BARCINONEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 25 Iulii 1896.

Sess. 24 cap. 5 De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Die 6 Februarii 1886 Fridericus 25 annos natus legitimum matrimonium Matriti apud S. Martini Ecclesiam contraxit cum Dolorosa in 28 aetatis anno constituta.

Eadem die sponsi iter aggressi sunt, ut Barcinonem irent, ubi vir habitabat, ac statim vitae communionem instaurarunt, etsi primis diebus, uti videtur, nullum fecerint

tentamen ad matrimonium consummandum ob mariti repetitas excusationes. Postea vero, urgente praesertim sponsae matre, coniuges rei uxoriae operam dederunt. Sed, ut fertur, infelici prorsus exitu: sponsi enim virilia adeo debilia erant, ut ipse nunquam valuerit copulam cum uxore perficere in toto semestri, quo simul cohabitarunt.

Qua de causa factum est, ut discordiae inter coniuges ac praesertim inter virum et uxoris matrem, quae fere semper cum unica filia Dolorosa commorabatur, quamcito ortae sint; atque ita in dies creverint, ut eificerent perpetuam coniugum dissociationem.

Mulier, relicto viro, ut honestae matris propriaeque sustentationi prospiceret, obtinuit, renitente marito, facultatem ineundi contractum ad histrionicam artem exercendam. Interea die *22* Decembris 1886 a Curia Barcinonen, separationem a toro et cohabitatione petiit; quam vero petitionem insequenti anno revocavit, sibi tamen reservato iure ad petendam nullitatem matrimonii ob viri impotentiam.

Tunc Fridericus preces obtulit SSmo, ut suum matrimonium cum Dolorosa dispensaret, utpote ratum et non consummatum. S. C. C. cui de more preces remissae fuere per literas *diei 13 Iunii 1887* Episc. Barcinonen, rescripsit, « ut audita uxore, referret de antecedentibus, concomitantibus et subsequentibus celebrationem matrimonii, atque de legitimis dispensationis causis ». Quia vero Dolorosa eo tempore, in civitate Habanensi morabatur, non illico Episcopus exequi potuit munus, sed solummodo per literas *diei 3 Septembris 1889.*

S. Congregatio, acceptis uteris, eidem Episcopo commisit processus confectionem, qui, constituto Tribunali, per Iudicem delegatum instructionem processus inchoavit. Excussi primitus fuerunt coniuges, qui, etsi conveniant in asserenda non consummatione, discrepant in determinandis causis; vir enim tribuit inconsummationem nimiae arctitudini uxoris, dum seipsum proclamat potentissimum ad copulam, et hanc suam assertionem conatur demonstrare pluribus medicorum atte-

stationibus, quos consuluit sive tempore cohabitationis, sive ipsa finita. Dolorosa e contra fatetur debilitatem atque frigiditatem viri unicam esse causam sui infelicis status. Examinata postea fuit coniugum septima manus, quae unanimiter fatetur, matrimonium haud essse consummatum, quamvis et haec scindatur in assignanda inconsummationis causa. Cui testimonio concordat, relate ad non consummationem, assertio aliorum octo testium, quorum nunnulli autem clare testificant de Friderici impotentia.

Deventum denique fuit ad examen physicum mulieris, quod peractum est, praemisso balneo et adstante matrona, a tribus obstetricibus de re instructis a duobus peritis. Hae autem seorsim corpus Dolorosae inspexerunt, referentes in ea invenisse omnes virginitatis notas, ideoque eius matrimonium haud esse consummatum; atque obstetricum relationes apprime confirmatae fuerunt sub iuramento a praedictis medicis.

Adsunt praeterea in perlongo processu attestationes decem medicorum a Friderico vel a iudice adductorum, qui omnes, si duo excipiantur, quorum scriptae relationes post processus publicationem receptae fuere, minime potentiae viri favere videntur.

Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Consultor Theologus opportunum censuit, data speciali conditione causae accurate, describere substantialia depositionum; quibus relatis, prosecutus est.

Habemus ergo depositiones sponsorum consummationem excludentium, quibus concordant *sexdecim* testes. Verum haec *per se* iam sufficerent ad probandam existentiam inconsummationis. Coniugum enim dictis, iuraramento firmatis, accedente testimonio septimae manus, credendum esse affirmant sacrorum canonum textus certissimi. Et re quidem vera in cap. *Laudabilem, de frig. et malef.*, simpliciter dicitur: « Si autem, quod numquam se invicem cognoverint, ambo fatentur, cum septima manu propinquorum, vel vicinorum bonae famae (si propinqui defue-

rint) tactis Sacrosanctis Evangeliis, uterque iureiurando dicat, quod nunquam per carnalem copulam una caro effecti fuissent, et tunc videtur, quod mulier valeat ad secundas nuptias convolare ». Nec opponi potest quod legitur in cap. *Super eo, de eo qui eo gn. cons. uxor. suae,* scilicet: « Propter eorum confessionem tantum, vel rumorem viciniae, separari non debent: cum et quandoque nonnulli inter se contra matrimonium velint colludere». Nam eodem in loco additur : « Rumor autem viciniae non adeo est iudicandus validus, quod nisi rationabiles et fìdedignae probationes accedant, possit bene contractum matrimonium irritari: » et adductis depositionibus non habetur unica coniugum confessio, neque merus rumor viciniae, sed habentur probationes proprie tales et notitiae, tempore non suspecto acquisitae, sive ab ipsis sponsis, sive ab eorum genitoribus, sive aliter. Item obiici nequit circumstantia quasi actoris in utroque sponso et productio testium de familia ab ipsis quasi actoribus contra praescripta capitis *In litteris, de testibus et attesi.* Nam ibi Alexander III sufficientes non iudicavit *testes de familia sua tres,* et declaravit: *pro illorum testimonio ipsum ab uxore nulla ratione dici patiaris,* sed statim subiunxit: « nec contra ipsos aliquos audias, nisi probatae essent vitae et opinionis, de quibus verisimile non esset quod deberent pro aliquo deierare ». Imo Clemens III in cap. *Videtur, qui matrim, accus, possunt,* decrevit: *Quod parentes, fratres et cognati utriusque sexus, in testificatione suorum ad matrimonium coniungendum vel dimittendum admittantur, tam antiqua consuetudine, quam legibus approbatur... Quod vero legitur pater non recipiatur in causa filii, nec filius in causa patris, in criminalibus causis et contractibus verum est.* Ceterum, dato non concesso, quod *per se* insufficientes forent probationes hactenus deductae, omnes dubitationes e medio tollunt physicae corporis mulieris inspectiones.

Si, de iure, probatio inconsummationis haud infirmatur quando vir sub iuramento illam excludit contra testimonium

mulieris, iuramento firmatum et matronarum declaratione confirmatum, a fortiori admittenda est, in causa praesenti, existentia inconsummationis, admissae non tantum a muliere et matronis, sed et ab ipso viro. Igitur valet in casu, et *a fortiori*, conclusio capitis *Proposuisti, de probation.*, in quo Gregorius VIII dixit: « Mulier proposuit, se nec a viro cognitam, nec potuisse cognosci : quod tam proprio iuramento, quam testimonio septem mulierum probavit, quae per aspectum corporis eam esse virginem asseverant, viro autem per iuramentum suum contrarium asserente : videtur igitur nobis, quod iuramento puellae et testimonio illarum septem mulierum fides est potius adhibenda ».

Veracitatem et credibilitatem obstetricum et medicorum ad inspectionem mulieris adhibitorum confirmat ipse Defensor sacri vinculi dicens : ex testimoniis fide dignis constare laudatas personas esse *competenti e di conosciuta probità.*

Neque opponi potest *serotina reclamatio* seu cohabitatio sponsorum per sex menses, cuius virtute negandam dicunt audientiam sero reclamanti ex praescripto Cap. *Accepistis d.e frig. et malef.*, in quo legitur: « Illa autem si prior per annum, aut dimidium, ad Episcopum, aut per eius Missum proclamaverit, dicens, quod non cognovisses eam, tu autem contrarium affirmas, tibi credendum est, eo quod caput es mulieris: quia si proclamare voluit, cur tamdiu tacuit? Cito enim et in parvo tempore scire potuit, si secum coire potuisses ». Nam in eodem capite *serotina reclamatio* admittitur quando ipse vir inconsummationem confitetur concordans cum testimonio mulieris, ut in casu nostro. Dicitur enim : « Accepisti mulierem, et per aliquod tempus habuisti, per mensem aut per tres, aut per annum : et nunc primum dixisti, te esse frigidae naturae, ita ut non potuisses coire cum illa, nec cum aliqua alia : si illa quae uxor tua esse debuit, eadem affirmat, quae tu dicis, et probari potest per verum iudicium, ita esse ut dicitis, separari potestis ». Imo etiam, negante viro inconsummationem, audienda est mulier sero reclamans, quoties certis signis probare potest vel im-

potentiam viri, vel saltem proprii corporis integritatem, Unde DD. communiter docent cum Sánchez 1. 7, disp. 109, n. 6: *temperando: est conclusio,* audientiam negans, *nisi uxor per aspectum probet se non cognitam a viro, ut quae reperitur virgo a matronis illam inspicientibus : tunc enim potius credetur uxori neganti copulam, quam viro affirmanti.*

Ceterum ex mutuis sponsorum incriminationibus, alius alium impotentem , alius alium inconsummationis causam dicens, gravissimum inconsummationis argumentum habetur, nullo ex capite suspectum. Ex septem vero testibus, *sex* notitiam praetensae impotentiae sponsae acceperunt ab sponso, et saltem quatuor, salva eorum bona fide dici debent *interesse habentes,* ut scilicet sponsus purgetur a suspicione impotentiae , agitur enim de genitoribus et de patrinis eiusdem sponsi. Insuper unicus ex testibus qui suspicionem impotentiae accepit a medico Corominas, nihil probat, cum medicus iste in suis depositionibus nihil contra potentiam mulieris deduxerit, imo potentiam viri haud confirmavit argumentis positivis, ni fallor. Si ergo argumenta contra potentiam mulieris, hoc in loco deducta, nullius ponderis comprobantur, gravissimi momenti, e contra, videntur quae contra potentiam viri habentur in actis.

Complures enim testes interrogati circa nonnullas allegationes seu indicia, quae existentiam impotentiae, etiam ante matrimonium, confirmant, ex capite videlicet rumoris seu famae inter socios viri vulgatae, quod scilicet vir inhabilis esset ad nuptias, responderunt, tamquam testes ex auditu, confirmantes huiusmodi indicia.

Quae omnia si cum declarationibus peritorum, qui corpus viri inspexerunt comparantur, maiorem probabilitatem accipiunt et violentam suspicionem impotentiae viri necessario excitant. Ex peritis siquidem nonnulli *negativi,* apparent, id est, nihil contra potentiam viri exponunt, sed neque argugumenta potentiae exhibent : unde potius videntur viro contrarii quam favorabiles. Alii impotentiae suspicionem vel positive admittunt vel indirecte confirmant.

Igitur, non obstantibus declarationibus novissimorum peritorum, *Davalos* scilicet et *Subirà*, omnia rerum adiuncta et totius causae complexus facile suadent valde dubiam fuisse et esse potentiam viri saltem relativam. Imo, ni fallor, habentur in casu omnes illae circumstantiae, tum iuris, tum facti, quae praesumptionem impotentiae canonice confirmant. Quae omnia existentiam inconsummationis luce meridiana clariorem exhibere videntur, omneque rationabile dubium e medio tollere.

Dato et vix concesso quod signa impotentiae viri sint tantum dubia et meram praesumptionem inconsummationis exhibentia, ad impediendam solutionem causae opponi posset, lex de triennali experimento, praesertim cum constet mulierem huiusmodi impotentiam allegare. Tamen haud contrarium menti legis videtur respondere, huiusmodi experimentum proprie requiri quando causa procedit per viam iustitiae seu declarationis nullitatis, non autem, *saltem ita rigorose*, quando agitur de gratiosa dispensatione: imo, dato quod etiam in via gratiosa triennalis cohabitatio de rigore iuris necessaria foret, tamen quando talia sunt rerum adiuncta ut nulla spes habeatur consummationis, quando ex tentaminibus consummationis mulier gravissimum patitur incommodum eiusque valetudo graviter periclitatur, quando sponsi absque ulla reconciliationis probabilitate separati permanent simulque notitia conditionis infaustarum nuptiarum vulgata existit, quae omnia locum habent in causa praesenti, tunc, ni fallor, triennale experimentum non solum haud necessarium dici potest, sed potius periculosum haberi debet minimeque urgendum. Ceterum, quidquid a Doctoribus speculative dicatur, in casu praesenti, in quo omnino proceditur per viam gratiosam, conditiones sponsorum sunt specialissimae, et rerum adiuncta impotentiam suadent: ergo, ex benigna Summi Pontificis dignatione, omitti potest triennale experimentum absque ulla legis vulneratione, absque extraordinaria legis dispensatione proprie dicta. Denique hodie in praxi experimentum triennale vix urgetur in via

gratiosa ; imo causae ex capite impotentiae generatim, relicta provincia iustitiae, solvuntur in via gratiosa, per dispensationem scilicet ad *cautelam* a matrimonio rato et non consummato. A fortiori igitur benignior haec agendi ratio invocari potest in casu proposito, in quo haud verificantur causae et rationes quae huiusmodi legis necessitatem suadebant.

Causae sufficientes ad dispensationem concedendam adsunt ; sed causa praecipua habetur in nota, et ab ipsis sponsis ac testibus admissa, impossibilitate consummationis matrimonii, quae attentis omnibus dici potest vera impotentia, saltem relativa. Porro causa deducta ex impotentia inter gravissimas admitti solet, ipsaque etiamsi sola adducatur, sufficiens iudicari. Schmalzgrueber *Ius Eccles, p. 4, tit. 19, de Divori., § 1,* hanc causam expresse admittit dicens : « Pro sufficientibus in specie habentur... superveniens matrimonio rato impotentia ; quia cessat matrimonii finis ». Cui concordant DD. non pauci, qui hac in re doctrinam Sánchez, 1. 2, disp. 16, *fere in terminis* sequuntur. Nec opponere licet defectum certitudinis circa inpotentiam : nam hisce in rebus sufficere debet *factum* impotentiae aequivalens, scilicet non consummatio matrimonii, non obstantibus et desideriis et iteratissimis conatibus, utriusque sponsi.

VOTUM CANONISTAE. Consultor evincere sibi proposuit, matrimonium in themate non fuisse consummatum; et ad id exclamat : utinam causae omnes matrimoniales, quae in hac S. Congr. discutiuntur, eadem pollerent claritate, eisdem venissent probationibus instructae ac nostra !

Extat enim confessio iurata pluries facta et omnino concors duorum coniugum. Extat depositio quatuordecim testium septimae manus, iuramento confirmata. Extat declaratio quinque aliorum testium. Adest etiam testimonium iuratum obstetricum, matronae honestae, medici et chirurgi. Nec deest opinio seu sententia Rmi Episcopi Barcinonensis. Uno verbo, quotquot desiderari possunt argumenta et probationes, et quot expresse Constitutio *Dei miseratione* Be-

nedicti XIV et Instructio huius S. Congr. *Cum moneat Glossa,* exposcunt tot, et plures adhuc, in casu nostro reperiuntur. Quid ergo nos impedire valebit, ut tamquam certitudine morali certam de non consummatione matrimonii rati inter coniuges istos propositionem amplectamur ?

Praeterea, ait Consultor, matrimonium hoc consummari non potuisse constat ex impotentia viri ; qui etsi centies consummationem attentasset, nunquam ad effectum consummationis venire valuit.

Viri impotentiam evincunt 1. testes rumoris vel potius famae impotentiae Friderici, 2. adminicula, quibus talis rumor aut fama fulcitur ac roboratur ; 3. testimonia patris ac sponsae Friderici de huius impotentia; 4. attestationes iudiciales medicorum, quos Fridericus consuluit ; 5. confessiones ipsius ^Friderici, vel extra vel intra iudicium factae: 6. declarationes a peritis, scilicet, tribus medicis et duobus chirurgis in iudicio probatae, post factam inspectionem corporis Friderici.

Impotentiam vero ad matrimonii consummationem nullo modo tribui posse mulieri, ait Consultor , et probationes huius thesis ita clarae, ita evidentes ac demonstrativae apparent primo intuitu, ut putemus, fas esse nobis eas nunc praeterire.

Haec tamen tria iudicamus esse notanda : 1. Tres obstetrices in hanc definitivam sententiam, post inspectionem corporis sponsae, mirabili concordia convenisse : « angustia ingressus vaginae, aiunt ipsae, eadem est ac aliarum virginum , et non est obstaculum ad consummationem matrimonii ».

2. Depositiones testium *septimae* manus, quos Fridericus in sui favorem induxit, nihil contra potentiam sponsae concludunt, cum omnes testimonio ipsius Friderici unice nitantur.

3. Nullius etiam est roboris argumentum deductum ex secunda ex chartulis a Doctore Iosepho Corominas subscriptis , tum quia in dicta chartula vera impotentia sponsae

non asseritur, imo potius excludi videtur, tum etiam quia nec fuit a principio processus praesentata, quod certe indicare videtur diffidentiam ab sponso ex tali instrumento conceptam, nec a suo auctore fuit recognita et confirmata, etsi ad hanc recognitionem et confirmationem peragendam duplici fuerit ipse citatione ad iudicium vocatus, ut constat ex processu.

Cum vero haec duo argumenta sint unica et exclusiva fundamenta accusationis impotentiae factae a viro contra sponsam suam , evidentissime apparet ipsum a sua accusatione et actione cadere.

Ex dictis, ideo apparet dispensationem peti posse super matrimonio rato et non consummato : concurrunt enim in casu: 1. maxima probabilitas, certitudo moralis potius, de viri impotentia, ut ex supra expositis constat ; 2. salus et forsan ipsa corporis vita uxoris , prout ex processu etiam est manifestum; 3. animae salus amborum coniugum et praecipue sponsae, quae ob insatiabilem viri libidinem et intemperantiam continuo et proximo peccandi periculo maneret exposita. 4. et ultimo pax coniugum , suarum familiarum tranquillitas et scandali publici remotio, quae omnia per unionis maritalis continuationem in pessum irent.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. ¡Fridericus barcinonensis, conditione architectus, cum in quinto supra vigesimum aetatis anno versaretur, Dolorosam, quae histrioniam facit, annos viginti sex vel 28 iam tum, natam, vertente anno 1886, mensis februarii die 6 , in matritensi sancti Martini ecclesia parochiali per verba de praesenti sibi deponsavit.

Expletis nuptiis, vir uxorem traduxit domum: ubi coniuges una simul ad sex circiter menses cohabitarunt ; quibus transactis Dolorosa, suadente matre, salutavit maritales lares, opere imperfectum proclamans matrimonium, virumque traducens in inutile lignum.

Quam rem certam exploratamque habent lectissimi consultores theologus et canonista. Sed negotium facessere vi-

detur quod actoris partes in iudicio sustineat ipsemet Fridericus. Re namque vera, si Fridericus esset ineptus ad opus, minime litem foveret, quippe qui alias nuptias sperare haud posset : adhaec infortunium suum solemnitate iudicii in vulgus ederet.

Huc accedit, ut potissimum in controversiis huiusmodi argumentum, specimen scilicet ab obstetricibus in Dolorosae corpore peractum, haud sit omnibus omnino numeris absolutum. Dolorosa enim in balneo tepentis aquae, priusquam corpus ab obstetricibus recognosceretur, spatio trium horae quadrantium non permansit. Quae res magni prorsus momenti est, ut a fraudibus, quibus mulieres virginitatem pro lubitu simulant, tuti esse possimus.

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SS'**7?** *o pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 25 Iulii 1896, censuit respondere : *Affirmative*, *vetito viro transitu ad alias nuptias, inconsulta S. Congregatione.*

MONTIS ALTI

ONERUM

Die 22 Augusti i896.

Per Summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Constantinus Colletta, loco, vulgo *Patrignone*, Dioecesis Montis Alti, beneficium iuris patronatus laicalis, in Ecclesia S. Mariae de Vyminatu erectum, obtinuerat *die 23 Sept. 1895* praevia legitima praesentatione a Municipio facta et ab *Hominibus Terrae;* ast realem ingredi possessionem recusavit, sequentibus de causis.

Idem Sacerdos iam ab anno 1884 in eadem Ecclesia aliud acquisierat beneficium, cuius in collatione fertur huius onera

fuisse aucta adeo, ut apparuerit hoc beneficium esse residentiale et curam habens animarum, ad gubernii usurpatoris evitandam spoliationem. Reapse Beneflciarius haec onera ferre recusavit et hisce postremis temporibus, praecipiente Episcopo fidelem residentiae observantiam et ministerii pastoralis, hic mordicus restitit et adversus Episcopi intentionem ad S. C. C. recursum habuit, referens, Ordinarium poenis eum mulctasse propter oppositam resistentiam et instantiam S. O. C. oblatam.

Episcopus sciscitatus de sua sententia, hanc rite significavit, et S. C. C. *die 29 Maii 1896* decretum edidit *« Ponatur in folio, idque notificetur Episcopo qui moneat partes, causam disceptandam esse in plenario EE. PP. conventu. »*

At Orator satius putavit, manus dare victas, recedendo a iudiciali instantia, beneficioque controverso nuncium misit. — Interim accidit, quod in eadem Ecclesia aliud vacaverit beneficium, illud de quo supra dictum est quodque in possessione recipere renuit, et praesentis controversiae obiectum est. Nam Episcopus iubet, beneficium habendum esse uti residentiale pro animarum cura exercenda, hoc refragrante Sacerdote Colletta.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO BENEFICIATI. Orator has urget rationes. Ait, Curiae Episcopalis zelum omnem repetendum esse a Vicario Generali, qui Parochus quum sit Ecclesiae loci-*P'atrignone,* in Curia Episcopali residere elegit, transferens onus parochiale in beneficiatos. Etenim tria eiusdem naturae, in hac Ecclesia sunt instituta beneficia iuris patronatus laicalis.

Revera suo beneficio onus non constare residentiae, desumit a ratione agendi Episcopi Aronne, demortui qui sibi alterum ex illis contulit beneficium, anno 1884 expresso pacto, simulandi onus residentiae pro gubernii effugienda usurpatione.

Dein refert Bullas Institutionis eiusdem beneficii, datas a Leone P. XII a. 1825 in quibus ita praebendae declaratur natura: « *Nos. eidem Vincentio, qui alia duo vel tria perpetua simplicia similesque residentiam non requirentia beneficia Ecclesiastica* etc. »

Eadem declaratio continetur in actu captae possessionis concessa a Canonico antiquiore Ecclesiae Cathedralis Montis Alti, aiente agi de « *collatione beneficii perpetui simplicis non residentialis Ecclesiastici* ».

Demum hisce postremis diebus Orator S. C.Congregationem iterum adivit, referens a Vicario generali sibi ablatam fuisse sacras confessiones audiendi veniam, extra Ecclesiam parochialem loci *Patrignone* et petit, hanc interdictionem S. C. Ccncilii relaxari.

EPISCOPI ANIMADVERSIONES. « Paroecia Patrignoni ita constituta est, ut praeter parochum-priorem tres habeat Praebendatos, in quorum numero nunc est presbyter Constantinus Colletta, qui supplicem libellum Sacrae isti Congregationi porrexit ut eius beneficium tamquam exemptum declaretur ab onere tum residentiae, tum coadiuvandi parochum in cura animarum.

« Profecto trium praebendarum natura nequit dignosci ex tabulis fundationis, utpote quae deperditae iam fortasse erant ante huius dioeceseos erectionem , scilicet dum praedicta paroecia subiiciebatur iurisdictioni Episcopi Asculani. Hinc nonnisi ex factis immemorabili consuetudine probatis induci ipsa potest. Iamvero ex hac consuetudine eruitur, iura et onera tum parochi tum praebendatorum esse distributa sequentibus modis :

« Parochus applicat missam pro populo iis festis diebus, quae habentur in duabus hebdomadis consecutivis ; quivis autem ex praebendatis in una ex tribus subsequentibus, iuxta, ordinem dignitatis ; scilicet primus praebendatus immediate post parochum; alter post hunc; et tertius qui nunc est ipse Orator, post omnes.

« 2. Decimae et taxae funerariae ita dividuntur ut paro-

chus percipiat tantum quotam partem duplo maiorem ea quae singulis praebendatis adscribitur. Quod si una ex praebendis vacet, habetur tunc, relate ad decimas, ius accrescendi inter praesentes, et in partibus aequalibus.

« 3. Adsunt alia onera Missarum, quibus statis temporibus parochus cum praebendatis satisfacit sive per turnum, sive in eadem mensura.

« 4. Parochus primus esse debet in infirmis adsistendis ; ei tapien in hoc munere succedunt ex ordine praebendati, ita ut non raro contingat, ut qui ultimum occupat locum per longum tempus hoc onere non gravetur. - Et hoc abunde eruitur ex libris parochialibus, qui testantur, singulos praebendatos infirmis sacramenta persaepe ministrasse. Imo nonnunquam in iis relatum legitur, parochum eidem infirmo Viaticum detulisse; unum ex praebendatis extremam unctionem exhibuisse, et alium eius morti adstitisse. Ex iisdem vero libris apparet praebendatos ita se gessisse nedum dum paroecia proprium parochum habebat, sed etiam quum ipsa regebatur ab oeconomo curato.

« 5. Parochus suppletur a praebendatis in administratione Sacramentorum cum ipse sit impeditus et omnes complent solemniores functiones ecclesiasticas. Hinc, ex. gr., absente parocho, praebendati ministrant baptismum et cetera sacramenta , excepto matrimonio ; assumunt stolam pro parocho in funeribus, processionibus etc.

« 6. Singulis, diebus festis de praecepto cum habeantur duae missae, quarum una primo mane, altera circa meridiem celebratur, singuli praebendati per turnum debent celebrare primam si parochus alteram , et ultimam si parochus primam celebret.

« Quibus positis facili negotio, si quid opinor, dispicitur cuius naturae singulae praebendae sint censendae. Si enim onera et iura praedicta magna ex parte parochialia sint, etiam singula beneficia parochialia et ideo minime simplicia censeri debent. Quod adeo verum est, ut etiam tribunal laicum, nonnullis retro annis, iudicaverit non posse unam

-ex praebendis tunc vacantem supprimi, utpote quae *characterem parochialitatis praeseferebat.* - Sequitur praeterea singulos praebendatos onere residentiae obstringi, licet non •eo strictiori sensu, quo parochus, quia, ipso deficiente, non possunt munia praedicta obiri. - Cum autem Orator appellet ad facta et documenta quae ipsi favere videntur, abs re hinc non erit in ipsis expendendis nonnihil immorari.

« Dicti tare in primis ipse solet non posse praebendas, et multo minus quam ipse possidet, uti minimam inter ceteras, tamquam parochiales haberi, quia nonnunquam simplicibus clericis, qui nec presbyteri postea effecti sunt, collatae fuerunt. - Factum profecto in dubium revocari nequit, et meo iudicio ex eo tantum excusari potest, quod eiusmodi collationes factae fuerunt tempore, quo deficiebant sacerdotes qui praebendati munere fungi possent, et ob spem, quod clerici illi serius ocyus ordinarentur praesbyteri. Quod ex eo etiam evincitur huiusmodi clericos ao|actos postea fuisse ad renuntiandum beneficio « quia onera explere haud valebant » prout legitur in una ex huiusmodi bullis. Ceterum ex documentis in hac cancellaria existentibus id evenisse constat in prima medietate huius saeculi ; quod enim attinet ad tempora anteacta, longe aliter res se habuit. Et sane in Statuto Municipii Patrignoni edito et approbato anno 1558 haec statuuntur circa parochi et praebendatorum electionem, quam municipium peragebat uti patronus : « Proponi et nominari debeant, si prioratus vacaverit, omnes praebendati superati tes primum ; deinde ceteri presbyteri de dicta Terra.... Si vero aliqua praebenda vacaverit, proponi et nominari debeant *omnes presbyteri* de d[a]. Terra_____et qui plures palluctas in eius favorem habuerit is ad Prioratum , vel ad praebendam vacantem eligatur et praesentetur; hoc tamen expresse declarato , quod nullus nisi Prior obtineat duas praebendas. . . . .et si aliter vel alio modo fieri contingat electio nulla sit et nullum sortiatur effectum etc. » Ex quibus satis clare patet, non simplices clericos praebendas obtinere potuisse, sed tantum praesbyteros, prout etiam eruitur ipsas esse con-

siderandas uti parochiales, tum quia ius praebendatis tribuebatur ad prioratum, tum etiam quia prior-parochus ob exiguitatem suae praebendae poterat alteram obtinere. Neque ab his huius curiae praxis penitus discordât; nam cum anno 1751 unam ex praebendis obtinere expetivisset quidam Philippus Fortuna subdiaconus, non prius voti compos fuit ipse effectus, quam deputaverit sacerdotem qui ipsum repraesentaret in coadiuvando parocho in cura animarum , donec eveheretur ad presbyteratum. « Aliud argumentum Orator eruit ex Bulla sui in praebenda antecessoris, in qua dicitur, praebendam personalem residentiam non requirere - et ex eiusdem quadam instantia exhibita mense Septembri 1825 Vicario Capitulari huius Dioeceseos eum in finem ut - si degni verificare che il patronato della prebenda eretta nella chiesa parrocchiale di quella terra (Patrignoni) della quale è stato egli provveduto dalla S. di N. S. Leone XII con Bolla apostolica spedita in Dataria - appartenga al consiglio focolare dello stesso luogo *ex fundatione vel dotatione, et quod nullum Ordinem Sacrum adnexum habent,* rivelandosi tutto ciò dagli stati ultimi della prebenda stessa etc. »

« Vicarius Capitularis ita rescripsit : - Die 6 Septembris 1825- « Illmus D. Vicarius Capitularis Montis Alti... visis praeteritis collationibus *simplicis* eccles, perpetui non *residentialis* beneficii praebenda nuncupati in Parochiali ecclesia S. Mariae Vyminatus in Terra Patrignoni, dixit, decrevit et declaravit antedictam praebendam fuisse et esse de iuspatronatus Dñae Communitatis et hominum Terrae Patrignoni *eamdemque nullum Ordinem Sacrum adnexum habere,* quod plene habetur ex actis asservatis in hac episcopali Cancellaria a D. N. Illma recognitis etc. »

« Non diffiteor huiusmodi documentum alicuius esse ponderis ; verum si ad trutinam res revocetur omnis difficultas, uti mihi videtur, penitus evanescit. Posset in primis inquiri, utrum simplex Vicarius Capitularis potuisset in re tanti momenti suum proferre iudicium , et quomodo fieri possit ut beneficio *simplici* et *ordinem sacrum non requi-*

renti possit esse adnexum onus applicandi Missam *pro populo,* quod est officium veri et proprie dicti parochi *(Conc. Trid. Sess. 23, De ref., c. 1)* et insimul ius percipiendi una cum parocho tum taxas funerarias, tum decimas quae praecipue dantur ob Sacramentorum administrationem. Sed hisce omnibus omissis, quae suum tamen habent pondus, praestat huiusmodi documentum, quod fundatum dicitur in aliis collationibus, aliis documentis exsufflare. Atque in primis ex verbis Statuti Patrignonensis super allatis, satis patet praebendas requirere Ordinem Sacrum, quum praebendati debeant esse presbyteri.

« 2° Municipium Patrignoni die 23 Nov. 1748 supplicem libellum Sacrae isti Congregationi exhibuit, ut Montalti tunc temporis Episcopus revocaret tres praebendatos , qui cum eius licentia paroeciam deseruerant, ne ulterius negligerentur onera praebendarum, scilicet *Y* obbligo di celebrare *pro jpopulo* ed alternativamente la Messa - ogni mattina - sull'aurora ; cantare la Messa e il Vespro nei giorni festivi ecc.» quae omnia « portano la personale residenza, come tutto risulta dalla tabella ».

« 3° Quando an. 1751 supra commemorato Subdiacono Philippo Fortuna col lata fuit una ex praebendis , mentio etiam facta fuit de onere « coadiuvandi parochum in cura animarum » et « per seipsum non per substitutum postquam ad sacerdotium fuerit promotus, inserviendi praefatae Ecclesiae in illaque *residendi* et divina officia cum ceteris Priore et praebendatis, statis diebus, obeundi sub poena privationis ad formam Sac. Conc. Trid. et exempli an. 1602, prout in actis Cancellariae ».

« 4° Factum quod hic innuitur respicit quemdam presbyterum nomine Cintium Leonardum, qui praebenda privatus fuit « ob eiusdem non residentiam et a Servitiis eiusdem praebendae ultra triennium continuum absentiam ».

« Verum quidem est, dici certo certius non posse, utrum duo istaec facta postrema respiciant praebendam ab Oratore possessam, aut aliam quamcumque. At hoc rei qua de agimus

non officit; cum enim praebendae easdem qualitates et onera praeseferant, omnes profecto eosdem in censu habendae sunt, et ideo quod de una dicitur de ceteris etiam dictum putandum est.

« 5° Quid plura? Dum supradictus Vicarius Capitularis aiebat ex actis Cancellariae haberi, praebendam ab Oratore possessam « essejbeneficium simplex non residentiale » in bulla pontificia diei 31 Martii 1817, qua ipsa eadem conferebatur cuidam Tobiae Lucidi legitur «Praebenda aliqualem residentiam requirens » et in bulla diei 22 Octobris dicti anni, qua iterum conferebatur sacerdoti Seraphino Paris, declaratur » residentialis cum honoribus et oneribus ». Intelligi proinde nequit quomodo in collatione facta successori eiusdem Seraphini, praebenda exuerit illico naturam suam, et evaserit beneficium non residentiale.

« Hinc concludi posse videtur, declarationem Vicarii Capitularis contrariam esse Concilio Tridentino et quia detrahit qualitatibus praebendae *Sess. 25, c. 5, De ref.* et quia beneficium parochiale convertit in simplex *ibi cap. 16.*

« Hoc idem sentit parochus Patrignoni, qui tum Oratorem, tum eius praedecessorem semper adegit, licet ipsi aegre hoc ferrent, ad obeunda munia praebendae ».

In litteris S. C. Congregationi datis *die 25 Iulii 1895*, quaeritur Episcopus de sacerdote Colletta, quasi insolenter suam intentionem protueatur adversus Ordinarium.

Uti palam est, quaestio non *iuris*, sed *facti* est. Quaeritur enim an certa onera inhaereant beneficio. Ceterum rescitum est expressum Iuris imperium « *Ut beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur* » nimirum conferri debent neque redditibus diminutis, neque auctis oneribus.

Quare uti refert Fagnanus *c. Significatum, n. 3 et seqq., De praebendis* - praebendis iam erectis, auctoritate ordinaria, non posse nova onera imponi saepius declaravit S. C. C. Onera vero in beneficiis, praecipue tenuioris redditus, praesumi non posse, sed debere invicte probari, exploratissimi iuris est.

Ceterum, deficientibus tabulis fundationis, onerum impositio desumitur et praesumitur ex consuetudine.

Quibus animadversis, quaesitum fuit an onus in themate sufficienter probetur.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa sub die 22 Augusti 1896, censuit respondere: *ex deductis constare, beneficium esse residentiale et coadiutoriale parochi et ad, mentem.*

EX S. CONGREG. EPISC. ET REG.

INSTRUCTIO quoad Clericos Saeculares ac Regulares qui Universitates Gubernii studiorum causa frequentant.

Perspectum est Romanos Pontifices, quavis aetate et ubique locorum, cogitationes curasque suas contulisse in rectam institutionem eorum, qui in sortem Domini vocati sunt. Scholas enimvero, Seminaria, Universitates ipsas studiorum vel erexerunt vel favore prosecuti sunt, in quibus utriusque electi alumni tum humanioribus litteris, cum scientiis omnibus sacris et profanis imbui, et academicis etiam quibuscumque gradibus honestari possent. Ita tamen ut ad veram germanamque scientiam cum fide et pietate coniunctam inforrnarentur; quandoquidem doctrinae ac disciplinae, fidei ac morum moderatio et vigilantia a Sede Apostolica et ab Episcopis exercebantur.

Contingit autem hisce diebus, ob mutatas rerum vices in Italia, nonnullos a clero sive saeculari sive regulari adstrictos censeri ad certos studiorum cursus perficiendos apud civilis Gubernii Universitates; a quibus sapiens ac salutifera Ecclesiae vis sacrorumque Pastorum vigilantia omnino excluduntur. Cum res ita se habeant, quae quantaque discrimina et damna ecclesiasticae iuventuti obvenire possint, nemo est qui non videat. Caute itaque providendum est, ut et assertae necessitatis limites non excedantur et instantia pericula diligenter vitentur. Quamobrem Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium Negotiis praeposita praesentem instructionem, ad mentem Sanctissimi Domini Nostri Leonis P. P. XIII Episcopis ac Superioribus Ordinum et Congregationum in Italia impertire constituit.

I. Quatenus in Universitates admittantur etiam alumni, qui sibi idoneitatem comparaverint extra lycea Gubernii, Episcopi ac Superiores Ordinum et Congregationum religiosarum subditos suos praeparandos non mittant ad dicta lycea, sed potius ad Instituta ecclesiastica, ad scholas, ad collegia, quarum omnino explorata sit optima ac vere catholica instruendi ratio. Si vero ob talium Institutorum, scholarum, collegiorum defectum, vel ob alias graves causas, aliquos mittere ad lycea Gubernii omnino necesse sit, accurate serventur hoc in casu quae infra de accessu ad Universitates constituuntur.

II. Nemo e saeculari clero Universitates Gubernii frequentet absque expressa licentia Episcopi sui; qui in ea concedenda prae oculis tantum habeat quid Dioecesis necessitas exigat, ut in Institutis ad introductionem erectis, sive erigendis, idonei et diplomate muniti professores comparentur.

III. Ordines et Congregationes quae munus docendi non profitentur, non mittant alumnos suos ad Universitates Gubernii. Ordinum autem et Congregationum ex instituto docentium novitii numquam ad dictas Universitates mittantur: professi vero eas non frequentent nisi praehabita expressa licentia Superioris Generalis, qui eam concedit iis tantum qui requiruntur et sufficiunt pro suis collegiis et scholis.

IV. Utriusque cleri alumni ea tantum ementiantur in dictis Universitatibus studiorum curricula, quae referuntur ad lauream vel ad gradus academicos, quibus indigent, obtinendos.

V. Maximi ponderis est mittendorum ad Universitates accuratas delectus. Venia non detur alumnis antequam laudabiliter absolverint integrum cursum tum philosophiae tum theologiae, a statutis Dioecesanis pro clero saeculari, a Constitutionibus Ordinis seu Congregationis pro religiosis praescriptum.

VI. Attendendae equidem sunt in mittendis intellectus, vis et perspicacia, assiduitas in studiis, ingenii indoles, quam bene educatam esse decet, fortem etiam et boni propositi tenacem. Sed summopere inspiciendum et quaenam sit in deligendis animi honestas ac morum integritas. Sint oportet iuvenes qui donum Fidei et vocationem qua in sortem Domini vocati sunt maximi faciant; catholicam Ecclesiam ardenter diligant; venerationem et obedientiam erga sanctam Sedem Apostolicam mente, verbo et opere profiteantur; iuvenes qui Sanctissimae Religionis nostrae documentis imbuti et piis exercitationibus

addicti, morum integritate et vitae vere ecclesiasticae laude praefulgeant. Tales denique deligantur qui fundatam ingerant spem fore ut sua quisque agendi ratione ecclesiastico coetui honorem addant per supereminentiam in scientiis, ac venerationem vindicent per suarum laudem virtutum.

VII. Ad pericula tutius praecavenda curent Episcopi ut sui ecclesiastici alumni, quandiu Universitatem celebrant, morentur in Seminario: hoc non extante, in aliqua domo religiosa, vel saltem apud aliquem probatum Sacerdotem saecularem; nisi forte habeant ibi parentes, in quorum domo habitare possint. Laude etiam ac favore digni viderentur sollertes Sacerdotes, vel saeculares viri spectatae pietatis qui instituèrent, ubi fieri potest, aliquam hospitalem domum pro studentibus ecclesiasticis; in qua isti invenirent, modico impendio, habitationem tutam, studiorum quieti et piae vitae exercitationibus accommodatam.

VIII. Si Universitas sita est extra Dioecesim, Ordinarii alumnorum hos commendent Episcopo loci, cui alumni se sistere cum advenerint, et identidem obsequium praestare teneantur dum ibi permanserint. Ordinarius et Episcopus loci mutuo conveniant ut alumni committantur curae et vigilantiae alicuius Sacerdotis virtute, scientia ac iuventutis experientia praestantis, qui eos dirigat et de eorum agendi ratione identidem Ordinarium instructum reddat. Exigat praeterea Episcopus a suis alumnis frequentes epistolas; et ipse hoc epistolari commercio libenter utatur, ut consiliis et monitis eos instruat, excitet ac sancto proposito confirmet.

IX. Superiores Ordinum et Congregationum praeferant semper Universitates locorum in quibus habent sui Ordinis vel Congregationis Domum; et in hac studentes habitare praecipiat. Si Domum propriam non habeant in ulla Universitatis Sede, curent omnino ut alumni recipiantur in aliam Domum religiosam, vel in Seminarium episcopale, vel in aliud institutum ecclesiasticum. Deficiente Conventu aut Domo propria, numquam mittant ad Universitatem frequentandam unum tantum e suis subditis, sed duos simul aut plures, ut se invicem custodiant, adiuvent et ad officiorum suae vocationis implementum excitent. Iubeant Superiorem Domus vicinioris, vel alium religiosum virum virtute, scientia ac sollertia praeditum, alumnos ipsos identidem visitare; qui eorum vitae genus, studiorum as-

siduitatem exploret, ac referat; ut opportunis consiliis Superior Generalis, prout opus fuerit, providere possit. Curet praeterea Superior Generalis ut alumni sibi litteras dent; et frequentes ipsis rescribat, ut eorum unionem cum Ordinis seu Congregationis capite foveant, eosque paternis instructionibus ac monitis in obedientiae atque observantiae spiritu conservet.

X. Zelo ac prudentiae Episcoporum et Superiorum committitur cura eam Universitatem inter plures eligendi, in qua minora praevideantur pericula, faciliorque ex adiunctis appareat usus consiliorum, quibus quieti, moribus et progressibus alumnorum prospectum sit. Si forte contingat aliquem Professorem habere aliquando lectiones ex professo contra religionem vel contra mores, curent Episcopus et Superior Generalis, ut alumni vel transeant ad aliam Universitatem, vel huiusmodi lectionibus non adsint; freti nimirum dispositione legis quae inscriptionem quidem ad cursum Universitatis requirit, sed ad omnes et singulas lectiones assistentiam non exigit. Ceterum, hoc semoto casu, alumni ecclesiastici lectionibus diligenter adsint, ut proprio in scientiis progressui consulant, condiscipulis exemplum assiduitatis, Professoribus vero obsequii testimonium exhibeant.

XI. Quod ad libros attinet et ad lectionum compendia, in quibus nonnulla fortasse occurrant contra religionem, aut mores, aut veritatem ecclesiasticae historiae, aut iura catholicae Ecclesiae vel Romani Pontificis, quatenus talium librorum vel compendiorum usus vitari nequeat, Episcopi et Superiores prout oportet provideant in casu; ac praeterea curent veneno antidotum praebere per optimos libros suis alumnis comparandos, perque auxilium Sacerdotum doctrina, pietate ac experientia praestantium, qui alumnis opem ferant ad dignoscendos sophismatum insidias, et ad refutandos errores, quibus forte libri scholares vel lectionum summaria inficerentur.

Enixe autem alumnos suos deterreant a lectione ephemeridum vel periodicorum libellorum qui falsis vel periculosis doctrinis, narrationibus, atque illiciis decipiunt, ac recte sentiendi agendique rationem sensim sine sensu turbant atque pervertunt.

XII. Episcopi et Superiores religiosi hortentur subditos suos ut Moderatoribus et Professoribus Universitates observantes se ostendant cum dignitate; condiscipulos vero urbane quidem,

omnes, at neminem valde familiariter tractent. Prohibeant, omnino ne nomen dent Circulis aut aliis quomodocumque vocatis consortiis politicae vel contentiosae indolis; nec umquam adsint convocatis fortasse studentium coetibus, quorum finis aut propositum sit adversus Moderatores vel Professores conqueri sive quomodocumque protestari.

XIII. Episcopi Sedem habentes in civitatibus Universitatum curent Circulos sive Sacerdotes studentium ecclesiasticorum peramanter fovere ubi existunt, sollicite fundare ubi desiderantur. Adhibeant ad hoc operam Sacerdotum sive saecularium, sive regularium, quos magis idoneos iudicaverint; quorum unus saltem Assistentis ecclesiastici munere fungatur. Huius Assistentis erit studentium conventus indicere, eisque praesidere. In his conventibus, studentes ecclesiastici semotis politicis contentionibus et partium studiis, de humanioribus litteris, de historicis disciplinis, de philosophicis vel theologicis thesibus, disserant, decertent vel legant. Nec omittant pias quasdam preces simul omnes fundere, aliosque opportunos religionis ac pietatis actus, statis diebus implendos, constituere: ita ut in his consociationibus laudabilis aemulatio, fraterna charitas, et christiana pietas régnent. In hos ecclesiasticorum Circulos admitti etiam poterunt, caute tamen et approbante Assistente ecclesiastico, studentes saeculares : at ii tantum qui sentiendi aeque atque agendi ratione bene audiant, religione, pietate et optimis moribus commendentur.

XIV. Episcopi et Superiores religiosi suos quisque studentes enixe hortentur ut in sanctae vocationis spiritu firmiter perseverent. Ad quem finem mediis omnibus efficacioribus alacriter utantur, oratione scilicet, Sacramentorum frequentia, piorum actuum exercitio, vanitatum despectu, maiorum et etiam desidiosorum hominum fuga. Religiosis praesertim studentibus commendanda est fidelitas in actibus observantiae, qui eorum statui consentanei sunt, videlicet: singulis diebus mentalis oratio, examen conscientiae, lectio spiritualis, silentium et recessus.

Annualium vacationum tempore studentes religiosi redeant omnino ad suum Conventum vel ad Domum religiosam sui Instituti; ibiqui regularis observantiae actus cum Communitate résumant. Omnes studentes, e clero sive saeculari, sive regulari, dictarum vacationum tempore vacent sanctis spiritualibus Exercitiis.

XV. Si vero, non obstantibus cautelis et diligentiis hucusque indicatis, aliisque quas pastoralis ac paterna sollicitudo suggesserit, Episcopi aut Superiores religiosi noverint aliquem ex suis subditis a recto tramite veritatis aut virtutis declinare, aberrantem absque mora ab Universitate revocent; praestat enim eius cursum studiorum abrumpere, potiusquam ita permittere ut animae ille suae detrimentum patiatur.

Datum Romae ex Secretaria memoratae Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, die 21 Iulii 1896.

I. CARD. VERGA *Praef.*

L. * S.

A. TROMBETTA *Pro-Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

BUSCODUCEN. Dubia quoad officium parvum B. M. Virginis.

Die 24 Aprilis 1896.

Rmus Dominus Guglielmus Van de Ven, Episcopus Buscoducensis, a S. R. Congregatione sequentium dubiorum solutionem humiliter efflagitavit, nimirum:

L An Episcopus ordinaria auctoritate approbare valeat translationem in vernaculam linguam Officii parvi B. M. Virginis, quod legitur in Breviario Romano?

II. Utrum idem Officium, ita translatum et approbatum, in luce edi et adhiberi queat a fidelibus, intra fines dioeceseos Buscoducensis degentibus, et praesertim a Congregationibus religiosis utriusque sexus?

Et Sacra eodem Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad L Affirmative.

Ad IL Affirmative, sed tantum pro recitatione privata.

Atque ita rescripsit. Die 24 Aprilis 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI -S. *R. C. Secretarius.*

Ord. Min. S. Franc. Cappuccinorum.
Dubia quoad commemorationem s. Familiae in suffragiis sanctorum.

Die 13 Novembris 1896.

Viglebani e fundamentis nuper erecta est Ecclesia in honorem Sacrae Familiae Iesu, Mariae, Ioseph, rite benedicta et Hospitio Fratrum Minorum Cappuccinorum adnexa. Exortis nonnullis dubiis quoad commemorationes communes seu suffragia sanctorum, R. P. Franciscus M[a]. a Bistagno, Ordinis Minorum Cappuccinorum et ipsius Ecclesiae atque Hospitii Superior, a Sacra Rituum Congregatione eorumdem dubiorum solutionem humillime flagitavit, nimirum :

I. Utrum in suffragiis sanctorum agenda sit commemoratio Sacrae Familiae titularis Ecclesiae tantum benedictae et non consecratae?

II. Et quatenus affirmative ad primum, sunt ne relinquendae commemorationes de S. Maria et de S. Ioseph?

III. Si negative ad secundum, commemoratio S. Familiae debetne praecedere istis commemorationibus ?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, re accurate perpensa auditoque voto Commissionis Liturgicae, rescribendum duxit:

Ad I. et IL Affirmative.

Ad III. Provisum in Praecedenti.

Atque ita rescripsit. Die 13 Novembris 1896.

C CARD. ALOISI-MASELLA 5. *R.* C. *Praefectus.*

L. * S.

D. PANICI *S. R. C. Secretarius.*

TULLEN, seu SANCTI DEODATI Canonizationis B. Petri Fourier de Mataincouria Sacerdotis Lotharingi Praepositi Generalis et Reformatoris Congr. Salvatoris nostri nuncupatae ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini nec non institutoris monialium Congr. sub titulo Dominae nostrae et regula eiusdem S. Augustini.

SUPER DUBIO

An, et de quibus miraculis, post indultam eidem Beato venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur?

Sanctitas adeo propria Ecclesiae est, ut nota illius sit, et proprietas. Quae quidem praeprimis licet ex capite quod Chri-

stus est, atque ex eius doctrina repetenda sit, in membris etiam eluceat necesse est, quae 'ad Ecclesiam pertinent. Inde fit, ut nullo non tempore viri pietate insignes extiterint, qui omni virtutum genere in exemplum enituerunt, atque ad aliorum lucra naviter iucubuerunt. Quod quidem si unquam alias, luculenter patuit saeculo decimo septimo vertente. Ut enim Francisci Salesii, et Vincentii a Paulo nomina silentio premamus, neminem latet quam pulcrum in Sanctorum semita nomen sibi condiderit B. Petrus Fourier de Mataincouria, e Dioecesi Tullensi sacerdos. Hic sane a teneris mores induit sanctissimos, vitaeque integritate excelluit: nihil in eo non ad christiani pudoris normam exactum, nihil quod ab honesti rectique legibus minimum abesset. Inter canonicos adscitus qui a S. Augustino nomen mutuantur, mirum est quanta contentione, quantaque alacritate religiosae vitae munia obiverit. Curiae Mataincouriensi praefectus, dici vix potest quanta solertia concredito sibi gregi advigilaverit, illud in primis cavens ne impia in Deum coelitesque dicta iactarentur, ne festi dies choreis, comissationibus, rerumque divinarum oblivione et contemptu tererentur, neve vitia, pulso poenarum metu, late vagarentur. Omnem autem contulit operam ut fidei rudimentis minuta plebs imbueretur, ut tenerae puerorum mentes ad pietatem fingerentur, ut odia praesertim restinguerentur omnesque civium ordines virtutum, religionisque studio recalescerent. Pristinae disciplinae restitutor, ac summus magister praepositus Congregationi, cui a *Salvatore nostro* nomen est factum, sapientibus illam communivit institutis, ad perfectioris vitae normam exactis. Virginum collegia, datis legibus, constituit, quibus a *Domina nostra* nomen indidit, quaeque curam omnem, et ingenium ad puellas probe instituendas conferrent, earumque ineuntem aetatem ad religionis rite obeunda munia, et ad eas artes quae bene recteque moratas decent, veluti manu ductarent. Nec minus eduxit B. Petri caritas in populum universum, cuius bono sic studuit, ut animorum salus lex sibi es set suprema. Quae quidem omnia adeo eximiae virtutis ac praeclarae sanctitatis argumento sunt, ut mirum videri possit, tam sero de coelitum sanctorum honoribus illi decernendis, agi coeptum fuisse. Verum, si quis animo reputet.Dei nutu cuncta moderari, impiaque in quae incidimus tempora prae oculis habeat, facile intelliget non opportunum modo, sed maxime utile aetati huic nostrae accidere Religiosum virum inter sanctos coelites

adscribi. Hoc enim praeclaro exemplo palam in primis fit, vera bona, beatitatemque ipsam non in cupiditatibus quaerendam, sed in virtutibus sitam; praesentem hanc vitam non metam sed stadium esse, seu, ut habet Apostolus, non habere hic nos manentem civitatem, sed futuram inquirere: miracula, ut alia omittantur, nedum possibilia sed facta, fierique, iisque bina illa esse accensenda, quae nuper, B. Petro Fourier intercedente, Deus patrare dignatus est.

Horum primum accidit mense Octobri, anno millesimo octingentesimo sexagesimo septimo. Maria Alexandra Virgo Monialis Sodalitatis a *Domina nostra* in asceterio, cui nomen *Abbaye aux Bois* Archidioecesis Parisiensis, linteaminum sarcinam gestans casu corruit, genuque dextro scalas offendit, quod tantum illi peperit dolorem, ut quodammodo necari sibi videretur. Aliquot post diebus dolor evanuit; ast anno insequenti, mense Aprili, denuo adfuit, atque ita recruduit ut decumbere illi fuerit necesse. Dolori enim addita febris, virium debilitas, sensuum deliquia, cibi nausea. Res in peius quotidie mere: vana medicorum remedia, nulla recuperandae valetudinis spes. Supremus dies adesse videtur, quare tum aegrota, tum eius contubernales B. Petrum adeunt, eiusque reliquias cruri infirmo admovent. Dictu mirabile ! Maria Alexandra statim melius se habere, tum lecto desilire, planeque convalescere.

Aliud miraculum die contigit vicesima tertia Iunii anno millesimo octingentesimo octogesimo primo in coenobio Argentinensi, Maria Francisca eiusdem Congregationis sodalis cum plures annos stomachi ulcere perederetur, dies noctesque inter cruciatus duceret, B.Petri opem flagitat,precesque novendiales in eum finem peractae. Postrema die cum nulla adhuc salutis spes affulgeret, extemplo somno corripitur; cum expergiscitur redditam sibi sentit sanitatem. Surgit proinde, coenobii oratorium petit, sacro adest, coelesti epulo reiicitur, sospitatorique suo, cuius eo ipso die statuta solemnia agebantur, grates agit ex animo.

Instantibus idcirco Postulatoribus ut res denuo ageretur, atque ad optatum exitum B. Petri Canonizatio, Deo favente, perduceretur, causae reassumptio indulta est, apostolicique de duobus assertis miraculis confecti processus, eorumque agnita et probata validitas. Deinde, prouti mos est, in antepraeparatorio conventu in Aedibus Rmi Cardinalis Caietani Aloisi-Masella. S. R. Congregationi Praefecti, Causaeque Relatoris, habito pridie

idus Maias anno MDCCCXCV ut in praeparatorio ad Apostolicum Palatium Vaticanum undecimo calendas Maii anno MDCCCXCVI actio instaurata, et accurata facta disquisitio. Demum, decimoquinto calendas Décembres, praedicto anno, coetu Sacrorum Rituum universo coram Sanctissimo Domino Nostro LEONE PAPA XIII coacto, ac per praefatum Rmum Cardinalem Caietanum Aloisi-Masella S. R. C. Praefectum et Causae Relatorem, dubio proposito « *An et de quibus miraculis post indultam eidem Beato venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agituri* » Sanctissimus Pater, Consultorum ac Patrum Cardinalium exceptis suffragiis, praeclaram habuit orationem. Nil tamen eo die decretum, ut tempus precationi esset ad divinam opem in tam gravi difflcilique negotio demerendam.

Hodierno autem die, quo tres Sapientes Deum puerum adora tum perrexerunt, cuiusque patientiam, humili ta temque B. Petrus referre visus est, Sanctissimus Dominus Noster sacris Mysteriis in domestico suo sacello piissime celebratis, ad se acciri iubet in hac Vaticani aula Rmum Cardinalem Caietanum Aloisi-Masella, Sacrae Rituum Congregationi Praefectum et Causae Relatorem, una cum R. P. Gustavo Persiani, S. R. C. Promotoris officio fungente, meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus solemni sanxit decreto: *Constare de duobus miraculis ;* scilicet de primo : *Instantaneae, perfectaeque sanationis Matris Mariae Alexandrae Monialis Professae Congregationis Dominae Nostrae in Monasterio Abbaye aux Bois, a, gravissima arthritide in genu dextero;* deque altero: *Instantaneae, perfectaeque sanationis sororis Mariae Franasene Coadiutricis in Monasterio Argentinensi Dominae Nostrae, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, a gravissimo ulcere in stomaeho.*

Hoc autem Decretum in vulgus edi, et in Sacrorum Rituum Congregationis acta referri mandavit VIII idus Ianuarias, anno MDCCCXCVII.

C. CARD. ALOISI-MASELLA & *R. C. Praefectus.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI, 5. *R.* C. *Secretarius.*

GENEVEN. Dubium quoad occurrentiam secundarum Vesperarum officii Votivi B. M. V. Immac. cum primis vesperis Dominicae sequentis.

Rmus Dnus Ioseph A. Broquet, Vicarius generalis Dioeceseos Geneven., n Sacra Rituum Congregatione humillime postulavit sequentis dubii solutionem, nimirum:

Utrum concurrentibus secundis Vesperis Officii votivi de B. Maria V. Immaculata cum primis Vesperis Dominicae sequentis, Vesperae fieri debeant a capitulo de Dominica, vel potius recitandi sint psalmi de sabbato?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, atque re perpensa, rescribendum censuit:

Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Atque ita rescripsit. Die 3 Septembris 1895.

C. CARD. ALOISI-MASELLA S. *R. C. Praef.*

L. % S.

A. TRIPEPI *Secretarius.*

ROMANA. Dubia quoad Altare, quod communiter dicitur sepulcrum.

Instantibus plerisque Rmis Episcopis variarum regionum, qui sacros ritus et caeremonias iuxta ecclesiasticas praescriptiones ac laudabiles consuetudines in suis dioecesibus observari satagunt, quaestio super Altari quod communiter dicitur *sepulcrum,* alias agitata, Sacrae Rituum Congregationi sub duplici sequenti dubio reproposita fuit, nimirum :

I. Utrum in altari, in quo Feria V et VI Maioris Hebdomadae, publicae adorationi exponitur et asservatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, repraesentetur sepultura Domini, aut institutio eiusdem Augustissimi Sacramenti ?

II. Utrum liceat ad exornandum praedictum Altare adhibere statuas aut picturas, nempe Beatissimae Virginis, S. Ioannis Evangelistae, S. Mariae Magdalenae et militum custodum, aliaque huiusmodi?

Sacra porro Rituum Congregatio in ordinariis comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, ad relationem infrascripti Cardinalis, Sacrae eidem Congregationi Praefecti, exquisitis trium Rmorum Consultorum suffragiis, scripto exaratis, attenta

quoque antiqua et praesenti Ecclesiae disciplina, omnibusque maturo examine perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Utrumque.*

Ad II. *Negative. Poterunt tamen Episcopi, ubi antiqua consuetudo vigeat, huiusmodi repraesentationes tolerare ; caveant autem ne novae consuetudines hac in re introducantur.* Atque ita rescripsit, contrariis quibuscumque decretis abrogatis. Die 15 Decembris 1896.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni XIII. per ipsum infrascriptum Cardinalem relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit, et confirmavit, iisdem die, mense et anno.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus.*

L. & S.

D. PANICI, S. R. C. *Secretarius.*

BELLEVILLEN. Dubia quoad festum, officium et Missam in Ecclesia dicata S. Infantiae Iesu.

Iii Dioecesi Bellevillensi extat Ecclesia parochialis, dicata Sanctae Infantiae Iesu, et Sacerdos eidem Ecclesiae adscriptus, de consensu sui Rmi Episcopi a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum resolutionem humillime postulavit :

I. Quando Festum Titularis Ecclesiae suae sit celebrandum?

II. Quod officium cum Missa sit dicendum in hoc Festo ?

III. An et quomodo facienda sit commemoratio in fine Laudum et Vesperarum inter commemorationes communes?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgiae, omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Die 25 Decembris.*

Ad II. *Officium et Missa de Nativitate Domini.*

Ad III. *Quoad primam partem Affirmative. Quoad secundam , ad Laudes dicatur : Gloria in excelsis Deo etc. nempe antiphona ad Benedictus, in Laudibus Officii de Nativitate Domini. In Vesperis dicatur antiphona ad Magnificat in 2. Vesperis eiusdem Nativitatis, omissis Hodie.* Atque ita rescripsit die 18 Decembris 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA S. R C. *Praefectus.*

L. * S.

D. PANICI *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE STUDIORUM

ORD. PRAEDICATORUM. Confirmatio Constitutionum pro facultate iuris canonici.

Quum Rmus Fr. Magister Generalis Ordinis Praedicatorum constitutiones conditas pro facultate Iuris Canonici nuperrime instituta in Collegio Philosophico Theologico Divi Thomae Aquinatis de Urbe exhibuerit, postulans ut auctoritate pontificia confirmarentur; Sacra haec studiorum Congregatio utendo facultatibus a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII tributis, eas approbandas atque confirmandas censuit, prouti hoc decreto approbat atque confirmat. Quocirca praedictae Facultati Iuris Canonici uti liceat praefatis Constitutionibus huic Decreto adnexis, quarum exemplar in tabulario S. Congregationis asservatur, et frui quoque iuribus ac privilegiis quae in illis continentur, dummodo religiose serventur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae die x mensis iulii MDCCCXCVI.

C. CARD. MAZZELLA *Praef.*

IOSEPH MAGNO *a Secret.*

STATUTA Pontificiae Facultatis iuris canonici in Collegio S. Thomae Aquinatis Romae sub Patrum Ordinis Praedicatorum Regimine erectae.

CAPUT I.

De Facultatis erectione et membris.

I. Penes Collegium S. Thomae Aquinatis Romae sub Patrum Ordinis Praedicatorum regimine, auctoritate pontificia erigitur et canonice instituitur Facultas iuris Canonici cum privilegio Apostolico gradus omnes academicos conferendi clericis, sive propriis sive externis, qui eius scholas rite celebraverint.

II. Praeses facultatis est Magister Ordinis Generalis pro tempore, cuius curis tota Facultas committitur: ipsi ius esto et munus Professores eligere, alumnos recipere, conventus Facultatis convocare eisque praeesse, programmata studiorum et examinum approbare, examinibus praeesse et suffragium ferre,

diplomata graduum conferre omniaque denique providere, quae ad Facultatis decus et incrementum, nec non ad solitam alumnorum in disciplinis canonicis institutionem spectant.

III. Praesidis vices in omnibus suppleat Regens studiorum, iuxta ordinis constitutiones, pro tempore extans in collegio S. Thomae: Ipse in Facultate canonica sicut in Philosophica et Theologica penes Collegium erectis munus Praefecti studiorum agat in omnibus quae alumnorum frequentiam et Professorum diligentiam respiciunt, et praesertim sedulo invigilet, ut quae de studiorum ratione in statutis praescribuntur, fideliter excusationi mandentur.

IV. Praeter Praesidem et studiorum Regentem, membra Facultatis sunt, Professores et Doctores a Generali selecti; cum iure suffragia ferendi de alumnorum scientia per examina ad gradus experienda.

V. Facultas in tutelam fidemque sese recipit Sancti Thomae Aquinatis, quem omnium studiorum Patronum Summus Pontifex Leo XIII scholis praeposuit, nec non S. Raymundi de Pennafort, cuius praeclara in scientiae iuris canonici merita, nedum Patrum Praedicatorum Ordo, sed et omnes iam a saeculis per orbem praedicant iuris magistri. In utriusque patroni festivis diebus, solemniis aderunt omnes alumni et professores in Ecclesia Facultatis peragendis; et scholae vacabunt.

CAPUT II.

De Professoribus et de alumnorum receptione.

VI. Enitendum est, ut ad Professoris munus non vocentur nisi qui Doctores sint in iure canonico, vel quos saltem ex Ordinis Constitutionibus certo constet, gradu Magistri et Doctoris condecoratos, idoneos esse ad disciplinas canonum edocendas. Eos Praeses eligit ex sui Ordinis Patribus, vel, si ei placuerit, ex Doctoribus externis.

VII. Pro institutionibus iuris publici ecclesiastici et privati et pro textu explanando tres distincti nominentur Professores, quibus alii adici poterunt, item a Praeside nominandi, qui eorum vices supplere possint, si morbo aut aliquo impedimento praepediti fuerint ad lectiones habendas.

VIII. Quum clerici Facultatis scholas celebrantes, cursuum triennio rite absoluto et examinum feliciter facto periculo, Do-

ctores et Magistri renuncian iure debeant; enixe hortandi sunt Professores omnes, ut ampliori et profundiori, qua fieri poterit, ratione, materiae pertractentur et genuina in fontibus hauriatur doctrina, subsidio haud omisso melioris notae auctorum sive veterum sive recentiorum, qui solide et altius ius canonicum interpretati fuerint.

IX. Liber instituendus a Praefecto studiorum est, in quo alumni omnes inscribi quotannis debent: eorumque adnotanda nomina et Dioeceses, nec non cursus, quem sequi quisque optet.

X. Nemo ad Facultatis cursus recipiatur qui theologiae studia adhuc non absolverit.

XI. Qui studiis Institutionum in alia Universitate vel in aliquo Seminario, in quo constet eas rite tradi, vacaverit quin baccalaureatus gradum receperit, poterit in Facultatis secundum cursum recipi : sed districtum ab eo subeundum erit examen de universa materia Institutionum iuris publici et privati ut baccalaureatus gradum adipiscatur.

XII. Nulla dabitur dispensatio super obligatione scholas Facultatis celebrandi in secundo et tertio anno, quibus textus canonicus explicatur. Qui tamen licentiae gradum iam penes aliam Universitatem adeptus sit, poterit in tertium Facultatis cursum adscisci.

XIII. Schedula receptionis unicuique alumno danda est, in qua frequentia, diligentia et profectus adnotentur a professoribus per bimestrem. De his accurata habebitur ratio, cum alumni ad examina erunt admittendi.

XIV. Elapso mense novembri nemo recipi ex alumnis poterit, nisi ex Generalis dispensatione, quae per probatas causas et Ordinarii proprii commendatione tantum concedi poterit, auditis studiorum Regente et Professoribus.

CAPUT III.

De Studiorum ratione.

XV. Facultatis cursus triennio absolvuntur. Primo anno vacátur Institutionibus iuris ecclesiastici, sive publici sive privati, atque hic cursus, si oportere iudicabitur, institui etiam potest in tertio anno theologiae. Secundo et tertio anno explicatur textus canonicus.

XVI. In textu canonico, per biennium explanando, binae quotidie lectiones, mane et vespere habendae sunt, quarum quaeque saltem ad integram horam protrahatur. Sed rerum pertractatio amplior prorsus et profundior a Professoribus fiat, prouti et natura exigit Facultatis, privilegio auctae gradus conferendi,, et graduum ipsorum excellentia ac dignitas expostulant.

XVII. Optandum valde est, ut subsidiaria et affinis iuris canonici cathedra penes Facultatem exigatur, in qua per proprium situm Institutorem praecipuae exponentur notiones et quaestiones selectae iuris civilis, huiusque cum iure canonico comparationes. Si haec cathedra instituatur, eius praelectionibus omnes aderunt alumni saltem per biennium.

XVIII. Exercitationes scholasticae, quas circulos vocant, aliquoties privatim in hebdomada, et aliquando per annum solemniter habeantur, quibus interesse omnes debent alumni et uno ex Professoribus adstante et moderante, quaestiones maioris momenti latino sermone defendantur et obiectiones solvantur methodo scholastica. De alumnorum ad huiusmodi circulos frequentia, .ratio etiam habebitur pro eorum ad examina admissione.

XIX. Quotannis typis edenda sunt programmata praelectionum et quaestionum, quae a professoribus per singulos cursus exponendae sunt : huiusmodi programmata a Praeside, collatis cum Regente studiorum et professoribus consiliis, revisenda et approbanda sunt; et publice exponenda una cum Kalendario- et horarum per singulas classes distributione.

CAPUT IV.

De examinibus et de graduum collatione.

XX. Praeter ordinarios Facultatis professores, alios in iure Doctores, etiam e clero saeculari, si ei placuerit, seligendos, advocabit Magister Generalis, ut una simul cum facultatis Professoribus experimenta alumnorum faciant, qui ad gradus contendunt.

XXI. Praeter studiorum programmata etiam examinum theses vel tituli edendi typis erunt, ut alumnis, qui gradibus insigniri expostulant, palam fiant materiae, super quibus periculum scientiae erit peragendum.

XXII. Pro baccalaureatus gradu, theses proponantur saltem triginta, quae praecipua capita Institutionum continere debent.

Eas omnes exponere et defendere paratus sit candidatus coram tribus Professoribus vel Doctoribus; examen ad semihoram saltem protrahatur.

XXIII. Pro licentiae gradu item sexaginta proponantur tituli materiae per annum traditae ex quibus argumenta examinis ad libitum capient tres Professores vel Doctores: experimentum saltem ad tres horae quadrantes protrahi debet.

XXIV. Ad doctoratus gradum obtinendum candidatus paratus sit omnes materias exponere ac defendere quae primo, secundo et tertio anno traditae sunt. Examen tamen pro laurea scriptum erit et orale. Ex centum thesibus et titulis tres sortiantur, ex. quibus eliget quem maluerit candidatus ut dissertationem latine conscribat sex horarum spatio absque libri vel scripti subsidio, (corpus iuris et Conc. Trid. et Vatic, permittuntur) in loco expresse designato uno adstante Professore vel alio a Praeside deputando.

Dissertatio trium Doctorum iudicio subiicietur, quorum approbatio pluralitate suffragiorum necessaria est, ut candidatus ad orale experimentum admittatur.

Orale experimentum fiet coram quatuor saltem Doctoribus, quibus integrum erit quamlibet ex centum thesibus eligere, ita tamen ne singuli eamdem eligant. Ad horam integram saltem examen orale pro laurea protrahatur oportet. Qui pluralitatem votorum adeptus fuerit approbatus censetur.

XXV. Quibus experimentum male cesserit, facultas fit post sex menses ad examen redeundi, quod si tum etiam non probentur, spes alterius experimenti in posterius eis nulla sit

XXVI. De peritia eorum, qui lauream aliosque gradus postulant, non remisse cognoscant Examinatores, ne huiusmodi experimenta ad simplicem speciem reducantur. Et de his conscientia oneratur sive examinatorum, sive Regentis studiorum, sive Praesidis ipsius.

XXVII. Nemini per saltum fas sit gradus adipisci, sed qui ad licentiam contendit iam baccalaureatu; qui ad lauream, licentiae gradu iam insignitus sit oportet.

XXVIII. Examinum, superato periculo, diplomata pro singulis gradibus candidatis conferantur, quae, praeter Facultatis sigillum, Praesidis et Regentis studiorum subscriptione muniri debent. Omnes tamen candidati professionem fidei prius emittant necesse est a Pio IV et IX praescriptam. Diplomata pro bacca-

laureati! et licentia privatim dari queunt; laureae vero publicae conferantur in Aula Facultatis solita apparata pompa.

XXIX. In diplomatibus expressa mentio neri debet Privilegii Apostolici, cuius vi ex Sanctae Sedis delegatione tres Facultatis gradus conferuntur.

CAPUT V.

De statutis interpretandis.

XXX. Nemini fas sit hisce statutis derogare absque venia S. Studiorum Congregationis. Rerum tamen substantia servata, Praesidi ius esto statuta interpretari et declarare, nec non cum difficultatibus componere, quae forte irrepere possint.

Datum Romae die 10 iulii 1896.

C. CARD. MAZZELLA *Praef.*

IOSEPH MAGNO, *a Secret.*

Ordinis Praedicatorum.

Quum Rmus Pater Fr. Magister Generalis Ordinis Praedicatorum enixe rogaverit, ut facultas iuris Canonici quam in Collegio Philosophico Theologico Divi Thomae Aquinatis de Urbe nuper instituere statuit, Apostolicae Auctoritatis munimine et privilegio conferendi gradus academicos clericis eius scholas rite celebrantibus cohonestetur; Sanctissimus Dominus Noster Leo PP. XIII in audientia diei xxvn mensis iunii preces benigne remisit S. Congregationi Studiorum cum facultatibus necessariis et opportunis, ut in perinsigni Divi Thomae collegio Facultas Iuris Canonici, quatenus ad normam ceterarum in urbe existentium sit constituta, canonicae erectionis honore et privilegio conferendi gradus accademicos, iuxta vota, cumuletur.

Itaque quum iam rectae Facultatis institutionis per statuta, decreto huius S. Studiorum Congregationis nuperrime approbata, satis provisum fuisse nobis constet, utendo facultatibus a Sanctissimo Domino Nostro P. P. Leone XIII tributis, eam canonice erigimus, atque decernimus, ut privilegio conferendi gradus academicos, aliisque iuribus ac praerogativis, quibus Instituta gaudent a Sancta Sede rite approbata, uti ac frui va-

leat, servatis tamen constitutionibus ab hac S. Congregatione Studiorum confirmatis. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae die II mensis iulii MDCCCXCVI.

C. CARD. MAZZELLA *Praef.*

IOSEPH. MAGNO *a Secret.*

A Sua Paternità Reverendissima il P. Generale dei Domenicani (Roma)

Reverendissimo Padre Generale.

Con circolare di questa S. Congregazione in data 21 novembre 1879 fu per ordine di Sua Santità comunicata una disposizione della medesima Santità Sua riguardo alla simultanea iscrizione degli studenti al corso teologico e canonico, vietandosi sotto pena di nullità dei gradi la cumulazione del doppio corso.

Cotesto divieto però fu con circolare di questa stessa S. Congregazione in data 20 dicembre 1881 limitato per benigna indulgenza del S. Padre a quegli alunni solamente che cominciano il corso degli studii teologici, non esteso a quelli che avendolo già fatto nei Seminarii volessero perfezionarsi nelle discipline canoniche e teologiche presso gl'Istituti di Roma.

Dopo la prova fatta di siffatta limitazione per decorso di 15 anni, il S. Padre, al quale è tanto a cuore che la istruzione degli ecclesiastici aspiranti a gradi accademici nelle discipline canoniche e teologiche fosse non ordinaria e comune ma superiore, più ampia e profonda, come ben lo richiedono sì l'eccellenza dei gradi e la dignità delle scienze sacre, come le esigenze dei tempi presenti; nella udienza del 27 scorso mese di giugno ordinò al sottoscritto Prefetto di questa S. Congregazione, che fosse revocata la limitazione, onde è parola, estendendo il divieto della simultanea iscrizione al doppio corso di teologia e di testo canonico anche a quei giovani che fatti gli studii nei Semnarii si recano in Roma per prendervi in teologia e diritto canonico i gradi accademici. Restano quindi in pieno vigore per tutti gli alunni universitarii i tre punti della prima circolare 21 novembre 1879 e cioè:

1°. Chiunque nello stesso anno voglia seguire il doppio corso teologico e legale perderà ogni diritto a' gradi accademici in ambedue i corsi.

2°. I Superiori di qualunque scuola, liceo od Università prima di ammetterli all'esperimento per i gradi, dovranno esigere dai canditati un certificato, dal quale consti, che essi al tempo stesso non furono inscritti in altro Istituto.

3°. Nessuno sarà ammesso alla scuola del testo canonico, se non provi per iscritto di aver atteso per un anno alle Isti, tuzioni del diritto canonico presso qualche liceo o Seminario.

Ingiunse inoltre Sua Santità che per* lo studio del testo canonico sia impiegato l'intero biennio con le due scuole quoti diane matutina e vespertina; raccomandando ai rispettivi Professori di trattare ampiamente e profondamente tutte le materie canoniche con le debite applicazioni al diritto ora vigente nella Chiesa.

E codesta maggior ampiezza e profondità d'insegnamento sì nelle discipline canoniche che teologiche, è la ragione appunto intesa dal Santo Padre per vietare a tutti, senza eccezione, la cumulazione de'corsi, non potendo anche gl'ingegni più eletti per molte ore dello stesso giorno seguire ed attendere con profitto a corsi ampii e profondi di materie difficili in se stesse e spesso fra loro disparate.

Coteste disposizioni di S. Santità dovranno essere fatte note agli alunni di ciascun Istituto affinchè nel prossimo anno scolastico 1896-1897 siano fedelmente eseguite. Nei casi straordinarii in cui dai Rmi Prefetti degli Istituti medesimi fosse giudicata necessaria una dispensa sì dal biennio, come dall' obbligo della frequenza di un solo corso, la dispensa secondo la disposizione della Bolla *Quod divina sapientia, tit. I, art. 8,* e circolare 31 dicembre 1878, confermate ancora una volta in questa circostanza dal Santo Padre, dovrà esclusivamente chiedersi per mezzo della S. Congregazione degli studii.

Tanto il sottoscritto Prefetto della Sacra Congregazione degli studii per ordine di Sua Santità deve partecipare alla Paternità Vostra Reverendissima per sua intelligenza e norma.

Roma, 11 Luglio 1896.

Aftezionatissimo per servirla

C. CARD. MAZZELLA.

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

Feria VI. die 18 Decembris 1896.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 18 Decembris 1896 damnavit et damnat, proscriptis proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opella :

Chabauty B. A. — Etudes scripturales, patristiques, théologiques et philosophiques sur l'avenir de l'Eglise catholique, selon le plan divin, ou la régénération de l'humanité et la rénovation de l'univers. — Poitiers, imprimerie-relieuse Oudin et C[ie], 1890.

— Le Système de la Rénovation n'a pas été condamné en lui-même par l'Eglise. Réponse aux adversaires. Poitiers, Typographie Oudin et C[ie].

— Discussion du Système de la Rénovation : (Revue mensuelle 18 fasciculi).

Etat de la question eschatologique ou des choses finales au XIX siècle et le Système de la Rénovation. — L'encyclique sur les études bibliques et ce système — Poitiers, Typographie Oudin et C[ie].

Miralta Constancio (verum nomen: D. Jose Ferrandiz Ruiz).—**: Memorias de un Clérigo pobre,** con un prólogo de Ramon Chies — Madrid, José Matarredona Editor — 1891.

Marsigli Prospero (verum nomen: D. José Ferrandiz Ruiz). — **El Papa y los peregrinos** — cronica verdad de la romería, jubileo en Roma y bodas de Leon XIII. Yersione castellana de P. Biosca. — Madrid, imprenta de Ramon Angulo San Vincente Baja, 78 — 1888.

David L. 0. **— Le Clergé Canadien, sa Mission, son Œuvre** — Montreal 1896. — Decr. S. Off. Per. IV, 9 Decembris 1896.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. L C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 19 Decembris 1896.

ANDREAS CARD. STEINHTTBER PRAEFECTUS

Er. MARCOLINUS CICOGNANI O. P., a Secretis.

Loco Sigilli.

Die 21 Decembris 1896. Ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia *Mag. Curs.*

APPENDIX III.

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST. ; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

S. C. S. Officii 3 Augusti 1858. — Vic. Ap. Honan.
Quoad contractum emptionis venditionis.

Contractus honanensis sic instituitur. Petrus indigens pecunia adhibet mediatores ut agrum suum vel domum consignet et tradat Paulo in usum et etiam dominium aequivalenter translatum, mediante pretio summae sufficientis, factis et scriptis conditionibus quod, post tres annos, ut ordinarie scribitur, Petrus habiturus sit facultatem recuperandi agrum suum vel domum, si velit; quod si, illo trium annorum spatio transacto , non repraesentet sapecas in pretium receptas, ut verbis sinicis utar, Paulus semper et pro semper retineat usquedum sapecae venerint. Aliquando contractus ille aliis verbis sed eodem sensu conscribitur ; sed quomodocumque scribatur , idem est in praxi, propter legem et consuetudinem sine exceptione. *Notandum,* ut scribit Ligorius, *quando agitur de talibus contractibus, non curandum esse de nomine, sed de illorum natura;* parvi ergo refert quod contractus noster forte a quodam *oppigneraiionis* vocatus fuerit propter Synodum Sutchuen. provinciae, probe enim inspecta eius natura, rationem census et venditionis cum pacto redimendi evidenter habet. Duo enim puncta capitalia et essentiam eius constituentia mihi certissime existere constat, sive vi et tenore contractus, sive ex lege, consuetudine, et praxi uniformi, conscientiaque publica.

Punctum primum. — Ager vel domus ita transit in manus, dicamque, dominium aequivalens dominio quod acquiritur vi contractus et venditionis cum pacto reemendi, ut omnia pericula et onera rei in se sumat. Paulus enim debebit postea solvere tributa tam ordinaria quam extraordinaria, repartitiones necessarias facere iuxta conditiones iustas et consuetudine determinatas, et, si ager vel domus pereunt sive alluvione, sive inundationibus, terrae motibus, vel incendiis tam frequentibus, aut occupentur ab inimicis, ut nunc quotidie fit a rebellibus, tunc pereunt pro Paulo, qui suam pecuniam nullo modo recuperare potest. Hoc est tam clarum atque certum ut, dato casu, sinenses nec cogitant quidem de pecunia repetenda, nec possent quidem lega-

Uter coram tribunali. — De contractu hoc honanensi dicendum omnino restat quod Beatus Ligorius scribit in sua Theologia, lib. 3, tract. V, n. 843 *De contractibus: « Gratis autem asseritur hoc esse mutuum virtuale, cum hic contractus omnino differat a mutuo. In mutuo enim, si perit res oppignerata, mutuatario périt; hic autem, si perit res censuata, cernitori perit.* » Et auctor hic remittit ad num. 813, ubi agitur de venditione cum pacto retrovendendi.

***Secundum punctum.* — Cum ille contractus sic in favorem Petri vel venditoris, sequitur, et est, summam seu pretium receptum a Paulo censeri et revera esse alienatam, ita ut nunquam repeti possit ab ipso, neque ad hoc illi datur actio in tribunali. Unde fit ut multae familiae tales possideant terras a 60, 100, 200 etc. annis quas aliquando postea prae paupertate, ut sibi parent ad manducandum, aliis cedere cogantur pro medietate tantum pretii primitivi ab ipsis dati : quod quidem non sic facerent, si possent cogere Petrum ipsum pecuniae duplo maioris receptorem ad restituendum, sicut fit in mutuo. Interim Petrus, dives effectus, ad libitum censurât vel emit alias terras fertiliores, primis derelictis, ad quas recuperandas equidem ius habet, sed non voluntatem. Unde iterum de isto nostro contractu scripta fuerunt verba ista B. Ligorii, lib. 3, tract. V. n. 840, *De contractibus: « Nec valet dicere huiusmodi contractum esse quoddam mutuum virtuale, nam in mutuo cogitur mutuatarius reddere eamdem sortem, sed in censu* (tang) *capitale fit demortuum et tantum reddi potest ad arbitrium venditoris. »* Uno verbo, quidquid B. Ligorius ipse, et Bouvier, et alii theologi dicunt de contractu venditionis cum pacto reemendi, et de censu, verum omnino est de nostro contractu.**

Quod autem in provincia Sutchuen, unde casus fuit expositus S. C, contractus, de quo agitur in Synodo et Theologia D. Perocheau, non istituatur eodem modo quo in Honan, rationes dubitandi sunt : 1. Quod contractus ille ut simplex mutuum usurarium vel antichresis praesentetur, noster autem omnino rationem habet census et venditionis cum pacto reemendi, *t.* Quod antea alio modo iudicabatur ab aliis missionariis in illa provincia, ut scitur et verbis Synodi, in qua asseritur Episcopum Agalhopolitanum contra praxim antiquam primum fuisse qui, hanc ut vetustatem erroris considerans, usurarium esse pronuntiavit contractum Sutchuen. 3. Quod ex expositione illius contractus, ut instituitur in Theologia Perocheau, *De contractibus ;* satis clarum apparet omnino differre a contractu in provincia Honan usitato. Sic enim exponit : *Oppigneratio, ut apud Sinas obtinet, est contractus quo quis fundum vel domum alterius in pignus accipit, tradita domino pecuniae*

summa maiori vel minori fundi vel domus utilitate, sub ea conditione ut, expleto oppignerationis tempore, rei dominus restituat mutuatori integram pecuniam quam ab eo accepit, mutuatur vero reddat rem oppigneratam sibique retineat fundi fructus integros quos durante contractu percepit, etiamsi valor superet industriam et expensas quas pertulit in excolendo fundo. His supponitur, expleto oppignerationis tempore , dominum rei restituere debere mutuatori integram summam; sed quid intelligitur per illa verba *expleto oppignerationis tempore?* Agiturne de illo spatio usitato trium annorum , ut superius diximus, antequam Petrus possit recuperare fundum suum vel domum? Supponiturne hic Paulum, post illud spatium determinatum, posse repetere suam pecuniam sicut in mutuo? Atqui hoc certe falsum esset, nam conditio illa non est nisi in favorem Petri, qui tunc potest recuperare, vel reemere rem suam; sed Paulus nec tunc nec in perpetuum poterit repetere summam suam, nisi quando placuerit Petro, et interim nullum aliud ius habet, nisi patienter expectandi beneplacitum Petri vel haeredum eius. Quod si in expositione Theologiae D. Perocheau dicatur interim sustinere omnia onera et solvere tributa esse adhuc partem officii Petri, dum alter habet solum commoda, falsum hoc est in nostro contractu Honan; onera publica vel tributa non remanent pro Petro, nam illa omnia sustinet Paulus, et solvit tributa tam ordinaria quam extraordinaria.

R. Contractum emptionis et venditionis, prout exponitur, esse licitum, dummodo inter datum et acceptum servetur aequitas iuxta regulas a doctoribus traditas. Praeterea ipsi Vicario Ap. Honanensi iniungatur, ut, data occasione, condoceat fideles S. Sedem olim prohibuisse seu illicitum declarasse contractum *oppignerationis* nuncupatum, primum a Vicario Ap. anno 1779 expositum (et huiusmodi prohibitionem a Patribus Synodi Sutchuen in eorum Synodum relatam fuisse), prout eidem S. Sedi exhibitus fuerat, qui in circumstantiis substantialibus erat omnino diversus.

S. C. Concilii H Martii 1843 — Sylvae Ducis.

Indulgetur facultas applicandi missam paroecialem per sacellanos.

R. P. a Sacretis S. Congregationis de Propaganda Fide, Sacri huius Ordinis definitioni subiecit de mandato SSmi facultatem expetitam a Vicario Apostolico Sylvae Ducis (Bois le Duc), nimirum indulgendi aliquoties parochis Vicariatus ut per sacellanos suos implere possint onus

applicationis Missae pro populo. - Praenotandum in facto est non leves exortas esse in Belgio praesertim controversias, utrum Missae illius applicatio sit onus personale, ita ut per sacellanos seu vice-parochos impleri non possit. Huic controversiae causam dedit opus in lucem editum a sacerdote Varhoesen qui onus illud personale esse demonstravit tum doctrina S. Alphonsi de Ligorio tum S. huius Ordinis resolutionibus. - Praemittendum etiam est, in facto, iuxta statuta synodalia praesertim mechliniensia, Missam parochialem, quae dicitur *summa,* cum cantu expleri statis horis, et ad eam concurrere plebem quae pro certo tenet eam Missam pro se applicari. Ex his factum est ut parochi sive ob legitimum impedimentum, sive etiam absque iusta causa, Missae illius celebrationem et applicationem pro populo sacellanis suis committere consueverint. Nec praetereundum est Vicarium Apostolicum Oratorem, de hac re consultum, responsum dedisse *non posse parocho absque iusta causa* per sacellanos applicare Missam pro populo. Ex his factum est ut quamplurimae excitarentur controversiae utrum onus revera sit personale, et quae esse possit iusta causa ut per alium adimpleatur. Haec erant EE. VV. patefacienda ut verba concessionis librare possint; agitur enim de rescripto quod firmat regulam praesertim in iis ditionibus.

R. Sacra Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit rescribendum : - Pro facultate indulgendi parochis Vicariatus ut per sacellanos Missam pro populo applicare possint in casibus verae necessitatis, et dummodo ex canonica causa fiat, facto verbo cum SSmo. Factaque de praemissis per Subsecretarium S. Congregationis... relatione SSmo Domino Nostro, eadem Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis in omnibus benigne approbavit et confirmavit. Proptereaque eadem Sacra Congregatio supradictam facultatem, superius descriptae resolutionis forma ac tenore in omnibus et per omnia adamussim servatis, memorato Vicario Apostolico benigne impertita est.

S. C. S. Officii IO Martii 1852 — Vic. Ap. Chen-si.
Dubia quoad commercium opii.

Sinica lex, sicuti nunc est et semper stetit ex tempore quo opii usum sinicum gubernium advertit, istius succi venditionem interdicit. Quae interdictio duplici causa nititur: prior quod opium omni virtutis sensu populum destituit, altera quod Imperium depauperai. Sinarum Imperatores virique gerendae reipublicae peritissimi omni ope atque opera enixi sunt, ut prohibitiva lex irrita non esset; innumera edicta promulgata sunt, gravissimisque poenis sancita, europaeus ipsos multis litteris appellaverunt, ut tale commercium facere, sinensesque tentare et corrumpere désistèrent. Attamen, adversante iusta humanaque lege, invaluit malum. Europaei pestilenti commercio finem adeo attulerunt ut de die in diem auxerint. Constat igitur sinenses, qui opium vendunt et emunt, Imperii legum violatores esse. Constat etiam eos ab europaeis mercatoribus adiuvari ut legi fraudem faciant. Ex immoralibus opii usus consequentiis iterum constabit et sinenses et europaeus, qui opium sive ad vendendum, sive ad utendum tractant, in viam moribus christianaeque religioni contrariam immitti. Omnibus revera probatur opii usum corporis et mentis sanitati noxiosissimum esse. Pallor horridaque macies déformant vultum omnium qui opii consuetudine detinentur. Eorum sensus stupescunt hebescuntque ; evanescit memoria, physicae vires dant locum maximae imbecillitati, tota complexio lit livida, languidi sunt oculi, appetitus aut destruitur aut depravatur, ita ut tantummodo sapiant cibi multo cum saccharo conditi ; somnus nec reiicit, nec refrigerai, ita ut isti hominum miserrimi nisi serius, a falso quietis tempore excitari possunt, prima eorum cogitatio ad opium volât, quia ore et gutture sentiunt ignem et siccitatem, quibus ad opium urgentur. Si hora consueta id non accipitur, fit prostratio virium completa, ex oculis et naribus fluit aqua, totum corpus frigore tremit, pectus et caput acerrimis doloribus punguntur; mox sequitur diarrhoea, et, si opium non affertur, saepius post aliquot dies sequitur mors. Talis naturae est opii consuetudo ut per regulatas quantitates expleri non posset: cum tempore succi modus augendus est, et tunc, debilitatis viribus, infirmo labore, victus non amplius comparari possunt, familia non sustentatur et tunc nihil nisi miseria et crimen. Multi nominantur navium duces, qui propter conscientiae stimulos numquam opii advectionem acceperunt, severas, quas experti sunt, tempestates illicito commercio adscribunt, improvisam mercatorum mortem, qui post

multos in Sinis laboris annos ad patriam redeunt, ut male acquisitis divitiis fruantur, Dei vindictam proclamant.

Atqui nobis catholicis missionariis regula tam gravi de re definitiva deest. Instructio S. Congregationis die 23 Iun. 1830 de opii quaestione insufficiens est, quia tantummodo remota Theologiae principia ad quaestionem relativa continet. Sed cum ex principiis in S. Congregationis Instructione praedicta positis futurum videatur ut opii commercium ab Ecclesia damnetur, ideo enixis precibus rogamus ut Apostolica Sedes quaestionem dirimere dignetur.

R. Commercium et usum opii, prout exponitur, esse illicitum, ideoque Vicarii Ap. prudenter omnem curam adhibeant ad usum et commercium istud extirpandum. — SSmus D. N. Pius d. p. PP. IX resolutionem EE. approbavit.

S. C. S. Officii 27 Martii 1878 — Dubia quoad usum opii.

Sollicitandus aliquibus missionariis ac Episcopo provinciae N., in Sinis, ponitur sequens propositio: Nostrae provinciae populum civili pace iterum regente, opii plantatio valde extenditur in occidentalibus Sinensis Imperii provinciis, in N. praesertim, ab intestinis depauperata pugnis ac horribili cum modo depopulata. Neophyti atque pagani incolae multi, quibusdam in districtibus Imperatoris indulgentia utuntur, qui provinciae gubernatoribus precantibus, per decennium opii plantandi prohibitivam legem abrogavit, atrocis indigentiae causa, propter quam causam dura sollicitudine provincia distringitur. In N. districtu, nulla spes missionariis fidem propagandi, opii plantatione non tolerata, praesertim apud ruricolas, qui catholicae doctrinae quam opii plantationi valedicere malunt. Positis populi paupertate ac christianorum infirma fide, opii plantatio sic invaluit, ut, ad illam extirpandam, mandarinis non impedientibus, ecclesiastica lex non sufficiat. Civitatum christiani adhuc immunes supersunt multi, licet quidam opii commercium exerceant, quidam autem fumigent.

Ex Responsione S. G. S. O., data die 10 Martii anni 1852 Vicario Ap. Chensi in Sinis, constat *usum et commercium opii esse illicitum prout exponitur;* at opii pravi effectus nimis vivacibus coloribus depicti videntur, quamvis ex habituali opii usu gravia mala, sive physica sive moralia, omnibus consentientibus, tum quoad ipsos homines huic vitio deditos, ac eorum familias, tum quoad totam societatem de-

riventur. Insuper S. G. de plantatione non loquitur, quamvis plantantes quodammodo cooperatores in causa videantur.

Non opii absolutus usus desideratur, si quidem individui familiae, societatisque bono adversatur, sed opii plantandi tolerantia optatur, quia, illa tolerata, multi fierent christiani; fatendum est tamen huiusmodi christianos tepidos esse. Moderatus opii usus pariter optatur, pro quibusdam personis ex inveterato usu opii fumo deditis, quae, sine gravi sanitatis detrimento, ac saepe saepius, sine mortis periculo, opio valedicere nequeunt; sive forti eorum corporis habitudine, sive animi vi, qua sibimetipsis imperantes, nunquam in opii usu excedant, in ipsis quidem non tam tristes suboriri effectus constat, praesertim si per modum medicinae et iam provecta aetate opio uti coeperunt. Omnes equidem, illicita opii plantatione, quoddam temporale damnum pati videntur; at populus iste, ea quae sunt spiritus non percipiens, cum modici lucri detrimento ab opii plantatione desistere negat. Sic, illa non tolerata, christiani plures fidem amittunt, infideles amplecti nolunt, ac simul ad aeterna supplicia ruunt. His positis rationibus, S. Congregationi Prop. F. notam facere propositionem opus est quia nobis humillimis sanctae, catholicae, apostolicae ac romanae Ecclesiae sinceris filiis de tam gravi re certa ac definitiva regula deest; ideo enixis precibus humiliter rogamus ut S. G. quaestionem dirimere dignetur.

1. An omnes opium plantantes, sine personarum acceptione, admitti possint ad Sacramenta?

2. An familiae, domino non admisso, saltem eius uxor, pueri, servi ac rustici operarii, ipsum dominum adiuvantes, admitti possint?

3. An qui ex inveterata habitudine opio valedicere impotentes sine mortis periculo vel gravi detrimento, admitti possint?

4. An opium possit sumi per modum medicinae , quia habitudinis periculum imminet?

o. An locantes agros possint permittere locatarios in ipsis agris opium plantare ?

R. Ad 1. Affirmative, attentis expositis.

Ad 2. Provisum in primo.

Ad 3. Affirmative, diligentia et cautelis tamen positis, ut opii abusus malique effectus ex huiusmodi abusu promanantes evitentur.

Ad 4. Affirmative, adhibitis vero omnibus de quibus in tertio.

Ad 5. Affirmative, uti est iam provisum in primo (1).

(1) Recole Yol. XXIV, 506 ubi relata fuit *Instructio* circa opium.

CONSTITUTIO APOSTOLICA Sanctissimi Domini Nostri Leonis divina providentia Papae XIII. De prohibitione et censura librorum.

LEO EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Officiorum ac munerum, quae diligentissime sanctissimeque servari in hoc apostolico fastigio oportet, hoc caput atque haec summa est, assidue vigilare atque omni ope contendere, ut integritas fidei morumque christianorum ne quid detrimenti capiat. Idque, si unquam alias, maxime est necessarium hoc tempore, cum, effrenatis licentia ingeniis ac moribus, omnis fere doctrina, quam servator hominum Iesus Christus tuendam Ecclesiae suae ad salutem generis humani permisit, in quotidianum vocatur certamen atque discrimen. Quo in certamine variae profecto atque innumerabiles sunt inimicorum calliditates artesque nocendi: sed cum primis est plena periculorum intemperantia scribendi, disseminandique in vulgus quae prave scripta sunt. Nihil enim cogitari potest perniciosius ad inquinandos animos per contemptum religionis perque illecebras multas peccandi. Quamobrem tanti metuens mali, et incolumitatis fidei ac morum custos et vindex Ecclesia, maturrime-intellexit, remedia contra eiusmodi pestem esse sumenda: ob eamque rem id perpetuo studuit, ut homines, quoad in se-esset, pravorum librorum lectione, hoc est pessimo veneno, prohiberet. Vehemens hac in re studium beati Pauli viderunt proxima originibus tempora: similique ratione perspexit sanctorum Patrum vigilantiam, iussa Episcoporum, Conciliorum decreta, omnis consequens aetas.

Praecipue vero monumenta litterarum testantur, quanta cura diligentiaque in eo evigilaverint romani Pontifices, ne haereticorum scripta, malo publico, impune serperent. Plena est exemplorum vetustas. Anastasius I scripta Origenis perniciosiora, Innocentius I Pelagii, Leo magnus Manichaeorum opera omnia, gravi edicto damnavere. Cognitae eadem de re sunt litterae *decretales* de recipiendis et non recipiendis libris, quas Gelasius opportune dedit. Similiter, decursu aetatum, Monotheletarum, Abaelardi, Marsilii Patavini, Wiclefi et Hussii pestilentes libros, sententia apostolicae Sedis confixit.

Saeculo autem decimo quinto, comperta arte nova libraria, non modo in prave scripta animadversum est, quae lucem aspexissent, sed etiam ne qua eius generis posthac ederentur, caveri coeptum. Atque hanc providentiam non levis aliqua caussa, sed omnino tutela honestatis ac salutis publicae per illud tempus postulabat : propterea quod artem per se optimam, maximarum utilitatum parentem, christianae gentium humanitati propagandae natam, in instrumentum ingens ruinarum nimis multi celeriter deflexerant. Magnum prave scriptorum malum, ipsa vulgandi celeritate maius erat ac velocius effectum. Itaque saluberrimo consilio cum Alexander VI, tum Leo X, decessores Nostri, certas tulere leges utique congruentes iis temporibus ac moribus, quae ofricinatores librarios in officio continerent.

Mox graviore exorto turbine, multo vigilantius ac fortius oportuit malarum haereseon prohibere contagia. Idcirco idem Leo X, posteaque Clemens VII, gravissime sanxerunt, ne cui legere, neu retinere, Lutheri libros fas esset. Cum vero pro illius aevi infelicitate crevisset praeter modum atque in omnes partes pervasisset perniciosorum librorum impura colluvies, ampliore ac praesentiore remedio opus esse videbatur. Quod quidem remedium opportune primus adhibuit Paulus IV decessor Noster, videlicet elencho proposito scriptorum et librorum, a quorum usu cavere fideles oporteret. Non ita multo post Tridentinae Synodi Patres gliscentem scribendi legendique licentiam novo consilio coercendam curaverunt. Eorum quippe voluntate iussuque lecti ad id praesules et theologi non solum augendo perpoliendoque Indici, quem Paulus IV ediderat, dedere operam, sed Regulas etiam conscripsere, in editione, lectione, usuque librorum servandas: quibus Regulis Pius IV apostolicae auctoritatis robur adiecit.

Verum salutis publicae ratio, quae Regulas Tridentinas initio genuerat, no vari aliquid in eis, labentibus aetatibus, eadem iussit. Quamobrem romani Pontifices nominatimque Clemens VIII, Alexander VII, Benedictus XIV, gnari temporum et memores prudentiae, plura decrevere, quae ad eas explicandas atque accommodandas tempori valuerunt.

Quae res praeclare confirmant, praecipuas romanorum Pontificum curas in eo fuisse perpetuo positas, ut opinionum errores morumque corruptelam, geminam hanc civitatum labem

ac ruinam, pravis libris gigni ac disseminari solitam, a civili hominum societate defenderent. Neque fructus fefellit operam, quam diu in rebus publicis administrandis rationi imperandi ac prohibendi lex aeterna praefuit, rectoresque civitatum cum potestate sacra in unum consensere.

Quae postea consecuta sunt, nemo nescit. Videlicet cum adiuncta rerum atque hominum sensim mutavisset dies, fecit id Ecclesia prudenter more suo, quod, perspecta natura temporum, magis expedire atque utile esse hominum saluti videretur. Plures Regularum .Indicis praescriptiones, quae excidisse opportunitate pristina videbantur, vel decreto ipsa sustulit, vel more usuque alicubi invalescente antiquari benigne simul ac provide sivit. Recentiore memoria, datis ad Archiepiscopos Episcoposque e principatu pontificio litteris, Pius IX Regulam X magna ex parte mitiga vit. Praeterea, propinquo iam Concilio magno Vaticano, doctis viris, ad argumenta paranda delectis, id negotium dedit, ut expenderent atque aestimarent Regulas-Indicis universas, iudiciumque ferrent, quid de iis facto opus esset. Illi commutandas, consentientibus sententiis, iudicavere. Idem se et sentire et petere a Concilio plurimi ex Patribus aperte profitebantur. Episcoporum Galliae extant hac de re litterae, quarum sententia est, necesse esse et sine cunctatione faciendum, ut *illae Regulae et universa res Indicis novo prorsus modo nostrae aetati melius attemperato et observata faciliori instaurarentur.* Idem eo tempore iudicium fuit Episcoporum Germaniae, plane petentium, ut *Regulae Indicis.... recenti revisioni et redactioni submittantur.* Quibus Episcopi concinunt ex Italia aliisque e regionibus complures.

Qui quidem omnes, si temporum, si institutorum civilium, si morum popularium habeatur ratio, sane aequa postulant et cum materna Ecclesiae sanctae caritate convenientia. Etenim in tam celeri ingeniorum cursu, nullus est scientiarum campus, in quo non litterae licentius excurrant: inde pestilentissimorum librorum quotidiana colluvies. Quod vero gravius est, in tam grandi malo non modo connivent, sed magnam licentiam dant leges publicae. Hinc ex una parte, suspensi religione animi plurimorum: ex altera, quidlibet legendi impunita copia.

Hisce igitur incommodis medendum rati, duo facienda duximus, ex quibus norma agendi in hoc genere certa et perspicua omnibus suppetat. Videlicet librorum improbatae lectionis

diligentissime recognosci Indicem; subinde, maturum cum fuerit, ita recognitum vulgari iussimus. Praeterea ad ipsas Regulas mentem adiecimus, easque decrevimus, incolumi earum natura, efficere aliquanto molliores, ita plane ut iis obtemperare, dummodo quis ingenio malo non sit, grave arduumque esse non possit. In quo non modo exempla sequimur decessorum Nostrorum, sed maternum Ecclesiae studium imitamur: quae quidem nihil tam expetit, quam se impertire benignam, sanandosque ex se natos ita semper curavit, curat, ut eorum infirmitati amanter studioseque pareat.

Itaque matura deliberatione, adhibitisque S. R. E. Cardinalibus e sacro Consilio libris notandis, edere *Decreta Generalia* statuimus, quae infra scripta, unaque cum hac Constitutione coniuncta sunt : quibus idem sacrum Consilium posthac utatur unice, quibusque catholici homines toto orbe religiose pareant. Ea vim legis habere sola volumus, abrogatis *Regulis* sacrosanctae Tridentinae synodi iussu editis, *Observationibus, Instructione, Decretis, Monitis,* et quovis alio decessorum Nostrorum hac de re statuto iussuque, una excepta Constitutione Benedicti XIV *Sollicita et provida,* quam, sicut adhuc viguit, ita in posterum vigere integram volumus.

DECRETA GENERALIA

de prohibitione et censura librorum.

TITULUS I.

DE PROHIBITIONE LIBRORUM.

CAPUT I.

De prohibitis apostatarum, haereticorum, schismaticorum, aliorumque scriptorum libris.

1. Libri omnes, qui ante annum M D C aut Summi Pontifices, aut Concilia oecumenica damnarunt, et in novo Indice non recensentur, eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt: iis exceptis, qui per haec Decreta Generalia permittuntur.

2. Libri apostatarum, haereticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum haeresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes, omnino prohibentur.

3. Item prohibentur acatholicoru%i libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri.

4. Libri eorundem auctorum, qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, iure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripta haud fuerint.

CAPUT II.

De Editionibus textus originalis et versionum non vtdgarium Sacrae Scripturae.

5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur.

6. Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliae versiones Sacrorum Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae.

CAPUT III.

De Versionibus vernaculis Sacrae Scripturae.

7. Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri; versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

8. Interdicuntur versiones omnes Sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque

illae praesertim, quae per Societates Biblicas, a Romanis Pontificibus non semel damnatae, divulgantur, cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur.

Hae nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur: iis servatis, quae supra (n. 5) statuta sunt.

CAPUT IV.

De Libris obseenis.

9. Libri, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur.

10. Libri auctorum sive antiquorum, sive recentiorum, quos classicos vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur, quos officii aut magisterii ratio excusat: nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut praelegendi erunt.

CAPUT V.

De quibusdam specialis argumenti libris.

11. Damnantur libri, in quibus Deo aut Beatae Virgini Mariae, vel Sanctis, aut Catholicae Ecclesiae eiusque Cultui, vel Sacramentis, aut Apostolicae Sedi detrahitur. Eidem reprobationis iudicio subiacent ea opera, in quibus inspirationis Sacrae Scripturae conceptus pervertitur, aut eius extensio nimis coarctatur. Prohibentur quoque libri, qui data opera Ecclesiasticam Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt.

12. Nefas esto libros edere, legere aut retinere in quibus sortilegia, divinano, magia, 'evocatio spirituum, aliaeque huius generis superstitiones docentur, vel commendantur.

13. Libri aut scripta, quae narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si pu-

blicentur absque legitima Superiorum Ecclesiae licentia, proscribuntur.

14. Prohibentur pariter libri, qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis, vel aliis eiusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur.

CAPUT VI.

De Sacris Imaginibus et Indulgentiis.

15. Imagines quomodocumque impressae Domini Nostri Iesu Christi, Beatae Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novae vero, sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur, sine Ecclesiasticae potestatis licentia non publicentur.

16. Universis interdicitur indulgentias apocryphas, et a Sancta Sede Apostolica proscriptas vel revocatas quomodocumque divulgare. Quae divulgatae iam fuerint, de manibus fidelium auferantur.

17. Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia.

CAPUT VII.

De libris liturgicis et precatoriis.

18. In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis romani, aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare praesumat: si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur.

19. Litaniae omnes, praeter antiquissimas et communes, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, et praeter Litanias de Beata Virgine, quae in sacra Aede Lauretana decantari solent, et litanias Sanctissimi Nominis Iesu iam a Sancta Sede approbatas, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii. . . . .

20. Libros, aut libellos precum, devotionis, vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae, aliosque huiusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo, praeter legitimae auctoritatis licentiam, publicet: secus prohibiti habeantur.

CAPUT VIII.

De Diariis, foliis et libellis periodieis.

21. Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico iure proscripti habeantur.

Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de huiusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere.

22. Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, in huiusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam, nisi suadente iusta et rationabili causa, publicet.

CAPUT IX.

De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.

23. Libros sive specialibus, sive hisce Generalibus Decretis proscriptos, ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apostolica, aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates.

24. Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos Romani Pontifices Sacram Indicis Congregationem praeposuere. Eadem nihilominus potestate gaudent, tum Suprema Sancti Officii Congregatio, tum Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subiectis. Pro Urbe tantum, haec facultas competit etiam Sacri Palatii Apostolici Magistro.

25. Episcopi aliique Praelati, iurisdictione quasi episcopali pollentes, pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus, licentiam concedere valeant. Quod si iidem generalem a Sede Apostolica impetraverint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex iusta et rationabili causa concedant.

26. Omnes qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. Meminerint insuper qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, gravi se praecepto teneri huiusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant.

CAPUT X.

De denunciatione pravorum librorum.

27. Quamvis catholicorum omnium sit, maxime eorum qui doctrina praevalent, perniciosos libros Episcopis, aut Apostolicae Sedi denunciare; id tamen speciali titulo pertinet ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum doctrinae laude florentium.

28. Expedit ut in pravorum librorum denunciatione non solum libri titulus indicetur, sed etiam, quoad fieri potest, causae exponantur ob quas liber censura dignus existimatur. Iis autem ad quos denunciatio defertur, sanctum erit, denunciantium nomina secreta servare.

29. Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros, aliaque scripta noxia in sua Dioecesi edita vel diffusa proscribere, et e manibus fidelium auferre studeant. Ad Apostolicum iudicium ea deferant opera vel scripta, quae subtilius examen exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum, supremae auctoritatis sententia requiri videatur.

TITULUS IL

DE CENSURA LIBRORUM.

CAPUT I.

De Praelatis librorum censurae praepositis.

30. Penes quos potestas sit sacrorum bibliorum editiones et versiones approbare vel permittere ex iis liquet, quae supra (n. 7) statuta sunt.

31. Libros ab Apostolica Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere: quod si ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id nunquam fiet, nisi obtenta prius sacrae Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea praescriptis.

32. Quae ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus tuendis praepositae, publicari nequeunt.

33. Idem dicendum de Collectionibus Decretorum singularum Romanarum Congregationum: hae nimirum Collectiones edi nequeant, nisi obtenta prius licentia, et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscuiusque Congregationis praescriptis.

34. Vicarii et Missionarii Apostolici Decreta sacrae Congregationis Propagandae Fidei praepositae de libris edendis fideliter servent.

35. Approbatio librorum, quorum censura praesentium Decretorum vi Apostolicae Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci, in quo publici iuris fiunt.

36. Regulares, praeter Episcopi licentiam, meminerint teneri se, sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato, cui subiacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur.

37. Si Auctor Romae degens librum non in Urbe, sed alibi imprimere velit, praeter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii Apostolici, alia non requiritur.

CAPUT II.

De censorum officio in praevio librorum examine.

38. Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatae pietatis et doctrinae viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito. Dei dumtaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem.

39. De variis opinionibus atque sententiis (iuxta Benedicti XIV praeceptum) animo a praeiudiciis omnibus vacuo, iudicandum sibi esse censores sciant. Itaque nationis, familiae, scholae, instituti affectum excutiant, studia partium seponant.

Ecclesiae sanctae dogmata, et communem Catholicorum doctrinam, quae Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, atque Doctorum consensu continentur, unice prae oculis habeant.

40. Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur, Ordinarius, in scriptis et omnino gratis, illius publicandi licentiam, in principio vel in fine operis imprimendam, auctori concedat.

CAPUT III.

De libris praeviae censurae subiciendis.

41. Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae eos saltem subiicere libros, qui divinas Scripturas, Sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Ius Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen, aliasve huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit.

42. Viri e clero seculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant.

Iidem prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.

CAPUT IV.

De Typographia et Editoribus librorum.

43. Nullus liber censurae ecclesiasticae subiectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris praeferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, iustas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit.

44. Noverint Typographi et Editores librorum novas eiusdem operis approbati editiones, novam approbationem exigere, hanc insuper textui originali tributam, eius in aliud idioma versioni non suffragari.

45. Libri ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma.

46. Quicumque librorum venditores, praecipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes, neque vendant, neque commodent, neque retineant: ceteros prohibitos venales non habeant, nisi a Sacra Indicis Congregatione veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant nisi prudenter existimare possint, ab emptore legitime peti.

CAPUT V.

De poenis in Decretorum Generalium transgressores statutis.

47. Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicae, libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Literas nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrunt, Romano Pontifici speciali modo reservatam.

48. Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros, vel earundem adnotationes vel commentarios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.

49. Qui vero cetera transgressi fuerint, quae his Decretis Generalibus praecipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab Episcopo moneantur; et, si opportunum videbitur, canonicis etiam poenis coerceantur.

Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere, decernimus: irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari declarantes, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides quae Nostrae voluntatis significationi his praesentibus ostensis haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. — Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagésimo septimo, VIII Kal. Februarias, Pontificatus Nostri decimo nono.

A. CARD. MACCHI

A. PANICI Subdatarius

VISA

DE CVRIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS

Loco Plumbi

Reg. in' Secret. Br ecium

I. CUGNONIUS

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

FOROLIVIEN. ET BRICTINORIEN.

.MATRIMONII

Die 2 Maii i 806.

Sess. 24 Cap. 1 De Ref.

COMPENDIUM FACTI. Assumpta 32 annos nata, die 13 Novembris 1889, coram proprio parocho matrimonium cum Antonio quadragenario, in dioecesi Forolivien. inivit.

Nuptiae huiusmodi, licet admodum festine conciliatae, mutua voluntate contractae fuerunt, sed infausto omine. Siquidem sponsi usque a prima coniugii nocte incassum, uti videtur, maritale opus pluries aggressi sunt: quapropter mulier, existimans maritum ad coniugalia officia obeunda ine-

ptum, quarta ab initis nuptiis die eum dereliquit et ad paternam domum rediit. A matre deinceps apud maritum reducta est, sed postquam cum eo transegerit alias duas noctes, quin, ut ipsa refert, copulam tentassent, iterum viro valedixit, et amplius ad eum non rediit.

Progressu vero temporis, die nempe 18 Februarii an. 1893, Assumpta civili vinculo haud erubuit alteri viro se devincire, cum quo communem vitam adhuc ducit et prolem genuit. Malefacti postea poenitens, ad Supremum Pontificem enixas dedit preces, supplicans, ut suum matrimonium nullum declararetur ob Antonii impotentiam, vel saltem ei benigne dispensatio indulgeretur, utpote non consummatum.

S. C. Congregatio, cui de more preces transmissae fuerunt, Ordinario Foroliviensi processus instructionem commisit, simul eidem facta facultate utendi, quoad inspectionem corporis viri, simpliciori methodo ad tramites Instructionis *S. Officii « Iudex ad hoc deputatus ».*

Illico Episcopus mandatum exequutus est per seipsum, vel subdelegando pro examine testium extra dioecesim commorantium, et mense Aprili 1894 S. O. misit processum, simul brevissime innuens conclusiones, quae ex processus instructione ei fluere visae sunt ; videlicet : « 1. Plura quidem argumenta sunt, quae viri impotentiam suadent, sed non adeo apodictica apparent, ut ex capite impotentiae matrimonii nullitas decerni possit. 2. Extra omnem dubietatem asserenda videtur non consummatio matrimonii ».

Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Consultor quaerit I° *an constet de nullitate matrimonii in casu,* et quatenus negative: 2° *An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato.*

Itaque ad dubium 1um respondendum mihi esse videtur: *providebitur in secundo.*

Et sane quamvis medici periti, qui corpus Antonii inspexerunt absque haesitatione pronuntient eum ineptum esse ad

generationem et ad simplicem copulam, tamen, ut bene notat ipse Episcopus Foroliviensis, iudex delegatus, cum medici profiteantur: « quod habitus corporalis huiusce viri è in uno stato normale per forma e numero____, neminem latet quam periculosa et incerta sint iudicia de impotentia ex aliis criteriis deducta. Certum quoque est ex actis processus, duabus tantum vicibus coniuges rei matrimoniali exercendae operam dedisse. Iam quis sufficiens putet huiusmodi experimentum ad concludendum quod tempore matrimonii contracti vir laboraverit impotentia, saltem relativa, antecedenti, insanabili ac perpetua? »

Cum ergo de impotentia certum iudicium ferri nequeat, et aliunde, ut videbimus, satis constet de inconsummatione; hinc ad Dubium 1um providebitur in secundo, respondendum esse videtur.

Iam vero ad Dubium 2um *Affirmative* respondendum esse videtur cum satis superque constet de inconsummatione matrimonii et de causarum existentia.

Profecto quamvis ad probandam matrimonii inconsummationem deficiat argumentum, ex inspectione corporis mulieris desumptum, cum mulier prolem susceperit ex viro quocum civiliter coniuncta est; tamen alia argumenta non desunt ex quibus haud minori evidentia inconsummatio deduci potest.

Ac in primis adest testimonium iuratum ipsorum coniugum.

Atqui iuratum ipsorum coniugum testimonium si septimae manus testimonio fulciatur atque aliis praesumptionibus et adminiculis corroboretur, tanti fit non solum ex DD. sententia, Cosci *De sep. tori lib. III, c. 11, n. 146,* et Ursaya *Dis. cid. t. 3, p. 4, p. 4, dis. 212, 138,* sed etiam a praxi S. C. C, ut ex eodem solum pro inconsummatione concludatur.

Iam vero in casu nostro coniugum testimonium his omnibus argumentis adiuvatur, ita ut, quacumque eliminata collusionis suspicione, iisdem fides habenda esse videtur.

Et sane habetur ante omnia concorde septimae manus testimonium; omnes enim testes adducti sub iuramenti fide testantur : « coniuges atque honestos esse et se persuasos verosimile esse ac credere eos vera dixisse », ut exigit Inst. S. C. C. 1840.

Quod quidem septimae manus testimonium maiorem etiam acquirit vim, si advertatur, testes non referre tantum sententiam aliquorum domesticorum, sed ipsam vocem ac famam publicam. Atqui « praesumptionem violentam fama consentiens subministrat », Cap. *Praeterea 27 de Testibus.*

Accedit quod testes non solum affirmant factum inconsummationis, innixi coniugum actoritate, sed praeterea motivum afferunt suae affirmationis ; sc. asserunt se persuasos esse, virum inhabilem esse ad matrimonium contrahendum.

Tandem non desunt alia adminicula atque praesumptiones, quae et ipsa inserviunt ad removendam quamcumque de collusione suspicionem.

Porro *a)* coniuges exhibentur a propriis parochis et testibus ut personae honestae et religiosae; quamvis ergo generatim coniugum testimonium de inconsummatione habendum sit ut suspectum de collusione; utpote quod in causa propria datum, Cosci *De sep. tori lib. III, cap. II, n. 143;* tamen in casu nostro in ipsa honestate et religiositate coniugum non levis habetur praesumptio de eorumdem veracitate.

b) Coniuges testantur factum de inconsummatione non nude, sed cum omnibus circumstantiis; ita ut eorum narratio veridica facile appareat.

c) Quod potissimum est, huiusmodi narratio consona omnino est iis quae ipsi coniuges narrarunt statim ab initio matrimonii : scilicet statim post initas nuptias, idest *tempore non suspecto,* coniuges fassi sunt matrimonii inconsummationem atque uti motivum indicarunt viri impotentiam.

d) Tandem nisi admittatur inconsummatio matrimonii, *et* quidem ob defectum viri, nullum aliud assignari potest rationabile motivum separationis. Non certe odium atque

saltem antipathia inter coniuges; dum, e contra coniuges sponte et mutua voluntate matrimonium iniisse omnes fere testes fatentur. Difficultatem autem facere nequit quod Assumpta post separationem civiliter copulata fuerit alio viro; hoc enim accidit duobus annis et cum dimidio a matrimonii separatione. Sed neque afferri possunt difficultates, quas forsan mulier invenerit in mariti domo. Omnes enim testes conveniunt optime exceptam fuisse a mariti parentibus. Quae omnia confirmantur etiam ex facto quod uterque coniux, statim post separationem, medicos interpellaverint de propria habilitate ad copulam habendam et quinimo vir etiam uxorem fratris interpellavit de sua habilitate.

Quamvis ea quae huc usque allata sunt, satis superque videantur ad probandam matrimonii inconsummationem, tamen maiorem etiam evidentiam acquirent ex altero argumento quod desumitur ex peritorum iudicio qui inhabilitatem Antonii ad copulam habendam, omnino asserunt.

Quam quidem conclusionem deducunt ex minuto examine non solum corporis ipsius Antonii, sed etiam ipsius qualitatum moralium, atque vitae consuetudinis.

Licet autem, ex hoc iudicio concludi nequeat *certo* pro impotentia absoluta vel relativa, antecedenti et perpetua, tamen videtur certo concludi posse saltem pro inconsummatione, spectato praesertim brevissimo paucorum dierum experimento.

Restat nunc aliquid dicendum de causis ad dispensationem obtinendam. Iamvero causae ita breviter et efficaciter ab Episcopo Foroliviensi exponuntur: « Licet mulier male egerit virum suum dereliquens, adulterii immo crimine sese foedaverit cum alteri viro civiliter desponsato, uti coniux adhaeserit, ab Ecclesia tamen subveniendum ei esse videtur per dispensationem a matrimonio rato et non consummato. Revera (ut verbis utar Rmi Vicarii Generalis Brictinoriensis) impossibile est mulieri ad virum suum redire, sive quia adsit animorum dissociatio, inde parta quod vir semel et iterum aut fuit aut ei visus est impotens: sive quia modo

iuncta civili coniugio alteri viro, integra amplius non est; iure civili obstante, ab eodem divertere, praesertim cum prolem ab eo susceperit. Imo quamvis per leges civiles hoc liceret, nec proles extaret, inter divortium et dispensationem non est, si quid opinor, ambigendum hanc omnino seligendam esse, quippe quae et praecaveret damna et continentiae mulieris adhuc iunioris plane consulit ».

Adduci etiam potest impotentia de cuius existentia licet ex superius disputatis certo non constet, constat tamen maxime probabiliter; atqui ait Cosci *(De sep. tori, lib. III, e. 2, n. 386)* « quando impotentia adstruitur pro motivo et causa gratiosa dispensationis, non illam exigit certam et concludentem probationem. Sed satis est quod dicta impotentia sit adeo probabilis ut Summus Pontifex illam veram existimare possit et ad gratiam moveri ».

VOTUM CANONISTAE. Ut Canonistae officium mihi demandatum qua poterò sedulitate expleam, haec Emis Patribus cum debita reverentia et animi submissione subiicienda esse existimo.

In primis quaestio sese offert de validitate matrimonii inter Antonium et Assumptam; quae in dubium ob viri impotentiam revocatur. Iamvero periti a Curia Foroliviensi ad explorationem corporis deputati, postquam descripserint in sua relatione Antonii genitalia, ad hanc conclusionem devenerunt, quod nempe Antonius nedum ineptus sit ad generationem, sed neque ad simplicem copulam cum muliere quacumque.

Profecto si res unice ex hoc peritorum iudicio definienda esset, matrimonii nullitas forsitan in vado posita videretur. Eo vel magis, quia imperfectiones, quas periti in Antonii genitalibus deprehenderunt inter impotentiae signa recensentur a celeberrimo Zacchia, *lib. III, tit. 2, q. IO, n. 3,* et his plene cohaerent, quae observanda praecipit citata Instructio « *Iudex ad hoc deputatus* », in qua legitur: « perscrutandum praecipue utrum illius virilia sint iuxta naturae leges accurate conformata : nimirum an penis naturalem

habeat dimensionem, promptamque erectionem ad coeundum necessario duraturam____an fìbrae compactae et consistentes, seu potius flaccidae lassaeque sint: an testes sanae naturalisque magnitudinis etc. ». Nec probabilius saltem inficiandum agi in casu de impotentia antecedenti et insanabili. Quoad primum enim, cum ex relationibus medicorum impotentia Antonii dicenda sit intrinseca, idest ex vitio naturae seu generali statu organico proveniens, praesumendum esset, illam matrimonium praecessisse, iuxta ea quae tradunt Doctores ReifYenstuel *De frig. et male f. n. 28;* Sánchez *De matr. lib. 7, disp. 103, n. 5;* Maschardus *De prob, conci. 876, n. 19 et conci. 2027, n. 3 etc.* Relate vero ad perpetuitatem, nedum invocari posse cum Card. De Luca *De matr. dec. 11, n. 18* « praesumptio scatens ex eo quod eadem inhabilitas____augebitur de futuro in aetate in qua potentia generandi languet et notabiliter in dies decrescit »; sed adest expressum cognitorum iudicium.

Verum nihilo secius haud est praetereundum non leves existere difficultates, ut admittamus iuridice probatam in Antonio impotentiam, quae matrimonii illius cum Assumpta nullitatem secumferat. Siquidem recolendum est coniuges bis aut ter tantum rem uxoriam perficere tentasse, nec proinde allegari posse canonicam probationem triennalis cohabitationis in *Cap. Laudabilem, De frig. et male f.* praescriptam. Quae quidem, vel saltem frequentiores congressus ad impotentiam demonstrandam necessarii fuissent, attenta praesertim integritate externa genitalium viri, qui a medicis enunciantur « in uno stato normale per forma e numero ». Quod si iis minime obstantibus, iidem medici de Antonii impotentia satis constare censuerunt ex aliis signis in eo deprehensis, animadvertendum est in primis in eorum relatione sermonem esse de quibusdam tantum signis, non vero de omnibus quae Zacchias recenset *loc. cit.* et ex quibus « simul concurrentibus » impotentiam coeundi demonstrari tradit, et deinde eadem signa, ceu refert cl. Gasparri *De matr. tom. 1, n. 253,* ab artis medicae peritis uti incerta haberi. Ceterum

ipsi medici cognitores recurrunt ad argumenta moralia et praecipue innituntur confessioni de propria impotentia ab Antonio emissa, atque ita innuunt potius ex coniecturis quam ex physicis signis iudicium suum efformasse.

Addendum insuper est, Antonium, postquam uxor ab eo divertit, ad medicum Biagini, qui deinde alter fuit ex cognitoribus a Curia deputatis, se contulisse ad privatam corporis inspectionem subeundam. Hic autem medicus, datis litteris ad parochum loci Casticciano, mense Decembri 1889, scribebat: Antonium nullam exhibere anormalitatem in suis generationis organis; et ideo si copulam perficere nequivit, id tribuendum videtur repulsioni, qua mulier patitur erga eundem virum, perlongo statui eius castitatis eiusque parvae intelligentiae. Hisce stantibus , nil mirum si copula carnalis haud perfecta duabus noctibus, quibus aggressa fuit. Iamvero ex huiusmodi verbis non modo confirmationem obtinent ea quae paulo ante de coniecturali iudicio peritorum exposui, sed ipsa eorum conclusio exauctorari videtur. Ne autem fidem dénegem doctori Biagini cum iuratus secunda vice una cum alio perito, die 25 Februarii 1894, Antonii corpus exploravit, in eoque plura impotentiae physica signa deprehendit, necesse est ut admittam a Decembri 1889 ad Februarium 1894 conditionem genitalium viri explorati in deterius versam fuisse, ita ut impotentiae indicia praesetulerint, quae prius non apparebant. At si res ita se habeat, qua ratione tenendum erit eius impotentiam esse antecedentem? Praeterea dato etiam et non concesso probari posse, impotentiam fuisse antecedentem, cum nulla opportuno tempore adhibita fuerint medicamenta, quomodo in probatis erit tunc fuisse irreparabilem ? Concludendum igitur praecipuum impotentiae argumentum in confessione coniugum consistere, quae tamen non sufficit in casu ad matrimonii nullitatem declarandam, praesertim quia bis tantum aut ter inalami experimentum coniuges fecerunt. Unde putarem in casu existere quidem impotentiae viri praesumptionem, sed probationem plenam et iudicialem, quam in re tanti momenti

requirunt Canones, deficere, et proinde propositam quaestionem, ut in similibus S. C. C. consuevit, dimittendam esse responso : *Providebitur in secundo.*

Post haec aliud controversiae punctum quod circa dispensationem vertitur aggrediens praemitto, quod ceteroquin evidens est, rem totam a demonstratione inconsummationis matrimonii pendere. Cum enim ex ipsa facti specie manifestum sit gravissimas dispensandi causas adesse, videlicet vehemens dubium de validitate matrimonii, dissociationem animorum, remotionem scandali aliorumque maiorum, quae ex novo civili vinculo a muliere contracto derivant, supervacaneum omnino videretur de existentia et pondere earumdem causarum fuso calamo disserere. Porro in themate matrimonium opere imperfectum mansisse, uterque coniux, interposita sacramenti religione, fatetur. His autem confessionibus robur accedit ex concordi depositione testium septimae manus, qui nedum iurant plenam fidem coniugum dictis esse adiiciendam, sed etiam quasdam referunt circumstantias, quae tamquam utriusque confessionis adminiculum haberi possunt. Adest igitur iuridica probatio inconsummationis matrimonii a Sacris Canonibus requisita, iuxta mentem *Cap. Laudabilem* § *Si autem De frig. et male f. et Cap. fin. eod. tit.* quae ad moralem certitudinem gignendam sufficere potest.

Neque obest in themate defectus inspectionis corporis mulieris, quae ab alio viro cognita fuit; nam ut monet Ursaya in *Disc. eccl. tom. 3, p. 2, disc. 21, n. 138,* iusiurandum coniugum cum septima manu coniunctum, etiam absque physica exploratione satis est ad probandam matrimonii inconsummationem. Et Sánchez doctorum in hac materia facile princeps *De Matr. lib. 2, disp. 23, n. 1,* clare innuit in huiusmodi casibus praecipuam probationem a confessione partium constitui; corporalem inspectionem vero praecipi ut subsidiarium argumentum, secus enim, ait, hoc remedium dispensationis viduis denegaretur. Quod et S. C C . in praxi constanter tenuit, ceu videre est in Burgi S. Donnini *21 Aprilis et 25 Augusti 1.877,* in Compostellana *14 Decemb. 1878;*

in Viterbien. *28 Frebruarii 1891,* in Regien. *27 Iunii 1891,* in Ooncordien. *29 Augusti 1891,* in Engolismen. *12 Decembris 1891,* aliisque pluribus.

Accedit quod impotentia Antonii licet rigorose probata dici non possit ad nullitatem coniugii ex hoc capite declarandam, valde tamen confert ad moralem certitudinem habendam de matrimonii inconsummatione. Idipsum vero etiam tenendum de publica fama, quae in eumdem virum imperfecti matrimonii causam reiicit.

Quod autem plena fides habenda sit coniugum dictis, veluti iam innui, omnes testes uno ore tuentur, quos inter plurimi sunt omni exceptione maiores, ceteri vero omnes fide digni, ut ex parochorum attestationibus processui adiectis eruitur. Porro, his aliorumque testium dictis attentis, intrare videntur ea quae docet Cosci *De sep. thor. lib. 3, cap. 2, n. 136:* - ibi - « accedente in hac materia iuramento septimae manus consanguineorum aut vicinorum ex parte utriusque coniugis, qui si affirment se firmiter coniugum confessionem esse veridicam, eosque sic delicatam habere conscientiam ut sint incapaces proferre mendacium ac periurium, tamquam purgatores dicti alieni suspicionem collusionis removent ac falsitatis... eorum depositio sufficit pro adhibenda fide coniugibus.

Praeterea collusionis coniugum suspicionem non solum removent testes, de quibus hucusque dixi, sed etiam aliquae circumstantiae apprime notandae. Mulier vix persensit virum ad coniugalem opus ineptum esse, statim illum dereliquit; et in ipsa novitate non post mensem aut duos, sed post paucos dies, proclamavit: « vir quem accepi frigidae naturae est, et non potest illa facere propter quae illum accepi ». Tum se contulit ad medicum Pradella, ut ab eo inspiceretur, ac ita sciret num in conformatione suorum muliebrium adesset obstaculum, ex quo matrimonii consummatio perfici non potuit. Vir pariter statim de sua potentia ad coitum prius fratris uxorem consuluit, et deinde medicum Biagini, penes quem corporali explorationi prima vice

mense Decembri 1889 se subiecit. Iamvero huiusmodi facta quae mature et tempore non suspecto e venerunt, clare ostendunt utrique coniugi statim, et cum nondum de dissolutione cogitaverant, persuasum fuisse post brevissimam cohabitationem et paucos conatus consummationis eorum matrimonium rati confinia non excessisse. Cum igitur nulla alia causa assignari possit discessus mulieris et aversionis animi, concludendum videtur illam verum dixisse cum deposuit: unicam causam, quod a viro discessi, fuisse, quia cum eo explere matrimonium nequivi.

Quibus sic stantibus, ad secundum dubium sub censura EE. PP. putarem esse respondendum: *Consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato, vetito viro transitu ad alias nuptias, inconsulta S. C.*

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. — Labente anno 1889 die 13 novembris Assumpta 32 aetatis annum agens et Antonius 40 aetatis annum egressus, mutuo amore compulsi, iugati sunt. Sed Assumpta posteaquam sex dies cum Antonio mensam et talamum communes habuerat, discessit, virum proclamans palestrae coniugali ineptum.

Non tamen illico Assumpta ad Ecclesiam recursum habuit, sed, quatuor elapsis ferme annis idest die 8 Iunii 1893, postquam cum alio viro pseudo-matrimonium civile contraxerat prolemque susceperat. Quae res argumento est, Assumptam haud sibi persuasum habere se causam bonam fovere.

Idque eo magis timeo, quia medicus Andreas Pradella, qui Assumptae corpus recognovit statim ac illa a viro divertit, quaerenti sapientissime iudici : « An certus si mulierem corruptam, vel virginem mansisse? » respondere specioso sub praetextu detrectat.

Huc accedit, ut Antonius non sat sibi cohaereat. Quamvis enim ingenuitate mirabili in se modo omnem culpam transferat, ab initio tamen, ait, ex mulieris causa accidisse ut matrimonium non perficeretur.

Haec, ut mittam alia, quae ex inquisitione peritia pari ac veritatis studio digesta facile erumpunt, ideo urgeo, quia facta omnia, quae praesentis controversiae cardinem constituunt, innituntur coniugum fidei. Haec si lectissimi consultores theologus et canonista ob oculos habuissent, non solum ad primum ex inscriptis dubiis, sed forsan una mecum praestolarentur responsum — *Negative ad utrumque.*

Quibus animadversis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

1. *An constet de matrimonii nullitate in casu.*

Et quatenus *Negative.*

2. *An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. O. re disceptata sub die 2 Maii 1896 censuit respondere : *Ad primum providebitur in secundo. Ad secundum, affirmative, vetito viro transitu ad alias nuptias, inconsulta S. Congregatione.*

NANOEIEN. ET TULLEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 25 Iulii 1896.

Sess. 24 cap. 5 De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Lombardus Amatus vir militaris in aetate 27 annorum, legitimum matrimonium cum Maria undeviginti annos nata contraxit coram parocho Cathedralis Nanceiensis *die 8 Maii an. 1890.*

Neoconiuges statim communionem vitae instaurarunt, sed si viro fides praestanda erit, haud potuit matrimonium consummari, ait enim ipse : « Je fis au début plusieurs tentatives pour avoir avec ma femme des relations normales. A chaque tentative ma femme poussait des cris et éprouvait des troubles nerveux d'un caractère tel, que moi-même je

me trouvais impressionné, et il me répugnait de recourir à une prise de possession brutale.... tout préoccupé que j'étais du danger de provoquer une nouvelle crise. Bref il n'y eut pas consommation ».

Amatus spe fretus perficiendi tandem copulam, haud destitit tentamina iterare per totum coniugalis cohabitationis tempus, quae inopinate ab uxore abrupta est die *12 Ianuarii 1893,* post duos annos et octo menses a nuptiarum celebratione, aufugiens Nanceium apud aviam.

Frustra maritus studuit revocare Mariam ad concordiam, nam ipsa paulo post intentavit contra virum causam divortii penes Tribunal civile, atque die *26 Iulii an. 1893* favorabilem obtinuit sententiam. Ab hac sententia Amatus appellavit ; sed cum Tribunal secundae instantiae decisionem prioris Tribunalis confirmasset, recursum habuit ad Supremum Pontificem, efïïagitans dispensationem sui matrimonii rati et non consummati.

Processus ex S. C. C. delegatione a Curia Nanceien. confectus fuit, ac mulier quae primo contumacem se reddidit, postea ad exhortationes Nanceien. Episcopi et ipsa in iudicium venit, adducens tres testes et se subiiciens virginitatis experimento, quod tamen fieri non permisit iuxta omnes *Instruct. S. C. C. 22 Augusti 1840* praescriptiones.

Cfoniuges sub iuramento affirmant matrimonii non consummationem, sed minime conveniunt in determinandis causis; sponsus enim asserit non potuisse perficere copulam ob nimiam nervorum mulieris irritabilitatem in tentando coitu, quam proinde opinatur affectam esse *vaginisrni* morbo. Maria vero deponit, Amatum nunquam voluisse coniugale debitum explere, sed tantum uxore turpiter abuti.

Disceptatio Synoptica

Patroni duo in capita dispescunt orationem, ac primo satagunt non consummationem demonstrare, sive ex iurata coniugum confessione, testimonio septimae manus suffulta, sive ex physico virginitatis experimento. Coniuges cafego-

rice affirmant, iuxta oratores, nunquam copulam perfecisse : Amatus enim, praeter ea quae in facti expositione relata sunt ad Iudicis interrogationem : « Les tentatives du debut furent elles renouvelées ? » respondit : « Oui mais le resultat fut toujours le même. Bien plus l'exaltation allait croissant, et pour ce motif, les tentatives furent renouvelées à des intervalles de plus en plus éloignés ». Concinit Maria quae Iudici requirenti « le mariage a-t-il été consommé ? » inquit « jamais ».

Neque in praesenti adesse volunt collusionis suspicionem, quum Amatus quantum potuit restiterit, ne laicum Tribunal divortium decerneret, ac Maria ad ecclesiasticum Tribunal initio, licet ter invitata, accedere hac unica de causa renuerit, ut viro displiceret.

Praeterea coniugum confessionem usque ad evidentiam confirmari ex iis, quae post Mariae fugam evenerunt, existimant oratores. Siquidem post tres dies a discessu Maria ita per epistolam maritum alloquitur : « Vois tu, mon cher Aimée, il y a quelque chose dans notre vie, qui est extraordinaire. C'est que tu n'as jamais fait de moi ta femme. Pourquoi? Dis? Je veux a tout prix le savoir, et les yeux dans les yeux je n'ose pas t'écouter, car malgré mon aplomb apparent je suis honteuse de n'être pas femme dans le fond, et j'en souffre. Est-ce que je te dégoûte? Est ce que tu doutes de ma virginité ? Réponds moi bien franchement et sourtout ne va pas dire que c'est ma faute ». Eodem die Amatus respondens, quin se defenderet, inconsummationem ultro admisit eamque sibi attribuit, ne uxorem quae « subissait alors une crise nerveuse qui semblait toucher la folie » ad amentiam traheret. « Si tu n'as pas été ma femme attribue cela à mon impressionnabilité ». Parum advocatis refert hanc viri responsionem in actis desiderari, cum ex civilis Tribunalis processu, absque dubio, pateat illam conscriptam fuisse.

Eodem ferme tempore, inquiunt procuratores, quo haec eveniebant, sponsi suis manifestabant nunquam inter ipsos

copulam intercessisse. « D'abord en arrivant, ait Dna Geny de Maria, ma petite fille me dit ; Il m'a maltraitée, je crains que cet homme me tue... Puis elle s'enhardit à me faire cette révélation: il n'a jamais fait de moi sa femme ». Idemque vir matri et sorori fassus est. Ac tempore non suspecto, cum Mariae avia metuens ne Amatus ob uxoris fugam vita se privaret, P. Aloysium Cochard e Societate Iesu adierit, eumque vehementer rogaverit, ut Amatum consolari vellet, ac si fieri posset coniuges iterum inter se reconciliaret ; eidem non modo Dna Greny, sed etiam Amatus confessi sunt matrimonium nunquam fuisse consummatum, sicuti R. P. Cochard refert.

Ad testimonia septimae manus pertranseuntes oratores adducunt R. P. Cochard, qui ait: « Oui je tiens pour certain, que au moment de la séparation des époux le mariage n'avait pas été consommé. La raison qui me fait regarder la chose comme certaine, est non pas tant la véracité et l'honorabilité de Mr. Aimée que les circonstances dans lesquelles il me l'a affirmé. Sa femme lui faisait alors un réproche de n'avoir pas consommé le mariage. Si le mariage avait été consommé, il lui était facile de se lever de ce reproche; il avait tant d'intérêt à dire que ce reproche de sa femme n'était pas fondé, il n'ignorait pas que Marie faisait de ce fait une arme contre lui auprès de certaine personne qu'elle consultait et qu'elle indisposait contre lui par ce moyen. J'ajoute qu'il ignorait alors absolument, que ce fait de n'avoir pas consommé le mariage pouvait lui fournir un motif suffisant pour solliciter du Souverain Pontife la dispense du lien matrimonial, et dès lors on ne voit pas pourquoi il aurait laissé peser sur lui cette accusation si le mariage avait été consommé ».

Neque alio modo, inquiunt, loquuti sunt alii testes, qui unanimiter sponsos peierandi incapaces tradunt, et facta etiam ab ipsis asserta confirmant.

Hucusque dicta a coniugibus eorumque testibus mirifice patroni confirmari sustinent ex medicorum sapienti iudicio.

Duo enim periti inter celebriores urbis Nanceiensis, a Iudice selecti, Mariae virginitatem pienissimo testimonio renuntiarunt.

Postea oratores ad praecavendas vinculi defensoris obiectiones, prolixo sermone ostendunt ex praxi S. Cong. hymenis praesentiam esse certum virginitatis signum, ad muliebrium inspectionem necessarias haud esse obstetrices, et posse etiam omitti balneum, dummodo ex aliis de mulieris integritate satis constet.

Altero in capite patroni de causis dispensationis agunt, atque notant inter coniuges istos animorum aversionem adesse ut nulla amplius affulgeat spes instaurandae iterum inter ipsos coniugalis harmoniae. Repetita ipsa inutiliter tentamina, quibus Amatus statim ac uxor ab eo aufugit et etiam dum de civili divortio ageretur, Mariae animum ad se attrahere conatus est, satis hoc probant. Insuper testes omnes quamlibet reconciliationem absolute impossibilem existimant. Atque verba ipsa quae hac de re coniuges habent reconciliationem prorsus excludunt. Vir affirmat : « La réconciliation est aujourd'hui impossible »; et uxor: « Jamais, jamais, jamais. Je proteste énergiquement contre la possibilité d'une réconciliation ». Positis autem huiusmodi dissidiis, inquiunt, dispensationem concedi omnes canonistae profitentur. Inter alios Coscius *De sep. for. lib. 3, cap. 2, n. 117 seqq.* recte adnotat : « Odium tantae est efficaciae, ut inter personas in visas impotentiae coeundi speciem producat, et ubi odium superari non potest, talis impotentia evadit perpetua, redditque moraliter impossibilem matrimonii consummationem ».

Hinc alteram, concludunt, exurgere dispensationis obtinendae causam, quae ex gravi incontinentiae periculo dérivât. Viribus namque pollentes in fiorenti adhuc aetate coniuges iidem constituti reperiuntur, quando passionum impetus facesque libidinis ferventiores esse solent. Civile insuper accedit divortium, quod temporum nequitia, faciliter ad novas ineundas nuptias animos allicere potest.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. Matrimonii vero vindex altera ex parte exorditur a virginitatis experimento, quod etsi semper, uti tradunt Sánchez *De matrim, lib. 7, disp. 108, n. 8,* et Zacchias *quaest, medie, legal, lib. 3, tit. 2, quaest. 7, n. 1,* sit fallaciis et deceptionibus obnoxium plurimas ob causas, maxime in casu timendum de hoc est, cum plura in inspectione frustra desiderentur. Deest enim balneum, et examen peractum est tantummodo a duobus medicis, qui non seorsim, sed una simul mutua ex conspiratione negotium absolverunt. « Cet examen, ait medicus cognitor Marchai, a eu lieu en présence de M.me veuve Gr. et avec le concours de M.r. Alphonse Hergott, professeur à la faculté de médecine ». Nec satis, domina G. Mariae avia, honestae matronae munere functa est, ac praedictus Marchai medicus est familiaris Mariae.

Quapropter valde queritur defensor, quod nostris temporibus maxima facilitate in causis matrimonialibus, omnium gravissimis, antecessorum praescriptiones non adamussim serventur et frequenter admittantur testes, qui in ipsis trioboli controversiis minime attenderentur, atque essent reiecti tanquam a studio partium haud immunes. Dubio procul, ait, a partium studio immunis non censetur domina G., quae Mariae aviae et causae huiusce pars magna est; nec medicus Marchai, qui Mariae eiusque familiae curationem adhibet.

Perperam obiiceretur Mariae non interesse matrimonium dissolvi, urget orator, nam Maria iam petiit et, renitente viro, obtinuit divortium civile, atque percontanti Iudici ecclesiastico: « La réconciliation serait elle possible aujourd'hui entre vous et M. Aimée ì abscisse respondet : « Jamais, jamais, jamais, Je proteste énergiquement contre la possibilité d'une réconciliation ».

Sed, his etiam praetermissis, talia facta prostant in actis quae Sacramenti propugnatori consummationem omnino suadent. Porro Lombardus Amatus coniugali genio indulgere atque suscipere prolem summopere exoptabat, quippe qui Mariam

matrimonio sibi coniunxerat, eius amore captus simul et divitiis illectus. Quo vero ad Mariam quaerenti Iudici : « Mademoiselle Marie accepta-t-elle le mariage de bon coeur? » Lombardus respondit : « Certainement ; elle manifestait alors beaucoup d'affection pour moi ». Quod autem Lombardus Amatus haud mentiatur patet ex depositionibus G. Mariae aviae et R. P. Cochard S. L

Nec quidquam intercessit quod mutuum eorum amorem turbaret, prosequitur orator. Profecto Camilla mater atque Maria soror Lombardi quae (excussae binae sunt per modum unius atque absente matrimonii defensore) ad quaestionem « Combien de temps les époux ont-ils cohabité ensemble? La bonne harmonie existait-elle entre eux? » respondent: « Les époux ont habité ensemble pendant deux ans et huit mois. Une parfaite harmonie semblait régner entre eux, et aux yeux du régiment c'était un ménage modèle ». Ipsemet Lombardus percontatus : « La bonne harmonie dura-t-elle entre vous jusqu'au moment du départ de votre femme? » iureiurando affirmat : « Parfaitement : et rien ne pouvait me faire deviner les difficultés qui ont suivi ».

Quapropter sacramenti vindex sibi persuadere non potest, iuvenes coniuges animo ita ad invicem comparâtes, per duos annos et octo menses eodem in lecto condormiisse, consummatione matrimonii cessante, vel saltem perseverasse coniugalem concordiam, si amplexus fuissent inefficaces.

Orator coram Iudice fatetur, *vaginismi* causa haud potuisse copulam explere cum uxore, sed hoc, iuxta defensorem, falsum ex duobus apparet. Tali enim existente morbo, aliquis medicus consultus esset. Et cum Maria virum exprobrabat : « Il y a quelque chose dans notre vie qui est extraordinaire. C'est que tu n'as jamais fait de moi ta femme. Pourquois, dis? Je suis honteuse de n'être pas ta femme, dans le fond, et j'en souffre. Reponds moi bien franchement, et surtout ne va pas me dire que c'est ma faute »; ipse uxori eius morbum obiecisset. Dum e contra iuxta relationem iudicis laici tribunalis haec Mariae scripsit : « At-

tendu, que dans une lettre en date du 16 Janvier 1893, lettre qui sera enregistrée en même temps que le présent arrêt, Lombard confesse à sa femme qui l'a interrogé à ce sujet - que son excessive nervosité, son incroyable, invraisemblable impressionabilité sont les causes de ce qu'elle lui demande - ; qu'il a ainsi reconnu de la manière la plus cathégorique que l'inaccomplissement du devoir conjugal provenait de son fait et non de celui de sa femme ». Obiter advertit orator memoratam Lombardi epistolam inter acta processus minime prostare; at hoc consultum factum forsitan erit, aut quia actorem evidentissime iugulat, aut quia ipse illam apud se detinet, ad patronos missurus ultima tantum hora, ne compulsation! a iure praescriptae subiaceat, sed indiscussa, veluti per fenestram, intret in aulam iudicii.

Verum, exclamat orator, maiora adsunt: praeterquam quod per duos annos et octo menses coniuges isti constituerunt « un ménage modèle » et quando Maria a viro discessu, ipse testatur: « Rien pouvait me faire deviner les difficultés qui ont suivi »; per longum illud temporis spatium nec Lombardus, nec Maria cuiquam unquam inconsummationem matrimonii affirmavit : nec quisquam hanc rem suspicatus est. E contra post separationem statim inconsummationem matrimonii suadere concordia mirabili uterque pertentat.

Tempore suspecto et a suspectissima fonte matrimonii inconsummationem audivit R. P. Aloisius Cochard e S. I., observat defensor. Re enim vera Domina G. post neptis fugam non solum binis illis matri Lombardi et sorori praetensam inconsummationem matrimonii manifestavit, sed praeterea R. P. Aloisium Cochard adiit: « Madame G. vint un jour, ait Aloisius, me trouver ». Deinde ad Aloisium Domina G. misit Lombardum. Domina G. et Lombardus dictis affirmabant se Aloisium adire, ut iste coniuges ad concordiam reduceret, sed factis comprobarunt se animo intendisse inconsummationem matrimonii coram teste conspicuo

confiteri, coniugalis autem reconciliationis desiderium praetendere ne Aloisius suspectam confessionem haberet. Etenim Aloisius iurat : « Je ne vis pas Marie ». At coniuges ad concordiam adducere non poterat, si alterutrum ne salutavit quidem.

Ita captivata simplicitate R. P. Aloisii, Mariae avia et Lombardus toti in eo fuerunt ut R. Patri matrimonii inconsummationem suaderent. Quaerit denique sacramenti vindex, cur G-eny et Lombardus tanta cura P. Aloisio, qui toto coniugalis cohabitationis tempore neque coniuges unquam vidit, nec unquam audivit de his loqui, enarraverunt inconsummationem matrimonii et nihil dixerunt centenis illis, qui per triginta duos illos cohabitationis menses cum coniugibus egerunt, sive famulatus, sive amicitiae causa atque familiares et intimi coniugibus fuerunt? Illis inconsummationem, si vera esset, narrassent, atque illos coram Iudice induxissent, qui testari possent et de iis, quae tempore non suspecto suis ipsi viderunt oculis atque auribus exceperunt, non P. Aloisium, qui nil vidit nilque audivit tempore non suspecto. At ne unus quidem est ex inductis testibus qui tempore coniugalis cohabitationis audierit aut suspicatus vel a longe sit matrimonii inconsummationem.

Hisce adductis suppositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SSmo. pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO Sacra C. C. re disceptata sub die 25 Iulii 1896 censuit respondere : *Affirmative.*

PIACENTINA IN HISPANIA

INDULTI

Die 22 Augusti 1896.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Ioseph Benavides, anno 1894, dignitate canonici cantoris auctus fuit in Ecclesia Cathedrali Piacentina in Hispania. Hic, quum pluribus iam ab hinc annis Romae moraretur, scholas instituerat sub primis noctis horis celebrandas a iuvenibus gratis erudiendis in idiomatibus exterarum nationum. Obtento canonicatu, ei Roma deserenda erat : quare veniam petiit Romae manendi ad septem menses ; nec non iuvenes , ad centum quinquaginta, scholis addicti *sub die 29 Iunii 1894* supplices petierunt a Sacratissimo Principe, ut indulgere dignaretur viro, de ipsis tam bene merito, dispensationem a canonica residentia. S. C. C. de more votum exquisivit ab Ordinario, qui vicissim Capituli expostulata sententia, eandem *negativam* accepit et S. C. transmisit, suo voto Capituli sententiae accedens. Quare ad instantiam *sub die 23 Iunii 1894* rescriptum fuit « *Lectum* ».

Canonicus Benavides domicilium instauravit Placentinum, sed mense octobri gutture laborare coepit, quo ex morbo ut se reciperet periti consuluerunt canonico Romam petere, ubi sulphureas Tiburtinas aquas inhiaret. Quam ob rem veniam a Capilulo petiit et obtinuit Romae morandi ad duos menses.

His mensibus exactis, medici testati sunt Benavides acerbius in morbum relapsurum si dulce Romae aër derelinqueret et vitam ipsam in discrimine versaturam fore. Exinde Canonicus, prorogationis indultum a Capitulo obtinere desperans, *die 18 Decembris* ad S. C. C. recursum habuit. S. C. C. eadem percontavit Episcopi et Capituli votum, sed *negativum* excepit.

Capituli animadversiones, ab Episcopo approbatae, praecipue eo spectant, ut Capitulares non parum videantur su-

spicari de legitima diuturnioris commorationis ratione, asserentes neque litteram, neque Statutorum spiritus pati huiusmodi longiorem absentiam ab Ecclesia beneficii.

Nihilo secius S. C. C. censuit rescribendum *die 29 Ianuarii 1895: « Attenta medicorum fide, praevia sanatione quoad praeteritum, pro gratia, dispensationis a residentia, usque ad exitum mensis Februarii, absque spe ulterioris prorogationis, arbitrio et conscientiae Episcopi, amissis tantum distributionibus inter vere praesentes* ». Sub fine mensis Februarii Canonicus Benavides, afferens medicorum attestationes , unanimi consilio asserentium , Oratorem Romam deserere non valere quin pergravi valetudinis se obiiceret periculo, ab eadem S. C. enixius expostulabat Indulti prorogationem ; atque hoc *die 9 Martii 1895* obtinuit rescriptum *« Attentis peculiaribus circumstantiis et medicorum fide, pro gratia prorogationis, iisque ad exitum mensis Martii ».*

Verum quia eadem instantia non minori contentione repetita fuit, mense Martio exeunte, edictum fuit *die 6 Aprilis 1895 « Gaudeat impetratis ».*

Tunc Placentiam repetiit Orator, atque canonicale munus assidue explere aggressus, fructus sibi dari expostulavit quos suos fecerat, Romae commoratus cum venia S. Cong. Concilii. Verum hos illi concedere denegavit Capitulum, qua de re Benavides S. C. C. certiorem reddidit et illa respondit die 26 Iunii 1895 « *Vi rescriptorum 28 Ian. et 9 Martii anni currentis, oratorem ius habere ad quotidianas distributiones, iis tantummodo exceptis quae inter praesentes dicuntur, idque notificetur Episcopo* ». At Episcopus, videtur, rescriptum *diei 28 Ianuarii* ita fuisse interpretatus, quasi ei facultas concederetur indulgendi, vel minus, absentiae indultum , quod non concedere statuerat. Reapse fructus trium mensium absentiae Oratoris in tres partes divisos, distribuit, sibi duas partes tribuendo, reliquam Capitularibus^ Namque referunt hanc esse Capituli legem, ut omnes fructus cedant in distributiones, nempe certo modo lucrandas servitio chori.

Insoluta adhuc hac quaestione, sub fine mensis Octobris 1895 alia iterum excitatur ob gutturis morbum, in quem reincidisse querebatur Canonicus Benavides, instans pro licentia abessendi. Duo medici Placentiae de re consulti, respondisse videntur necessarium ei esse, Romam se conferre ad Tiburtinas sulphureas aquas inhiandas. Capitulum, et ipse Episcopus, huic voto non acquiescentes, Oratori concedunt 8 dies ut Matritum petat ad celebriores medicos hac de re consulendos. Examen a tribus medicis institutum fuit, rem moderante D. Moliner, atque concordi opinione sententiam medicorum Placentinorum ratam habuerunt.

Haec tamen Capitulum non movit neque Episcopum, qui Canonici Benavides instantiae resistere prosecuti sunt. Hic rursum ad S. C. C. confugit Romamque ipse concessit, efflagitans, ut sibi tandem ius reddatur, addens Medicorum Romae consultorum aliud favorabile votum. S. C. C. *die 9 Martii 1896* edixit « *Episcopo pro informatione et voto, audito Capitulo, transmissaque eidem Episcopo, in copia, fide medicorum ab oratore exhibita* ».

Episcopus Capituli votum transmisit quod approbare et confirmare testatus est.

Capitulares advertunt, Benavides indultum septem mensium postulasse statim ac Canonicus renunciatus fuit, quo non obtento, ferunt, illum dictitasse se Romam reversurum, hiemali tempore.

Ut Romam Canonicus ad veniret, Capitulum duos concessit menses, sed ulteriores concedere negavit, cum rescivisset, Romae Benavides in scholarum munera alacriter incumbere.

Quum adventante Novembri a. 1895 iterum instaret Orator pro romano itinere, Capitulum 8 indulsit dies, ut Matritum se conferret consulturum celebriores medicos. Matriti vero commorans Benavides, aiunt Capitulares, adeo gutture valuisse, ut *mota suo* orationem habere potuerit in Academia de re historica.

Praeterea advertunt, neminem latere regionem Hispa-

nicam, aquis vel sulphureis praedivitem esse ; quibus Benavides uti poterat etiam Placentiae, non secus ac Tiburtinis aquis Romae fruebatur.

Attestationes medicorum quod spectat, notant Capitulares, non constare Medicos placentinos Canonico consuluisse aquarum Tiburtinarum usum ; Matritensium vero medicorum tantum Doctorem Moliner, in hanc sententiam, reliquisse suam attestationem.

Quoad fructus praebendae percipiendos in animadversionibus, hispanice exaratis, nonnulla habentur omnino huic Ecclesiae specialia ex quibus tamen colligitur canonicum non habere ius percipiendi fructus suae praebendae.

Disceptatio Synoptica

In quaestionis meritum haec advertere praestat. Obstant sane petitioni Canonici Benavides clarissimae legis praescriptiones, iure Decretalium editae in tit. *De Clericis non residentibus in Ecclesia vel Praebenda,* nec non in Concil. Trid. *sess. 24, cap. 2.* Quare possidet ius commune et praevalet quousque non certe constet de legitima absentiae causa; quocirca, his in adiunctis, Titularis saltem per substitutum seu coadiutorem inservire tenetur. Praeterea praxis est S. C. C. medicorum attestationes exigere , iuramento firmatas: in Regien. - *Indulti - die 14 Decembris 1850 § Constans.*

Nihilo secius, in themate , favendum videtur Oratori instantiae, quia infirmitas a residentia excusat, uti planum est; et tunc, *ne afflicto addatur afflictio,* prouti iubet naturale ius, fructus distributionum quotidianarum absenti infirmo non auferuntur. Imo S. C. C. interpretata Concil. Trid. mentem, non semel edixit, Canonico illicite absenti fructus non esse auferendus, antequam per sententiam Iudicis condemnatoriam pateat de illicita absentia: ita referunt Garcias *part. 2, De beneficiis, cap. 2, n. 151 et 152,* post Rotam *in caus. Caurien. Fructuum coram D. Orano, 10 Apr. 1592* Barbosa *cap. 20, De canonicis, n. 22.*

Neque huiusmodi naturalem benignitatem valet remorari, eoque minus impedire oppositio canonicorum aliorumque interesse habentium, quae, comprobata infirmitate seu legitimo residendi impedimento, veluti iniusta et irrationabilis reputatur, ceu testatur resolutio in *Piscien. Indulti 6 Dec. 1760, in Praten. Vacandi a choro 23 Iulii 1764 et in Casertana Indulti abessendi 16 Dec. 1797.* Neque solum patitur aequitas, ut, qui morbum contraxit et inhabilis ad inserviendum aut etiam residendum, beneficium resignare cogatur; sed nec alterum exigitur, ut ad inserviendum vel residendum compellatur per substitutum, veluti S. C. C. declaravit in cit. *Piscien. 23 Iulii 1764.*

Haec vero indulta temporanea, ut plurimum, conceduntur, et triennale spatium excedere non solent. Semper autem conscientia indultorum solet onerari super praecisa necessitate ; et ubi temporanea dantur indulta, clausula communiuntur « si tamdiu infirmitatis causa perduravit. » Alterum referam exemplum , ex quo etiam patet *gratias,* etsi *iam factas,* solere remitti *arbitrio* Episcopi, quin exinde rescripti forma evadat *commissoria.* In themate vero Episcopus ita interpretatus est Rescriptum *die 28 Ian. 1895,* quia dicebatur *gratia eius arbitrio et conscientiae* remissa. S. C. eadem *in Messanen. Residentiae, die 28 Augusti 1852* in haud absimili facti specie respondit: *Pro gratia ad triennium a die coeptae infrynitatis* arbitrio Episcopi, onerata, si *tamdiu. Proptereaque eadem S. C. benigne commisit Episcopo Messanen, ut veris existentibus enarratispro suo arbitrio, memorato canonico gratis indulgeat, ut a servitio chori per triennium, incipiendum a die coeptae infirmitatis, vacare possit, et nihilominus fructus omnes et distributiones quotidianas sui canonicatus percipere valeat, perinde ac si choro ac officiis divinis personaliter interesset; onerata ipsius memorati canonici conscientia super praecisa necessitate vacandi, ut supra, ob expositam causam.*

Quibus animadversis, remissum fuit EE. PP. pruden-

tiae edicere quid iuris sit, tum quoad praeteritum, tum quoad futurum.

RESOLUTIO. Sacra O. C. sub die 22 Augusti 1896, re disceptata, censuit respondere: *Servanda esse indulta S. C. Concilii 29 Ianuarii et 9 Martii 1895. Quoad futurum gaudeat impetratis et ad, mentem.*

SALERNITANA

DISMEMBRATIONIS

Die 22 Augusti 1896.

Sess 21, cap. 4 De Reform.

COMPENDIUM FACTI. In Archidioecesi Salernitana extat prope oppidum *Forinum* Ecclesia receptitia, dicata SS. Virgini ab Angelo salutatae et S. Nicolao Barensi, quae constat uno et triginta participantibus, in iis comprehensis huius Ecclesiae Archipresbytero et septem parochis coadiutoribus, residentibus respective apud suas plebes in septem distinctis oppidulis cum obligatione adeundi matricem Ecclesiam tribus vicibus in hebdomada, aliisque diebus festis iuxta statuta pro certis functionibus obeundis.

Olim haec oppidula unam constituebant universitatem municipalem cum loco principe *Forino;* verum anno 1849 pagus vulgo *Contrada,* et alius *Ospedale* dictus, ab antiqua communitate disiuncti, in separatum Municipium evectifuerunt. Atqui oppidus loci *Contrada* non parum distat ab Ecclesia matrice, ad quatuor millia passuum videtur; quemadmodum huius oppidi clerus refert, qui hac potissimum de causa modo petit a Receptitia dismembran et in distinctam evehi paroeciam. Aiunt enim, ob auctum fidelium numerum, se non posse eorum necessitatibus satisfacere, si adhuc perseverent se conferre saepius in hebdomada et diebus festis ad Ecclesiam matricem, cum maximo temporis et valetudinis discrimine.

Huiusmodi dismembrationem et erectionem exoptat clerus populusque loci. Presbyteri oratores, quoad suos redditus, referunt: praebendam Arhipresbyteri constitui ex ducatis 150, illam cuiusvis parochi ex 60, cum onere unicuique addito missarum 50 in quolibet anno.

Archiepiscopus, de more percontatus pro informatione et voto, habet: sese in sententiam ire, ut expetita divisio concedenda sit, praecipue ob distantiam, qua duo loci separantur; hac tamen sub conditione ut presbyteri e Contrada, nuncium mittant, facta divisione, cuilibet praetensae super Ecclesiam archipresbyteralem *Forino,* et quibuslibet emolumentis, usque adhuc sibi obventis ex ecclesia Receptitia, cuius nunc sunt participantes.

Disceptatio Synoptica

DEDUCTIONES SACERDOTUM ECCLESIAE DISMEMBRANOAE. Ecclesiae Receptitiae loci *Forino,* Sacerdotes participantes rite admoniti de instantia Sacerdotum participantium loci *Contrada* et *Ospedale,* ex iis sexdecim conventu habito, totisque viribus petitioni contrariae obsistunt variis rationum momentis suffulti; ut decus Ecclesiae receptitiae, protueantur. Et imprimis animadvertunt anno 1861 petitionem hanc ipsam factam fuisse, apud civile gubernium; a quo tamen reiecta fuit; quamvis tunc melior esset conditio Ecclesiae receptitiae, quae integrum potiebatur suum patrimonium; quod autem ablatum fuit anno 1867 ex lege gubernii invasoris, suppressa Ecclesia Recepti tia.

Post suppressionem tamen idem gubernium assignavit Archipresbytero 150, 100 vero ducatos unicuique ex septem coadiutoribus. Qui reditus vix satis sunt pro divino cultu unius ecclesiae Receptitiae; quomodo autem consuli potuerit duabus ecclesiis, iisdem reditibus, eodemque numero sacerdotum? Animadvertunt autem falsum esse quod distantia sit quatuor passuum millia, dum parum excedat duo millia. Veritati pariter haud esse consonum itinera percurrenda securitate carere; dum ex testibus constet, neminem ex pre-

sbyteris unquam insidiis latronum obnoxium fuisse. Praeterea dictos sacerdotes haud exturbare imminentem insidiarum formidinem, sed zeli deficientiam; quia diebus festis neque Ecclesiam receptitiam, neque propriam Ecclesiam curatam frequentant presbyteri iidem. Qua de re per adductas, aliasque rationes sacerdotes participantes, totis obsistunt viribus expetitae dismembrationi.

QUAE DISMEMBRATIONI FAVENT. Animadversum fuit Contradam a Forino distare quatuor passuum millibus ; et loci distantiae addendum esse grave periculum quod ex ipsa via oritur. Etenim perfacile fidelis, qui ad Ecclesiam accedit, potest subiici violentiis et expoliationibus.

Porro modo dicta , instat procurator , conformia sunt praescriptionibus Concilii Trindentini, quod ita se habet « In iis vero (parochiis) in quibus ob locorum distantiam, sive difficultatem parochiani sine magno incomodo ad percipienda Sacramenta, et divina officia audienda accedere non possunt, novas parochias , etiam invitis rectoribus, iuxta formam Constitutionis Alexandri III, quae incipit *Ad Audientiam,* constituere possint ».

His profecto Concilii Tridentini, notat orator, praescriptionibus adhaesit semper S. Congregatio Concilii. Quapropter plenam dismembrationem seu erectionem paroeciae concessit in *Militen. 29 ianuarii 1735,* in *Derthonen. 28 iunii 1736,* in *Asculan. 14 aprilis 1739* aliisque innumeris decisionibus. Similiter cum in civitate Frusinonis duae essent parochiae et septem millia parochianorum, novam in commodiori urbis loco erigendi licentiam, Sacra C. Congregatio concessit in *Verulana 22 Maii 1884.*

Hinc ait patronus, manifestus est defectus sacri cultus, praesertim in diebus solemnioribus, per annum , hoc comprobans verbis Parochorum et Sacerdotum instantium.

Procedendum esse divisioni terrarum, arguit orator, ob defectum institutionis religiosae quoad fideles Contradae, et administrationis Sacramentorum, referens verba parochorum et Sacerdotum instantium.

Notat praeterea procurator, dismembrationem reclamare dissidia quae intercedunt inter Clerum loci Contrada et alterum loci Forino ; super hac re recolens verba iam citata Archiepiscopi Salernitani.

In his rerum adiunctis, concludit advocatus, esse locum dismembrationi.

Descendens Orator ad diluenda adversariorum obiecta, asserit haec nullius esse momenti. Quia omnes rationes antiquitatis et matricitatis cedere debent animarum bono.

Frustra adversarii, iuxta oratorem, invocant in sui favorem, leve Ecclesiae servitium, videlicet quod consistit in diebus festis de praecepto, die Lunae et Sabbati ; quod plures sint curati ; quod participantium Massa fuerit constituta pluribus beneficiis unitis *y* quod dismembratio seu divisio terrarum occasionem praebeat dissensionibus ac discordiis. Nam reponit Orator, haec omnia flocci facienda esse in comparatione salutis animarum.

Ex eo quod massa participantium fuerit constituta pluribus unitis beneficiis, ait recolendum esse Concilium Tridentinum ita decernens *cap. 4, sess. 21, De reform.* « Illis autem Sacerdotibus, qui de novo erunt ecclesiis , noviter erectis, praeficiendo, competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus, et si necesse fuerit, compellere possit populum ea subministrare quae sufficiant ad vitam dictorum Sacerdotum sustentandam ; quacumque reservatione generali vel speciali vel affectione super dictis Ecclesiis non obstantibus ».

Quo ex capite, advertit procurator , Archiepiscopi voto acquiescendum non esse, expostulantis ut bona matricis Ecclesiae nullimode cederent in congruam novae paroeciae.

Quidus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An et quomodo sit locus Ecclesiarum dismembrationi in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die *22* Augusti 1896, censuit respondere : *Non expedire.*

RIPANA

IURIUM

Die** 12 **Septembris** **1896.

Sess. 23 cap. 18 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Savini Capocasa, dioecesis Ripanae, a loco *Vignale,* oppido pedemontano, ubi, per annum ludimagistri munus expleverat, autumnali tempore a. 1878 in patriam rediit. - Vacabat tunc in Seminario dioecesano officium Praeceptoris in prima G-ymnasii schola, quod sibi concedi vehementer exoptare significavit sacerdos Capocasa. Sed res eo erat difficilior, quia Episcopus, et Seminarii Moderatores alteri Sacerdoti, cuidam Merlini, hoc munus destinaverant. Ut vero a proposito recederetur, et Sacerdotis Savini vota explerentur occasio se obtulit. - Nam sub idem tempus in Seminario munus vacaverat Curatoris rei oeconomicae, cui gerendae idoneus videbatur Capocasa. Hic, uti fertur, se paratum exhibuit huic oneri capessendo, etiam nulla pacta mercede, dummodo in vacante schola Praeceptor renunciaretur.

Haec conditio videtur arrisisse Seminarii Rectori, qui apud Episcopum admodum valens, eumdem in suam pertraxit sententiam et ludimagistri optatum munus Sacerdoti Capocasa commissum fuit, id tamen aegre ferentibus aliis Seminarii Moderatoribus et Praeceptoribus.

Anno Scholas tico 1878-79 Capocasa tantum Praeceptorem egit, bonorum Seminarii relicta administratione Rectori; et hoc factum fuisse videtur ne contradictoribus res nimis displiceret.

Anno 1879 eidem sacerdoti ab Episcopo commissa fuit Schola secunda et tertia G-ymnasii, dimissa priori, sed servato eodem stipendio annuali libellarum 266 nec non, ut antea, praestito victu et habitatione. Hoc anno Sacerdos Savini munus assumpsit oeconomi Seminarii absque ullo emolumento, sed cum promissione alterius ex praebendis canonicalibus

penes Cathedralem Ecclesiam; quia res oeconomicae Seminarii haud prosperae procedebant.

At sua munera obire prosecutus est Savini, quin nullimode pactum augeretur stipendium usque ad a. 1891, quo adiecta, eidem Praeceptori, obligatione tradendi novas disciplinas, stipendium Lib. 266 ad Lib. 416 evectum fuit. Subsequenti anno, iterum aliis inductis mutationibus in scholarum ordinatione, Praeceptor Capocasa petiit ut honorarium augeretur, quo non obtento, mense Novembri a. 1892 suo muneri nuncium misit.

Interim Sacerdos Savini protestabatur, adhuc sibi integram deberi mercedem pro gesta administratione, postquam spes evanuerat obtinendi canonicatum in Ecclesia Cathedrali. - Episcopus, ex adverso, nihil deberi asserebat ; quamobrem Savini ad suam persequendam intentionem procuratorium mandatum reliquit fratri suo, qui hoc fretus, mense Novembri a. 1893 in iudicium rapuit apud iudices Laicos Seminarium, petens Lib. 11, 700, indemnitatem pro negotiorum gestione a fratre Sacerdote praestita, tredecim annos absque ulla mercede.

Tunc Ordinarius Sacerdotem Capocasa suspendit *a divinis*, ad scandalum reparandum, sed maxime ut eundem induceret ad revocandum procuratorium mandatum. Hoc facere in primis restitit Savini, aiens, hoc inutile esse quia fratri, per syngrapham, cesserai omnia sua credita et actiones, quam syngrapham rescindere vel revocare non amplius erat in sua potestate, sed in fratris voluntate ; vi cuius cessionis, etiam revocato mandato, frater agere poterat in iudicio, dummodo nunc actum publicis registris insinuaret, quod adhuc gestum non fuerat. Aliunde protestabatur, se in cedendis suis actionibus, coram tribus testibus, fratri denunciasse obligationem impetrandi scilicet veniam auctoritatis ecclesiasticae quotiescumque Seminarium convenire vellet coram iudice laico. - Nihilo secius, Episcopo renuente eum absolvere nisi mandatum revocasset, reapse Capocasa cessit praecepto sui Ordinarii, quare suspensionis vinculum resolutum fuit.

Demum ad quaestionem suspensionis quod pertinet, innuendum est aliud rei adiunctum ab Episcopo S. C. C. relatum, quum impertitae absolutionis nuncium daret. Nimirum narrat Ordinarius, constare Sacerdotem Savini alteram emisisse iurium et actionum cessionem favore sui fratris, publicis Tabulis insinuatam *sub die 9 augusti 1894* in civitate Firmana. Primus enim actus privatus erat et sub fide testium exaratus, alter vero publicus, subscriptio ab eodem Sacerdote.

Hic tamen quaestio agitur sub respectu, an aliqua competeret indemnitas actori pro gesta administratione.

Partium procuratores sequentia concordarunt dubia: 1. *An et qualis retributio debeatur a Seminario pro gesta administratione in casu,,* et quatenus Negative : 2. *An actor te^ neatur per syngrapham in forma iuris validam, fateri nihil amplius sibi deberi in casu.*

Disceptatio Synoptica

Seminarii procurator in primis, dolet non posse probari per scripta documenta, pacta inita a Capocasa, quia libri, ubi fuerunt relatae deliberationes Moderatorum rei oeconomicae Seminarii, quique apud Oeconomum reperiebantur, deperditi sunt. Ast, inquit, superabundare attestationes virorum, omni exceptione maiorum, qui auribus perceperunt conditiones appositas a Capocasa; et hodie asseveranter protestentur, hunc praeceptoris suscepisse munus cum expressa conventione, gerendi absque ulla mercede Seminarii administrationem. - Hos inter testes sufficiat innuere Praesulem Franceschini, qui tunc temporis fungebatur munere Vicarii generalis dioecesani ; Praesulem Ceppetelli, qui Alexandrini e vivis erepto , Ecclesiam Ripanam per plures annos obtinuit; et ipsum Canonicum Castelli, Seminarii Rectorem quum Sac. Savini praeceptor renunciatus fuit, opera praecipue eiusdem Rectoris. Hic enim ob pactum a Savini interpositum non exigendi specialem mercedem ob Oeconomi officium, persuasit Episcopo, hanc conventionem acceptan-

dam esse quippe Seminario et praeceptori utilem et accommodant.

Quocirca, concludit procurator, *ius* sibi vindicare non potest Capocasa, sed neque *aequitatem ;* quia pactum stipendium omnino respondet legitimae mercedi. Siquidem annuae Libellae 266, praeter victum et habitationem repraesentant honorarium Libellarum 900 quae in parva urbe, pro Sacerdote, pingue constituunt stipendium, praecipue si comparetur cum ipsis praebendis canonicalibus Ecclesiae Cathedralis. - Imo prae aliis Praeceptoribus Sacerdoti Savini pinguius honorarium, notat procurator, concessum fuit, intuitu officii Oeconomi. Ceterum, prosequitur procurator, postquam bona immobilia a Gubernio usurpata sunt, tota negotiorum gestio reducitur ad comparanda victualia, initio anni, eaque referenda cum aliis parvis consuetis expensis in libros rationales.

Dein procurator descendit ad refutanda argumenta a Savini opposita. Hic in primis obiicit reservationes sui iuris factis in libris rationum et oretenus cum Vicario Capitulari Consorti.

Advertit procurator, quod si ad iura sibi legitime comparanda, sufficeret eadem sibi reservare, quin illi a quibus debentur, huiusmodi reservationum nullam habeant rationem, iam simplex desiderium unilaterale alicuius rei, aequipararī deberet legitimae rei acquisitioni. Imo quum revisores rationum rei oeconomicae Seminarii, nihil unquam innuerint de huiusmodi reservatione, suspicatur procurator, has crediti declarationes in libros insinuatas fuisse a Capocasa postquam lis mota est.

Secundo loco, Capocasa sibi ius vindicat ad indemnitatem, quippe spes evanuit obtinendi canonicatus sibi promissi, in remunerationem officii Oeconomi.

Ceterum, observat procurator, promissiones sibi factas ab Episcopis, actor sane non potest urgere adversus Seminarium, uti planum est.

Demum dum ex parte Capocasa ad astra tollit sua benefacta in rem oeconomicam Seminarii, ex alia parte exa-

minatores deputati ab Episcopo Nicolai, concludunt hunc oeconomum de Seminario male meritum esse, quum tempore susceptae administrationis, quotannis in rationibus *accelati* et *expensi* Seminarii, rationes *accepti* superexcederent rationes *expensi* et modo *expensa,* ad Lib. 6000, superant *accepta.*

Procurator a Capocasa constitutus, rite admonitus nihil retulit.

Hisce raptim adductis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An et qualis retributio debeatur a Seminario pro gesta administratione in casu.*

Et quatenus Negative :

II. *An actor teneatur per syngrapham in forma iuris validam, fateri nihil ampMus sibi deberi in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata, sub die 12 Septembris 1896, censuit respondere : *Ad I. Negative in omnibus. Ad II. Affirmative et ad -mentem.*

Normae quoad taxas rependendas Cancellariis episcopalibus.

Die **IO** *Iunii 1896.*

Ut norma haberetur uniformis in exactionibus pro variis actibus iurisdictionis ecclesiasticae non contentiosae, ac immodicarum taxarum onus, pluriumque controversiarum occasio tolletur, Innocentius PP. XI legem tulit, quae Innocentiana vulgo appellata, huiusmodi exactionum rationem apte moderabatur.

Sed cum haec lex italico idiomate esset exarata, et idcirco communiori Doctorum sententia eam nonnisi Italiae et adiacentium insularum dioeceses proprie afficere traderetur, ceteris autem congruentem dumtaxat agendi regulam praebere; haud

universim videbatur consultum incommodis, quibus amovendis lex illa prodierat.

Praeterea post tria ferme saecula a legis promulgatione, pecuniae valore et aestimatione mutatis, et in novis diversisque adiunctis societate versante, plena Innocentianae legis observantia in ipsis Italiae dioecesibus difficilis evasit, et quandoque etiam incongrua ; unde Ordinarii maiori in dies numero postulare coeperunt, ut novae peculiaresque exactiones ab Innocentiana diversae, probarentur aut tolerarentur.

His mature perpensis, et per officium S. Congregationis Concilii Archiepiscopis nedum Italiae, sed et aliarum regionum de sententia rogatis, Sanctissimus Dominus Noster Leo PP. XIII particularem Commissionem penes S. Concilii Congregationem constituit, eique in mandatis dedit, ut de hoc recognosceret suamque sententiam emitteret.

Iamvero in conventibus semel atque iterum ab ea habitis, tria quae sequuntur dubia, quibus universa quaestio comprehendi visa est, ad examen revocata sunt, nimirum:

I. An et quae taxa imponi possit iuxta prudentiae et iustitiae regulas in materia sacramentali, ac speciatim in matrimoniali, itemque in materia beneficiaria.

II. An generalibus quibusdam editis normis, specifica praefinitio taxarum in singulis dioecesibus Ordinariorum arbitrio sit relinquenda; an potius praescribendum, ut hac de re agatur, in synodis provincialibus, et quatenus synodi haberi nequeant, in conventibus Episcoporum in singulis provinciis et in Italia in singulis regionibus, ad hunc effectum peculiariter habendis, sub lege nempe ut uniformis taxa in singulis provinciis seu regionibus quoad fieri possit statuatur, Sacrae Concilii Congregationi pro approbatione subiicienda.

III. An et quaenam aliae provisiones hac de re sint adhibendae.

Quibus Eminentissimi Patres, praevio Consultorum voto, respondendum censuerunt :

Ad I Affirmative, ita tamen ut quoad aetas qui directe respiciunt sacramentorum administrationem servetur dispositio cap. 42 Decret. De Simonia, scilicet ut Ubere conferantur ecclesiastica sacramenta et piae consuetudines observentur. Quod vero ad reliquos actus, qui directe non respiciunt administra-

tionem sacramentorum, uti sunt dispensatio a denunciationibus matrimonii, cenia conferendi baptisma in privatis domibus, et cetera huiusmodi :

I. *Servandas laudabiles consuetudines, et rationem prudenter habendam locorum, temporum ac personarum.*

IL *Vere pauperes eximendos a quibusvis expensis;*

III. *Taxas non adeo graves esse debere, ut arceant fideles* a *receptione sacramentorum ;*

IV. *Quoad matrimonium in specie, remittendas ipsas taxas esse in casibus in quibus adsit periculum ne fideles in concubinatum promant ;*

V. *Tandem quoad beneficia ecclesiastica, taxas esse non debere proportionaliter inadaequatas reditibus beneficiorum.*

Ad IL Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad III. Affirmative, et taxarum descriptionem seu notulam modo et normis superius expositis confectam, quam primum trasmittenclam ad S. Concilii Congregationem pro approbatione; quae tantum concedenda erit ad instar experimenti, pro dioecesibus Europae ad quinquennium, pro reliquis vero ad decennium.

Facta exinde de his omnibus relatione Sanctissimo Domino Nostro per infrascriptum S. Concilii Congregationis Praefectum, Sanctitas Sua dignata est resolutionem Emorum Patrum plene approbare et confirmare: simulque mandavit, ut ab omnibus ad quos spectat sedulo atque integre servetur, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae ex aedibus Sacrae Congregationis Concilii die 10 iunii 1896.

A. CARD. DI PIETRO, S. C. CONCILII *Praefectus.*

BENIAMINUS, ARCHIEPISCOPUS NAZIANZENUS, *Pro-Secretarius.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL

Dubia quoad Religiosorum professionem.

Beatissime Pater,

Fr. M. Benedictus, Procurator Generalis Ordinis Cisterciensium Reformatorum de Trappa ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, quae sequuntur humiliter exponit.

Supplex libellus ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium iam abhinc viginti quinque annis ab Ordine nostro delatus, ferebatur his verbis: « Post completum novitiatum, novitii debent professionem facere intra sex menses: porro, ob vicissitudines temporum, iuvenes ad militiam omni momento vocari possunt. In his conditionibus imprudens esset Superior qui tales ligaret vinculo votorum. Idcirco Orator supplex enixe deprecatur Sanctitatem Vestram ut concedatur Superioribus facultas novitiatum continuandi donec cesset periculum ».

Ita quidem rescribendum censuit eadem Sacra Congregtio: *Ex audientia Sanctissimi, habita ab infrascripto subsecretario Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium sub die 21 aprilis 1871, Sanctitas sua gratiam ut petitur haud concedendam esse existimavit; sed potius mdulsit ut donec praefatum periculum perduraverit, novitii qui tempus novitiatus rite expleverunt, admittantur ad professionem votorum simplicium ad sex menses valituram ae de semestri in semestre renovandam* ».

Cum autem de vero sensu et intelligentia huius Rescripti saepe inter nos fuerit dubitatum cumque etiam nunc in Gallia alumni nostri sicut et ceteri cives, legi militari obtemperare cogantur, praefatus Orator sequentia dubia Sanctitati Vestrae solvenda reverenter proposuit:

I. An professus, de quo in rescripto, teneatur suam professionem renovare ad sex menses, si certo sciat se ad militiam vocatum iri, antequam hoc spatium sex mensium absolvatur?

Et quatenus affirmative:

II. An talis professio sit caduca, ipso facto, quod professus, ad militiam vocatus, e Monasterio discedit?

Et quatenus negative:

III. An talis professio sit caduca, ita ut professus qui iam ad militiam vocatus, ac profectus fuerit ab omni vinculo votorum sit, his sex mensibus expletis sub armis, ipso facto solutus et liber?

Et quatenus negative:

IV. Utrum enunciatus professus teneatur, peracto militiae eius tempore, in Religionem regredi et professionis simplicis triennium, si opus sit, complere, antequam ad solemnem professionem admittatur?

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum Regularium praeposita, super praemissis dubiis respondendum censuit, prout respondet :

Ad I. Affirmative, ita, tamen ut enunciata vota eo ipso cessasse intelligantur, quo professus e Monasterio egredi adigatur militaris servitii causa.

Ad IL et III. Provisum in primo.

Ad IV. Regredi non teneri, et quatenus regredi velit, constito Superiori de perseverantia vocationis, teneri emittere novam professionem votorum simplicium, et in ea per triennium integrum remanere priusquam ad nuncupanda solemnia vota admittatur ad formam Literarum Apostolicarum Pii IX februarii 1862; quae incipiunt: *Ad universalis Ecclesiae regimen.*

Romae, 2 septembris 1896.

I. Card. VERGA, *Praefectus.*

L. © S.

A. TROMBETTA, *Secretarius.*

EX S. CONG. DE PROPAGANDA FIDE

DECRETUM Sacrae Congregationis de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis.

Excelsum apostolicorum virorum munus exigit, ut hi in excolendo agro Domini ambulent omnes cum consensu, paribusque animis, in pari causa ad labores incumbant. Siquidem vel inimicus homo eodem in agro serit zizania, vel improborum ho-

minum malitia ipsos Missionarios vexat et oppugnat, vel subiti rerum casus in graves angustias ac difficultatum dumeta eosdem compellunt. Hinc patet quam utile atque adeo necessarium sit, ut iidem, praeliaturi cum vitiis et concupiscentiis hominum, cum inimicis Crucis Christi, uno veluti duce et auspice, prudenti zelo et charitate ducantur. Ita fiet ut facilius homines, pretioso Christi sanguine redemptus, at vel in tenebris infidelitatis sedentes, vel in haeresi aut schismate tabescentes, in sanctae matris Ecclesiae sinum reducant, ad salutem nutriendos aeternam.

Porro Sanctissimus Dominus Noster Leo Divina Providentia PP. XIII, pro ea qua praestat sapientia maximaque sollicitudine omnium Ecclesiarum praesertim Orientalium, Uteris motu proprio datis die 19 martii 1896, aliquot praescriptionum hortationumque capitibus suae Constitutioni *Orientalium* veluti adiectis, iussit, quaedam per sacrum Consilium christiano nomini propagando constitui decreto proprio, quo nonnulla ad mentem Sanctitatis*suae immutentur de iuris ordine adhuc recepto circa rationem officiorum, quae Delegatis Apostolicis intercedant cum eis qui missionibus per Orientales praesunt regiones.

Quibus iussis Sacra Congregatio libenter parens, haec declaranda ac decernenda censuit.

I. Apostolicarum Praefecturae Missionum apud Orientales Ecclesias, intra fines alterius Missionis aut Dioceesis institutae, quae idcirco territorium separatum non habent, abrogantur, pleno tamen iure manentibus iam fundatis Missionibus; et in Praefectorum locum sufficientur Superiores Missionum.

II. Superior Generalis Religiosi Ordinis, cui aliqua apostolica Missio credita est, Sacrae huic Congregationi proponet aliquem ex eodem Ordine alumnum, virtutibus apostolicis doctrinaque praestantem, quem idem Sacrum Consilium tuto eidem Missioni si ita in Domino iudicaverit, praeficiat Superioris Officio et nomine.

III. Patentes literae seu diplomata Sacrae Congregationis ad hunc ita designatum et promotum Superiorem Missionis, una cum Apostolicis facultatibus, quas eadem Sacra Congregatio eidem concedere censuerit, tradentur per Apostolicum Delegatum, in cuius Legatione Missio instituta est.

IV. Praeter Superiorem Missionis, nominabitur ab Ordinis Religiosi summo Praeside Superior Regularis, cuius onus et

munus erit servare ac provehere assidua solertique vigilantia et cura regularem disciplinam Missionariorum proprii Ordinis; item et Missionis negotia singulis pro cuiusque ingenii et corporis viribus committere, quae tamen is ne agat nisi collatis cum Superiore Missionis consiliis, ut in eam una concedant provisionem, quam magis ad Catholicae rei emolumentum conferre iudicaverint.

V. Si Generali Religiosi Ordinis Superiori visum fuerit, in quibusdam temporum, locorum et personarum adiunctis, utilius cumulare munus Superioris Missionis cum munere Superioris Regularis, perficere id poterit, non tamen sine Sacrae Congregationis auctoritate et venia.

VI. Superioris Missionum erit ordinaria christianarum administratio Communitatum , quae Apostolicis Missionariorum laboribus ab infidelitate, ab haeresi vel a schismate ad veram fidem aut primum venerint, aut reversae fuerint; quousque tamen ad Episcopos seu Ordinarios proprii ritus remitti queant. Ipsi etiam ius esto novas fundare Stationes Missionum, collatis tamen prius cum Apostolico Delegato consiliis.

Eiusdem Superioris munus tandem sit statuere et peragere quidquid prudenter existimet meliori Missionum regimini profuturum.

VII. Praecipuum Delegati Apostolici officium erit vigilare, ut Missionarii nunquam ab incepto ferientur, sed assidue ac probe suo fungantur munere. Scilicet ut apostolico ritu villulas suae subditas Missioni continenter lustrent, infirmos in fide roborent, lapsos et devios in viam salutis revocent; sic demum élaborent ad dominici agri ubertatem, ut omnes Christum lucrifaciant, suis militibus olim iustitiae coronam redditurum.

Curet praeterea Delegatus ut Missionarii per quam diligenter fideliterque Sanctae Sedis mandata et institutiones servent ac expleant.

VIII. Item Apostolicus Delegatus omnem dabit operam, ut ipse et Superior Missionis plene conveniant de sententiis et rebus agendis, quae ad Missionis administrationem et progressum attinent. Et ubi contingat, eos diversa sentire in gravioribus Missionis negotiis, Delegati Apostolici praevaleat iudicium, salva tamen Superiori Missionis facultate S. Congregationem adire rogatum, ut quod ipsa Missionis bono conducibilius existimet, faciendum decernat.

Haec porro omnia et singula Sanctissimo Domino Nostro Leoni XIII relata, auctoritate sua ipse firmavit, et contrariis quibuscumque opportune derogavit, firmis ceterum aliis iuribus et officiis, quae locorum Ordinarios inter et Missionarios intercedunt.

Datum Romae ex Aedibus eiusdem Sacrae Congregationis die 12 septembris 1896.

M. CARD. LEDOCHOWSKI, *Praef.*

L. ✠ S.

ALOISIUS VECCIA, *Secret.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

ANNECIEN. confirmationis Cultus ab immemorabili tempore praestiti Servo Dei Pontio abbati beato nuncupato

E dynastis Fucignaci in Sabaudia, ineunte saeculo decimo secundo circ. an. 1100 ortus est Servus Dei Pontius Abbas, qui adhuc iuventute fiorente, mundo valedicens coenobium clericorum regularium Abundantiae ingressus est, illudque non modo virtute et doctrina illustravit, sed etiam ad S. Augustini regulam informavit atque auxit. Ad locum *Sixt* nuncupatum missus, ut novi monasterii curaret aedificationem, ipse, re perfecta, eiusdem monasterii ab Hadriano Papa IV anno 1155 in Abbatiam erecti, primus Abbas renunciatus fuit. Abbatiae Matri iugiter obediens ac devotus, in qua prius Praepositus fuerat, anno 1172 meruit etiam iurisdictione et titulo Abbatis Abundantia honorari; etsi per breve tempus hanc dignitatem tenuit. Quum enim monasterium sixiense magis aptum reperisset ad se parandum morti, quam proximam praesentiebat, illuc rediit ibique plenus meritis die 26 novembris an. 1178 de hac vita ad caelestem patriam migravit. Eius corpus in adnexa Ecclesia rite sepultum, post aliquot annos, ipsa Ecclesia instaurata, in digniorem locum translatum, demum nobiliori monumento Cum herma decoratum, denuo inscripto antiquo titulo Beati, a fidelibus undique magna devotione confluentibus, ab initio usque in praesens religiose colitur. Neque defuit aliquod suffragium

Sancti Francisci Salesii eiusque nepotis Caroli Augusti de Sales Episcopi Gebennensis ad huiusmodi ecclesiasticum cultum Servo Dei praestitum confirmandum. Hinc anno 1866 ab Episcopo Anneciensi Claudio Magnin aliqua Inquisitio ad perpetuam memoriam super cultu immemoriali eidem Dei Famulo exhibito facta fuit; sed verus Processus Ordinarius, ad iuris tramitem, adornatus fuit anno 1890, iussu et auctoritate Rmi Dñi Ernesti Isoard hodierni Episcopi Anneciensis. Attentis itaque probationibus quae ex testium depositionibus et ex antiquis documentis desumptae in hisce tabulis Processualibus continentur, auditoque etiam Promotore Fiscali, iudex ecclesiasticus ab eodem Rmo Episcopo Anneciensi delegatus sententiam edidit, qua declaravit nihil obstare quominus praedictus cultus inter casus ab Urbano Papa VIII exceptos accensendus sit. Instante autem Rmo P. Francisco Xaverio Hertzog Procuratore Generali Societatis S. Sulpitii, atque huius Causae Postulatore, vota etiam Rmi Episcopi et cleri populique Dioeceseos Anneciensis depromente, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Vincentius Vannutelli eiusdem Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die, ad Vaticanum habitis, sequens Dubium discutiendum proposuit; nimirum: « *An sententia iudicis delegati a Rrho Episcopo Anneciensi super cultu ab immemorabili tempore praestito Servo Dei Pontio Abbati, seu super casu excepto a, Decretis sa. me. Urbani Papae VIII sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?* » Et Sacra eadem Congregatio, post relationem ipsius Emi Ponentis, omnibus maturo examine perpensis et audito R. P. D. Gustavo Persiani, S. Rom. Rotae Auditore et Sanctae Fidei Promotoris munus gerente, rescribendum censuit: *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam.* Die 15 decembris 1896.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habuit et confirmavit, iisdem die mense et anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA S. *R. C. Praefectus.*

L. * S.

DIOMBDES PANICI, S. *R. C. Secretarius.*

PHILADELPHIEN. seu Budvicen. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei ioannis Nepomuceni Neumann e Congregatione Sanctissimi Redemptoris Episcopi Philadelphiensis.

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio introductionis Causae, in casu et ad effectum de quo agitur?

Angelici spiritus Dei ministri atque hominum custodes peculiari quadam protectione sustinent Ecclesiarum Angelos, Episcopos, qui cum ipsis et muneris dignitate et gratiae auxilio consociantur. Inter hos recensendus est Servus Dei Ioannes Nepomucenus Neumann, Episcopus Philadelphiensis, e Congregatione SSmi Redemptoris, Sancti Patris Fundatoris Alphonsi M. de Ligorio verus discipulus ac spiritualis filius. Prachaticii in Bohemia eadem die 28 martii anno 1811 natus et baptizatus est, eique a piis pronisque parentibus Philippo et Agnete Lebisch nomen impositum Ioannes Nepomucenus. Puer, diligens, modestus ac devotus scholas primarias in patria frequentabat, et sacro chrismate linitus ecclesiasticis functionibus libentissime inserviebat. Annum agens duodecimum Budovisiam missus, prius humanioribus uteris, dein tum in Seminario dioecesano, tum in Universitate Pragensi theologicis disciplinis sedulo incubuit. A suo Episcopo, die 21 iulii 1832, clericalem tonsuram minoresque ordines recepit, ac plura Sanctuaria, more peregrini poenitentis, invisens et Sanctum Franciscum Xaverium suum patronum imitari cupiens, se ad exteras missiones vocatum ostendit. Studiorum curriculo summa cum laude expleto, atque in domum parentum reversus, quum magis in dies desiderio missionum incensus esset, a proprio Episcopo Budvicensi rite dimissus, die 20 aprilis 1836 in Americam Septentrionalem profectus est; eumque Episcopus Neo-Eboracensis humanissime recepit, probavit et ad sacros ordines promovit. Novus in vinea Dei operarius ac sacris expeditionibus addictus Servus Dei cum zelo et patientia populos evangelizavit regionis prope Niagaram, quae tunc ad dioecesim Neo-Eboracensem pertinebat. Verum perfectioris vitae capessendae consilium, quod Roffae cum Patribus Alphonsianis sancte conversando conceperat atque alibi foverat, ad rem, Deo adiuvante, perduxit. Namque die 30 novembris anno 1840 Congregationis SSmi Redemptoris habi-

tum induit atque, tyrocinio per biennium peracto, die 16 ianuarii 1842, in Ecclesia S. Alphonsi Collegio Baltimorensi adnexa, religiosa vota emisit. Sororibus Carmelitanis, atque a nostra Domina nuncupatis, necnon Hospitio Pittisburgensi S. Philumenae operam valde utilem praebuit. Religiosus observantissimus, missionarius fervidus, Superiori Provinciali adiutor, etiam praefato Collegio Baltimorensi praepositus fuit usque ad annum 1852, quo Episcopus Philadelphiensis, praeter suam expectationem, ab Apostolica Sede electus et die 28 martii in memorata Ecclesia S. Alphonsi consecratus, ad suam dioecesim illico se "contulit. Pastorali officio pro Christo fungens, quolibet biennio integram dioecesim perlustrabat, et verbi Dei praedicatione, sacramentorum administratione atque sacrorum rituum observantia sacerdotibus suis praelucebat. Cathedralem Ecclesiam, Seminarium clericorum, Asylum infantium erexit aut perfecit; atque insimul scholas parochiales piasque sodalitates instituit, accitis quoque in dioecesim Fratribus et Sororibus Religiosarum Congregationum. Anno 1854 a Pio Papa IX fel. rec. vocatus Romam venit, definitioni dogmaticae de Immaculata B. M. V. Conceptione interfuit, septem Basilicas Urbis pedester et ieiunus quinquies visitavit, et, patria ac genitore revisis, Philadelphiam rediens, non modo triduana solemnia in honorem Immaculatae Conceptionis celebrari iussit, sed etiam publicam Augustissimi Sacramenti expositionem in forma XL Horarum, prout eam Romae peragi viderat, in suam diocesim introduxit. Quasi angelus in terram missus, improviso, dum per viam deambularet, a Deo revocatus in caelestem patriam evolavit die 5 ianuarii anno 1860, clero et populo ad eius funus et sepulcrum penes Ecclesiam Redemptoristarum ad S. Petrum confluente. Sanctimoniae fama quam Ioannes Nepomucenus, dum vitam ageret, sibi comparaverat, post obitum in dies clarior ac diffusior praesertim in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis ac in dioecesi Budovicensi, Inquisitioni Ordinariae instituendae causa fuit. Itaque Ordinariis Processibus, qui supra recensita testantur, rite peractis et ad S. Rituum Congregationem delatis una cum scriptis Servi Dei, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII per Decretum Sacrae ipsius Congregationis datum die 10 iunii 1895, haec scripta probavit. Quum vero per alia anteriora Decreta edita diebus 14 et 19 decembris 1892 idem Sanctissimus Dominus Noster

facultatem tribuisset, ut Dubium de signanda Commissione Introductionis Causae ipsius Servi Dei agi posset ante lapsum decennii in Ordinariis praedictae Sacrae Congregationis Comitiis absque interventu et voto Consultorum, ideo instante Rmo P. Claudio Benedetti, sacerdote professo et postulatore generali Congregationis SSrhi Redemptoris, attentisque Postulatoriis Litteris nonnullorum Erñorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium, plurium Sacrorum Antistitum aliorumque virorum ecclesiastica aut civili dignitate illustrium, inter quas mentione dignae sunt Litterae Serenissimi Imperatoris Austriae Francisci Iosephi I aliorumque ex eadem Imperiali Familia, infrascriptus Cardinalis S. Rituum Congregationis Praefectus, huiusce Causae Ponens ac Relator, in Ordinario Sacrae ipsius Congregationis Coetu, subsignata die, ad Vaticanum habito, sequens Dubium discutiendum proposuit, nimirum : « *An sit signanda Commissio Introductionis Causae, in casu et ad effectum de quo agitur•?* Et Sacra eadem Congregatio, post relationem ipsius infrascripti Cardinalis Ponentis, omnibus mature perpensis et audito R. P. D. Gustavo Persiani S. Romanae Rotae Auditore et Sanctae Fidei Promotoris munus gerente, rescribendum censuit: *Affirmative seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 15 decembris 1896.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per meipsum infrascriptum Cardinalem relatis, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Rituum Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae Venerabilis Servi Dei Ioannis Nepomuceni Neumann, Episcopi Philadelphiensis, iisdem die, mense et anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S. *R. C. Praefectus.*

L. % S.

Di o ME DE s PANICI, S. *R. C. Secretarius.*

Facultas litandi unam Missam ***de requie*** in hebdomada.

Die 8 Iunii 1890.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, ad levamen animarum quae in Purgatorio detinentur, Sacrae Rituum Congregationi facultatem indulgere dignatus est, qua singulis pe-

tentibus S. R. E. Cardinalibus, Episcopis, aliisque Praelatis, quibus Oratorii privati privilegium de iure competit, permitti possit in eodem Oratorio unica Missa privata de Requie, defunctis applicanda, infra hebdomadam diebus non impeditis a Festo ritus duplicis, quod iure translationis pollet, a Dominicis aliisque Festis de praecepto servandis, nec non a Vigiliis, Feriis Octavisque privilegiatis; et servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 8 iunii 1896.

MONTIS ALBANI. Dubium quoad litanias Sanctorum.

Die 20 Iunii 1896.

Rmus Dominus Adulphus Fiard Episcopus Montis Albani a S. Congreg, sequentis dubii solutionem humillime flagitavit, nimirum : Utrum prohibitio recitandi aut cantandi in Ecclesiis seu Oratoriis publicis Litanias, de quibus agitur in Decretis S. Rit. Congregationis 6 Martii 1894 et 28 Nov. 1895 (1), complectatur etiam quamlibet earum recitationem, a pluribus coniunctim in Ecclesiis vel Oratoriis publicis, absque ministri Ecclesiae, *qua talis,* interventu factam?

Et S. eadem Congr. referente subscripto Secretario, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibus mature perpensis, ad propositum dubium respondendum censuit. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit. Die 20 Iunii 1896.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S. *R. C. Praefectus.*

L. * S.

ALOISIUS TRIPEPI, *Secretarius.*

PARISIEN. Beatificationis et canonizationis ven. servae Dei Ludovicae de Manilae viduae Le Gras confundatricis puellarum charitatis.

Instante Rmo D. Raphaele M[a]. Virili, Antistite Urbano et Causae ven. Servae Dei Ludovicae de Marillac, Le Gras, Postulatore; infrascriptus Cardinalis Sacrae Rituum Congregationi Praefectus eiusdem Causae Relator, in Ordinario ipsius Sacrae Congregationis Coetu Rotali, subsignata die, ad Vaticanum ha-

(1) **Recole Vol. XXVII, 459.**

bito, iuxta peculiares Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII dispositiones, annis 1878 et 1895 editas, sequens Dubium discutiendum proposuit nimirum : *An sententia Iudicis ab Efho Dno Card. Archiepiscopo Parisiensi delegati, super cultu praefatae Ven. Servae Dei non exhibito, seu super paratone Decretis sa. me. Urbani Papae VIII sit confirmanda in casu, et ad effectum de quo agitur*[1]*?* Sacra porro eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, auditoque R. P. D. Gustavo Persiani, Sanctae Fidei Promotoris munere fungente, rescribendum censuit: *Affirmative.* Die 5 Ianuarii 1897.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per ipsum infrascriptum Cardinalem relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit, et confirmavit, die 11 iisdem mense et anno.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA, S. *R. C. Praefectus.*

L. * S.

DIOMBDBS PANICI, S. *R. C. Secretarius.*

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

Ad R. P. D. Archiepiscopum S. Ludovici in America.
Dubia quoad auctoritatem Episcoporum in Concilio etc.

Illustrissime Domine,

Litteris datis die 22 decembris anni elapsi ad Emum D. Cardinalem Secretarium huius Supremae Congregationis Sancti Officii, Amplitudo Tua sequentia dubia proponebat.

I. Utrum Episcopi in Concilio, sive plenario, sive provinciali coadunati vera potestate legislativa potiri censeantur?

II. Utrum Decreta Conciliorum, sive plenariorum, sive provincialium a S. Sede modo generali, non autem speciali, approbata, omnimoda vi legum careant, nisi in statuta dioecesana iam fuerint incorporata; et quidem tantum valeant, quantum sic fuerunt incorporata?

Re ad examen revocata, in Congregatione Generali habita feria v, loco iv, die 10 septembris 1896 Eminentissimi Domini Cardinales una mecum Inquisitores Generales, reformatis dubiis uti sequitur :

I. Utrum Episcopi in Concilio, sive plenario, sive provinciali, legitime coadunati vera potestate legislativa potiri censeantur?

II. Utrum decreta Conciliorum, sive plenariorum, sive provincialium, a S. Sede in forma communi sive specifica confirmata, vel approbata, vel saltem recognita, omnimoda vi careant nisi in statuta diocesana iam fuerint incorporata et quidem tantum valeant, in quantum sic fuerunt incorporata?

Respondendum decreverunt:

Ad I affirmative. Ad II Negative. Et ad mentem.

Hanc ad Amplitudinem Tuam notitiam dum defero, fausta quaeque ac felicia a Deo Tibi Iubens deprecor.

Uti Frater
LUCIDUS M.[a] CARD. PAROCCHI

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

URBIS et ORBIS. Decretum ex audientia Sanctissimi die 2 Februarii 1897 quoad laudem, cuius initium est ***Dio sia benedetto.***

Iam diu apud Christifideles, praesertim Italos, ea in more est piarum laudum formula, cuius initium, *Dio sia benedetto:* qui religionis actus, praeter quam per se optimus, etiam opportune valet, quemadmodum initio institutus fuit, ad honorem compensandum divini Nominis rerumque sanctissimarum, tam multis quotidie impiis vocibus passim violatum. Proximis autem temporibus inductum est multis locis, Episcoporum concessu vel iussu, ut ea ipsa formula recitetur publice in ecclesia, sive ad benedictionem cum Venerabili Sacramento impertitam, sive post divini sacrificii celebrationem. Huiusmodi increbrescentem consuetudinem SSmus Dominus Noster Leo PP. XIII non semel, data occasione, probavit et commendavit. Nuper vero, quo illam vehementius commendaret eoque amplius foveret, constituit, tum eidem formulae laudem interserere in sacratissimum Cor Iesu, tum augere munera sacrae Indulgentiae, quibus ea donata est a Decessoribus suis sa. me. Pio VII et Pio IX. Alter enim die 23 Iulii 1801 concessit « indulgentiam unius anni pro qualibet vice laudes eas corde saltem contrito ac devote recitantibus ». Alter vero, die 22 Martii 1847, « eam ipsam indulgentiam animabus quoque in Purgatorio detentis

applicabilem esse declaravit»; tum etiam eodem anno, die 8 Augusti, indulsit « ut omnes utriusque sexus Christifideles semel saltem in die dictas laudes per integrum mensem recitantes, indulgentiam plenariam, una tantum cuiuslibet mensis die, uniuscuiusque arbitrio eligenda, dummodo vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti fuerint, et aliquam ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium iuxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, lucrari possint et valeant; facta insuper potestate ipsam etiam plenariam indulgentiam fidelibus pariter defunctis applicandi ».

itaque SSmus Dominus Noster, quod spectat ad contextum formulae earumdem laudum, statuit ut laudi quarto loco positae, scilicet *Benedetto il Nome di Gesù,* haec subiungatur, *Benedetto il suo sacratissimo Cuore.* Quod vero ad indulgentiam attinet, benigne tribuit ut, confirmatis indulgentiis partiali et plenaria supra commemoratis, duplicetur ipsa indulgentia partialis, quoties eaedem laudes publice devoteque (quocumque idiomate expressae sint) recitentur vel post divini sacrificii celebrationem vel ad benedictionem cum Venerabili Sacramento; quae item indulgentia cedere in suffragium possit animabus piis Purgantibus. — Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro, absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis et SS. Reliquis praepositae die 2 Februarii 1897.

Fr. HIERONYMUS M. CARD. GOTTI, *Praefectus.*

A. ARCHIEP. NICOP., *Secretarius.*

Hic subiicitur integra laudum formula, de qua supra, in commodum eorum quibus non satis ea sit cognita:

Dio sia benedetto:
Benedetto il suo santo Nome:
Benedetto Gesù Cristo, vero Dio e vero Uomo:
Benedetto il Nome di Gesù:
Benedetto il suo sacratissimo Cuore:
Benedetto Gesù nel Santissimo Sacramento dell'Altare:
Benedetta la gran Madre di Dio Maria Santissima:
Benedetta la sua santa e immacolata Concezione:
Benedetto il nome dì Maria Vergine e Madre:
Benedetto Iddio ne'suoi Angeli e ne'suoi Santi.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

PARISIEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 22 Augusti 1896.

Sess. 24, cap. 5, De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Vicecomes Oliverius, 34 aetatis anno, legitimum matrimonium inivit die *27 Septembris 1894,* cum Maria 25 annos nata, in ecclesia parochiali *de Bray-Lüe* Dioecesis Versaliensis.

Nuptiae, festine sed mutuo amore conciliatae, infaustum sortitae sunt exitum, siquidem per totum cohabitationis tempus coniuges, iuxta eorum assertiones , numquam rei uxoriae operam dedere, imo nec una vice eodem cubiculo vel lecto usi sunt. Quapropter inter sponsos concordia cito evanuit, atque tertio ab expletis nuptiis mense, coniugalis cohabitatio dissociata est, nec reconciliatio amplius possibilis evasit.

Paulo post Oliverius intentavit apud laicum tribunal causam divortii civilis, quo obtento, supplica vit SSmo, ut suum matrimonium dispensantur, utpote ratum et non consummatum.

S. Congr. Conc. iuxta oratoris preces Curiae Parisien, remisit processus instructionem, quem Iudex delegatus sub *die 2 Martii volventis anni* S. C. transmisit.

Unusquisque coniugum in iudicio canonico fatetur matrimonii inconsummationem, refundens autem culpam in alterum, atque asserens semper paratum fuisse ad coniugalia officia praestanda.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO VIRI. Oliverii patronus contendit pluribus ex capitibus meridiana luce patere d-) matrimonii non consummatione in casu.

Habetur primo concors iurata coniugum depositio.

Hisce depositionibus, iuxta oratorem, pienissima adhibenda est fides, cum septimae manus testes una voce religionem ac coniugum veracitatem commendent.

Qui vero testes non modo coniugibus plenam fidem adhibendam esse asserunt, sed pro certo habent matrimonium non fuisse consummatum, inquit advocatus. Haec autem moralis certitudo, cum agatur de personis quae actorem reamque optime norunt, quae factis quodammodo interfuerunt, validissimum etiam per se inconsummationis argumentum constituit.

Hucusque dicta, notat patronus, stricto iure sufficerent ad matrimonii non consummationem probandam ; quum Caelestinus III statuat : « Si quod numquam se invicem cognoverint ambo fateantur cum septima manu propinquorum vel viciniorum bonae famae (si propinqui defuerint) factis sacrosanctis Evangeliis, uterque iureiurando dicat quod numquam per carnis copulam una caro effecti fuissent, et tunc videtur quod valeant ad secundas nuptias convolare». *Cap. Laudab. 5, Hb. IV, tit. XIV de frig. et male f.*

Sed et alia ei praesto sunt argumenta. Asserit nempe, coniuges tempore non suspecto pluries diversis personis, diversis temporibus, diversis in locis matrimonii non consummationem patefecisse. Fere etiam omnes alii enumerati testes afiirmant scivisse de non consummatione matrimonii tempore haud suspecto.

Sed praeter has confessiones, tempore non suspecto habitas , aliud non consummationis argumentum eruit orator ex insueto coniugum vivendi more, qui numquam eodem cubiculo eodemque lecto usi sunt, ex litteris ab iis ad parentes scriptis, ex moestitia, ex obiurgationibus, ex dissidiis, quae omnia, si sedulo e summario colligantur, luculenter probant quod numquam coniuges una caro effecti fuerint.

Quod si vinculi defensor ad debilitandam coniugum confessionem obiiceret, in eorum verbis reperiri contradi-

ctionem, quum maritus asserat se pluries mulieri coniugalia iura petiisse, e contra Maria id deneget; oratoris patronus respondet hanc discrepantiam non se referre ad matrimonii inconsummationem, in qua coniuges plene conveniunt, sed ad inconsummationis causas, quae minime attingunt substantiam iuratae confessionis. Ac praeterea si coniugum verba non materiali sensu accipiantur, sed attente verborum spiritus expendatur, consideretur nempe, quid coniuges voluerint significare « pour cette demande de l'accomplissement du «devoir conjugal»; omnis discrepantia illico exulat.

Postea orator ad examen revocat physicum mulieris virginitatis experimentum, ex quo etiam affirmat in praesenti haberi ineluctabile inconsummationis argumentum. Medici enim cognitores , servatis in inspectione canonicis praescriptionibus, Mariae corporis integritatem retulerunt.

Neque ad gratiosam dispensationem elargiendam deesse canonicas causas contendit orator. Siquidem habetur in casu coniugum aversio absque ulla reconciliationis spe. Eiusmodi autem aversionem ad gratiam concedendam sufficere tradunt DD. omnes, ita Ursaya *discept. 21, num. 60, 61, 62, tom. 3, part. 2, et disc. 7, n. 76,77, tom. 3, part. 1.*

Secunda dispensationis causa iuxta advocatum habetur in sententia divortii , iam a tribunali civili prolata. Ac denique aliam non minoris momenti causam reperit in spirituali utilitate petentis dispensationem, quae plurimi habetur a Perez *De matrim, in disputât. 20, sect. 7 num. 11* et a constanti S. Congregat, praxi.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS VINCULI. Matrimonii vero defensor in primis observat, coniuges concorditer egisse in vinculi civilis relaxatione , simulantes ex parte mulieris absolutam reluctantiam ad maritalia obsequia.

Nec diverso modo agere pertentant coram Ecclesia, postquam a tribunali civili divortium obtinuerunt. Sed orator confidit, hac vice eorum conspirationem haud eis iuvare; siquidem argumenta, quibus existimant coniugium dispensan concludentia et verisimilia de facto non sunt.

Extra controversiam est, inquit, Oliverium et Mariam libere, spontanee ac mutuo amore matrimonium ini vis se; quapropter verisimile non apparet, Mariam pertinaciter repulisse virum, uti laicis iudicibus suasum est, vel, ut nunc affirmatur, per totum cohabitationis tempus Oliverium numquam ab uxore petiisse debitum. Difficillimum est enim credere, ait Coscius *De separatione tor. lib. 5, cap. 2, num. 261 et seqq.,* « quod duo sponsi ambo potentes, qui ad explendam libidinem voluntarie statum coniugalem elegerint in ea aetate, quae viribus pollent, copulam haud expleverint. »

Frustra insuper, inquit, oratoris patronus praesidium quaerit in *can. Requisisti q. 1, caus. 34,* seu *cap. 5 De frigidis et maleficiatis,* affirmans exploratum esse, quod ad gignendam in Iudicantium animis moralem certitudinem, iuratam coniugum fidem septimae manus, iurato testimonio roboratam sufficiat. Nam testimonium septimae manus, quando testibus tempore non suspecto nihil a coniugibus revelatum est, remanet pure et simpliciter testimonium de credulitate, quod matrimonialibus in causis semper quidem requiritur « ut cautiori diligentia adhibita (ita *Sánchez)* dissolutio matrimonii fiat. Quae res maximi momenti est. » At per se probationem proprie dictam minime constituit. Imo eam praesupponit, sive aspectu corporis mulieris, sive, ut aiunt, coarctata, sive impotentia coeundi, sive aliis factis inter propinquos et vicinos, tempore non suspecto evulgatis, perfectam.

At praesenti in causa , notat orator , ne unus quidem testis qui quidquam de inconsummatione matrimonii audierit vel suspicatus sit, tempore non suspecto.

Miratur praeterea quod inter illos omnes testes, in Iudicio accersitos minime sint coniugum famuli, quos propalam est Oliverio et Mariae numero plures fuisse. Isti testes, qui diu noctuque coniugibus adfuerunt examini adducendi erant, si veritatis amor cordi fuisset. Hi procul dubio pretiosiora iis renuntiassent, quae referunt, Mariae pater, dum ait : « Au debut du mariage les époux paraissaient très « heureux » ; dominus Berenger, Senatus vice-praeses, qui

affirmât: « Ils paraissaient s'entendre très bien et se faisaient, beaucoup de prévenances » ; nec non comitissa de Villeneuve, quae testatur : « La vie commune des jeunes époux paraissait heureuse lorsque je les ai vus huit jours après le mariage ». Atque praeter famulos, epistolae complures intercesserunt sive inter coniuges, sive inter Oliverium et Mariae patrem, interque alios ; sed pretiosae istae litterae frustra quaeruntur in actis.

Ad trutinam dein revocans sacramenti vindex experimentum virginitatis in Mariam peractum, notat omnigenis fallaciarum et deceptionum periculis obnoxiam semper esse talem explorationem, sicuti tradunt Sánchez *De matrim, lib. 7, disp. 108, num. 8,* « saepe, inquit, oculi et manus (explorantium) falluntur ; eo vel maxime quod feminae multis fraudibus utantur, quibus virgines apparent », atque Zacchias, *quaest, medie, legal, lib. 3, tit. 2, quaest. 7, n. 1.*

Ad obviandas huiusmodi insidias Sacra C. C. *die 22 Augusti 1840* formam accurate definivit, qua exploratio facienda est. Curia Parisien, vero et hac vice more solito haud servavit in virginitatis exploratione praescripta *Instruct, die 22 Augusti 1840 ;* quippe Mariam non tres obstetrices , sed duo medici per se explorarunt. Atque ita, prosequitur, non saltem quinque testes adhibentur, sed totum gravissimum negotium a duobus solummodo testibus absolvitur; quinimo non tam duo, quam unus solummodo testis esse videtur. Nam Lutetiae Parisiorum mos est ut periti una simul negotium expleant. Quod sapientissime vetitum est in cit. Instructione S. C. C. : « Ad corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit ».

Quibus ex utraque parte relatis, propositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SSmo super dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re discussa sub die 22 Augusti 1896 censuit respondere : *Affirmative.*

PARISIEN, SEU AURELIANEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 25 Iulii 1896.

Sess. 24, cap. 5, De Ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Maria, puella spectabili genere orta ac religiose educata, vix attigerat 17 aetatis annum quum, instante eius patre et consilio R. D. Desnoyers Vic. generalis Aurelianen., desponsata fuit Aureliae ad S. Paterni ecclesiam *die 29 Aprilis an. 1869* iuveni Iosepho 27 annos nato.

Coniugium, etsi paucis diebus paratum, libere a partibus contractum, ab omnibus prosperum ominabatur, sed contrarium ostendit eventus. Siquidem vir, cum, ut videtur, se imparem ad coeundum agnosceret, quin matrimonii consummationem tentaret, turpibus actibus in uxore suae satisfaciebat libidini. Eiusmodi coniugalis conversatio displicebat Mariae, tamen, ut ipsa narrat, rei uxoriae prorsus inscia secreta thalami nemini revelavit.

Progressu vero temporis mulier suspicata est, illos actus haud esse licitos, quapropter rem aperuit matri et proprio confessario, qui eidem iniunxit hos turpes actus vitandos omnino esse et tantummodo permittendus eos ad generationem ordinatos. Tunc primo, uti refert mulier, Iosephus maritalem copulam pertentavit, sed semper omnes eius conatus in irritum cesserunt, quia, ob virilium inertiam, nunquam valuit vaginam penetrare, quamvis digitorum subsidio uteretur.

Ex hoc abnormali statu Mariae valetudo in dies deperire cepit, quippe, iuxta narrata, vir eidem unguibus in muliebribus vulnera inflixerat, quae in purulentum ulcus versa acerbis doloribus eam cruciabant. Cum autem Iosephus ab huiusmodi illicita coniugali conversatione nollet recedere, mulier consilio confessarii ac medici curantis, post septem a matrimonio annos recusavit se diutius viro con-

clormituram; atque statutum fuit ut in posterum coniuges viverent sub eodem tecto, sed separatis cubilibus uti frater et soror. Cui conditioni videtur facile acquievisse Iosephus.

Quatuor vero post annos, *die 7 Ianuarii 1880*, quo solemniter celebrabatur sui leviri coniugium, Iosephus domo uxoris aufugit non amplius reversurus.

Transactis iam novem annis a mariti discessione, Maria coram civili Tribunali Parisien, petiit in sui favorem corporum ac bonorum separationem, quam, haud contradicente viro, facile obtinuit. Denique sub fine *anni 1892* supplicavit Summum Pontificem, ut suum matrimonium dispensare dignaretur, utpote ratum et non consummatum, ac simul petiit, ut processus non in Curia Aurelianensi, sed, gravibus ex rationibus a suo quoque Ordinario approbatis, in Parisien. Curia conficeretur.

S. C. Congregatio annuit oratricis precibus atque ad processus instructionem delegavit Emum Archiepiscopum Parisiensem.

Constituto Tribunali, excussa fuit oratrix ac eius septima manus, et postea deventum est ad physicum experimentum corporalis mulieris integritatis, quod vero a duobus tantum medicis fuit peractum.

Vir ter legitime citatus, etsi promisisset, se paratum esse ad Tribunalis mandata exequenda, haud comparuit, nec septimae manus testes indigitavit, sed solummodo dedit Curiae Parisien, epistolas, in quibus totis viribus protestatur contra gratuitas uxoris assertiones, atque sustinet centies cum ea matrimonium consummasse. Quapropter ad viri contumaciam aliquo modo supplendam factum est, ut solertia Iudicis plures testes ex officio vocati sint.

Processualibus tabulis absolutis, Iudex eas S, C. transmisit, haec referens: « Unum tantum notandum habeo; nempe actricem in causa omnino nobis commendabilem se praebuisse, reum autem, quamvis pluries citatum, noluisse coram Tribunali comparere, etsi Parisiis degat, et ad hanc Curiam accesserit. Varias quidem induxit rationes, ut ab

obligatione comparendi solveretur; timor autem ne cogeretur suam impotentiam fateri, vera videtur esse causa propter quam ab interrogatoriis se eripuit.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MULIERIS. Actricis advocatus recolere incipit non consummationis probationem tribus ex capitibus resultare ordinario debere; nimirum iurata partium depositione, testimonio septimae manus, et corporali mulieris inspectione. Quae autem tria probationum genera, ex actis in themate dilucide scatent. Adest in primis iurata uxoris fides, quae praestito iuramento coram Iudice, maxima sinceritate retulit: « Dans les premiers jours du mariage, il y a eu des attouchements anormaux, qui n'étaient pas l'accomplissement du devoir conjugal, et auxquels je me suis prêtée, parceque ma mère m'avait dit, que mon mari étant chrétien, je devais m'en rapporter à lui et laisser faire. Jamais alors mon mari ne m'a demandé l'accomplissement régulier de l'acte conjugal. J'ai parlé à mon Confesseur de ce qui se passait entre mon mari et moi, et mon Confesseur m'a dit de ne pas céder aux désirs de mon mari, mais de lui demander l'acte conjugal ».

Quae iudicialis confessio iuxta patronum apodictica omnino est, maxime si cum aliis declarationibus, sive in iudicio sive extra iudicium panditis comparetur. Oratrix semper constans ac sibi cohaerens invenitur in texenda infelicis sui connubii historia a prima nuptiarum nocte ad diem separationis; quae quidem concors et sincera narratio non simplex et nuda est facti enunciatio, sed circumstantias rerum gestarum, locorum temporumque omni diligentia refert.

Vult insuper advocatus, actricis depositionem firmitatem accipere si conferatur cum testium depositionibus de re maxime instructarum atque omni exceptione maiorum. Sane testis Argant a secreto confessionis hac super re a Maria relaxatus confirmavit depositiones mulieris.

Eodem modo deponit alter Mariae confessarius, Desnoyers Vic. generalis Aurelianen.

Montgey oratricis consobrinus affirmat matrimonium inconsummatum mansisse ob certam viri impotentiam.

Cui consonat, prosequitur patronus, Henricus d'Achon testis ex officio, qui ait: « C'est au mari que l'on attribuait la responsabilité de cette non consommation, pour cause d'impuissance de sa part, relative à la conformation ».

Cum autem habeantur tot testes, omni exceptione maiores, qui amplissimum dant testimonium de oratricis religione ac scrupulosa veracitate, et particularia de tempore non suspecto referant facta, inconsummationem comprobantia; orator existimat spernendam prorsus esse Aloisii Dandier depositionem, qui postquam affirmaverat plene confidere in Mariae honorabilitate ac veracitate, protestatus tamen est, suam affirmationem de non sequuta consummatione ei non suificere ad credendum matrimonium non consummatum.

Nec veritati causae ab actrice propugnatae, iuxta advocatum, officit pertinax eius viri Iosephi contumacia. Eiusmodi contumacia, praeterquam quod in iure uti tacita confessio habetur, et S. C. C, constanti praxi, similibus in adiunctis dispensationem concessit, in praesenti luculenter impotentiam arguit. Si enim Ioseph impotens haud esset, et reapse matrimonium consummasset, non solum extraiudicialiter asseruisset suam viripotentiam et matrimonii consummationem, sed coram Iudice et omnibus mediis possibilibus suas assertiones comprobavisset.

Quae hucusque dicta sunt circa inconsummationem matrimonii, irrefragabilem recipiunt confirmationem, prosequitur patronus, ex corporis oratricis examine, iuxta legis praescripta peracto. Doctores enim iurati autumant, partes genitales mulieris esse omnino integras, et matrimonium non fuisse consummatum.

Horum peritorum consentaneum iudicium, si opus esset, roboratur, iuxta advocatum, a Doctorum Le Bec et Ozanam testimonio, qui antea extraiudicialiter Mariae corpus inspexerunt.

Sermonem denique facit orator de dispensationis causis, quas inter potissima a DD. habetur dubia vel probabilis alterutrius coniugis impotentia, ita Sánchez *lib. 2, Disp. 16, n. 6;* Cosci *lib. 1, cap. 16, n. 197, et lib. 3, cap. 2, n. 386;* et Ursaia *tom. 3, par. 2, n. 103.* Praesenti in casu vero non agitur, inquit, de dubio, sed viri impotentia certa omnino et manifesta est atque ex actibus apparet antecedentem insanabilemque esse. Iosephus enim ita ingenue ad uxorem scribit post separationem quoad thorum. « J'ai fait votre malheur Marie; j'ai empoisonné votre vie.... mais veuillez croire que moi seul en ai été la cause.... Il est irréparable et ce sera le ver rongeur de ma vie.... Si nous n'avons pas été rapprochés sur la terre nous serons réunis en ciel ». Et ipse medicus Ozanam, qui oratricis corpus exploravit, impotentiam Iosephi iudicat insanabilem, aiens: « J'affirme que l'acte insuffisant n'a pu tenir qu'à l'impuissance d'érection virile de la part du mari, et quinze années écoulées ainsi, ne laissent pas d'espoir d'un changement possible ».

Alia dispensationis causa, pariter a S. Congregatione recognita, iuxta advocatum, habetur in maxima Mariae repugnantia et aversione erga virum, ita ut omnis reconciliatio impossibilis modo evadat.

Idem deponunt Rmus Desnoyers Vic. generalis Aurelianensis: « Quant à reprendre la vie commune, impossible », et ceteri omnes testes.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS VINCULI. Matrimonii vero defensor notare incipit, quomodo in confessis sit, Mariam per octo annos eodem in lecto cum Iosepho concubuisse. Iamvero nemo facile credet, Mariam tandiu aequo animo tallisse, ut anima et corpore a viro pessundaretur. Et multo minus, Iosephum enixis precibus exorasset ut revertatur.

Huc accedit, ait. quod Maria, dum inconsummationem matrimonii demonstrare pertentat, in tot laqueos se inducat, quorum ex nullo se unquam expediet. Siquidem: « Pour moi (narrat ipsa), je dois avouer que je croyais le mariage consommé: j'ai même fait des neuvaines pour avoir des en-

fants. Ce n'est qu'en 1888 ou 1889 que Mr. le Docteur Ozanam m'a appris que mon mariage n'avait pas été consommé, après m'avoir visitée lors de mon procès civil ». Et Mariae mater affirmat: « Je n'ai su qu'au bout de deux ou trois mois que le mariage n'était pas consommé. La santé de ma fille semblait décliner, et j'interrogeais mon confesseur sur ce que je devais faire. Il me commanda d'interroger ma fille sur ce, qui se passait entre elle et son mari et au besoin de l'instruire ».

Ex citatis, iuxta oratorem, patet secundo vel tertio ab absolutis nuptiis mense rem mature a matre et filia Maria discussam, adhibito etiam confessarii consilio, et matrimonium inconsummatum et Ioseph inutile lignum coniugali palaestra iudicatum fuisse. At si ita, non solum vix intelligitur quomodo fieri potuerit, ut Ioseph in domo uxoris per duodecim annos perseveraverit et subinde Maria reditum viri praestolata sit decem alios annos. Sed seipsam iugulai Maria, dum in iudicio iurat : « Ce n'est qu'en 1888 ou 1889 que Mr. le Docteur Ozanam m'a appris que mon mariage n'avait pas été consommé.... Je dois avouer que je croyais le mariage consommé, j'ai même fait des neuvaines pour avoir des enfants ».

Praeterea Maria inducit suae conscientiae moderatorem, Rmus Desnoyers, Vicarium generalem Aureliae, qui renuntiat: « Après plusieurs années, j'ai su par l'épouse que je dirigeais et qui m'a donné toute permission de parler, que le mariage n'a pas été consommé, elle me l'a répété plusieurs fois ». At si Desnoyers ista a Maria audivit, id profecto contigit ante annum 1875; ab anno enim 1874, observat defensor, Maria non Desnoyers, sed parochum Gustav um Argant conscientiae moderatorem habuit.

Verum quidem est, prosequitur vinculi assertor, medicam inspectionem ostendere matrimonium inconsummatum, at sciunt omnes experimentum huiusmodi deceptionibus atque fallaciis obnoxium esse, si expleatur minime adhibitis circumspectionibus, quae praescriptae sunt. In casu vero hae

circumspectiones spretae prorsus sunt. Reque vera iuxta *Insruct.* a S. C. C. edit. *22. August. 1840* inspectio corporis muliebris peragenda est a tribus saltem obstetricibus, per duos saltem medicos prius instructis. Sed Mariam duo medici tantum per se explorarunt. Atque dolet defensor, quod continuo Curia Parisien, haud observet *Instructionis* mandata, gravissimis rationibus sancita.

Quinimo in praesenti non tam duo, quam unus solummodo testis esse videretur, ait, quia Lutetiae Parisiorum mos est, ut periti una simul negotium expleant. Quod etiam vetitum est in cit. *Instructione:* « Ad corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit ».

Et reapse medici decepti sunt quum referunt Mariam integram, quia eadem, vertente 9 ab expletis nuptiis anno, ad virum scribit: « Un jour même, dans un lieu queje saurais vous dire, vous la (Mariam) blessâtes avec la main, ce qu'elle croyait du moins, ou plutôt ce fut de cette façon que vous eûtes le triste courage de détruire ce qu'elle avait de plus précieux, sa virginité!____Une femme mariée, respectée par son mari, comme tout homme d'honneur doit le faire, conserve jusque dans la maternité une auréole, vous l'avez arrachée de mon front____Après trois mois environ d'une vie horrible, dont personne, Dieu merci, n'a idée, vous cédâtes en partie, vous accomplîtes enfin ce que toutes les lois religieuses et humaines ordonnent dans le mariage, mais soit que vous soyez réellement impuissant à la paternité (opinion de médecin), soit que blessée comme je l'étais et d'une façon si indigne, je ne puisse plus être mère, soit enfin que Dieu punisse votre faute, en refusant à votre orgueil d'aimer un fils, dont il eût été si fier.... ».

Ideoque argumentatur ligaminis vindex, Maria, quam parisienses cognitores modo intactam renuntiant, labente nono anno a matrimonio, tempore non suspecto, scripto tradit suum hymenem abruptum fuisse atque virginitatem amisisse primis coniugii temporibus. Et cum talia Maria scribebat probe de rebus coniugalibus instructa erat a matre et a con-

fessariis. Neque hymenis fractura ea fuit, quae tractu temporis evanescere potuerit, quippe mater iurat, filiam Mariam tum sibi dixisse: « Ma chère maman, je ne sais pas si c'est ce qu'il faut pour avoir des enfants, mais je ne puis plus supporter ce que je souffre, je ne puis plus m'asseoir ».

Sed et clariori modo defensori manifesta efficitur consummatio matrimonii ex attenta consideratione earum rerum, quas Maria sponso scripsit, exactis octo ab hymeneo annis. Si enim eo tempore coniugium inconsummatum fuisset ex viri ineptitudine, certe Maria in suo scripto de hoc unice vel saltem potissime egisset; dum scriptis designare videtur tantum originem dissidii cum viro suo.

De duobus in scriptis queritur Maria, inquit defensor: de malis moralibus et physicis sibi a viro effraeni libidine illatis; et de detrectatione obsequiorum coniugalium appicta sibi a Iosephi matre. Ad primum statim Maria literas a Iosepho accepit, in quibus ille reum se confitetur probatque Mariae consilium, imo magnanimitatem demiratur. Sed aliter res se habuit quoad alteram Mariae querelam. Iosephi enim mater culpare Mariam minime desiit, sed, ceu videtur, apud vulgus eam traducere in deliciis habebat; adeo ut Maria die 20 Aprilis 1879 opportunum duxerit per epistolam se defendere atque suam sterilitatem adscribendam esse viri culpae.

Modo orator descendit ad examen testium iudicialium et imprimis nonnulla invenit quae ei videntur non convenire cum iis quae Maria tempore non suspecto scriptis consigliavi^ speciatim circa testem Argant, Mariae confessarium.

Dubia praeterea oratori apparent sequentia Vicarii generalis Desnoyers verba, qui ait: « Après plusieurs années j'ai su par l'épouse que je dirigeais et qui m'a donné toute permission de parler, que le mariage n'a pas été consommé, elle me l'a répété plusieurs fois ». Si Franciscus vera narrat , de inconsummatione matrimonii non in ipsa novitate coniugii audivit, sed « après plusieurs années » : idque audivit a Maria, sed non in confessione. Alter enim Mariae

confessarius Argani, ab anno 1874 sibi hoc vindicat officium. Si autem extra confessionem et tempore suspecto « après plusieurs années » de matrimonii inconsummatione a Maria audivit, non intelligitur qua ratione inserat verba « que je dirigeais et qui m'a donné toute permission de parler ».

Hucusque dicta defensor roborare contendit, referens Iosephi protestationem actuario Curiae Parisien, missam, qua evincere studuit suam potentiam, dicendo centies matrimonium cum Maria consummatum fuisse.

Postremo assertam matrimonii inconsummationem amandat inter fabulas sacramenti tutor, etiam ex iis quae affirmat Gabriela Dandier , *amie et confidente* Mariae, quae testatur: « Je n'ai su que très tardivement que le mariage n'avait pas été consommé. Il y a un an environ que j'ai appris d'une manière positive que le mariage n'avait pas été consommé ». Impossibile est enim credere Mariam per duodecim annos cum viro convixisse, totidem annos vixisse a viro seiunctam, et tamen inconsummationem matrimonii celari optime potuisse Gabrielae Dandier, Mariae familiarissimae ac intimae. Quinimo Euphrasia Bachelier, quae Mariae per totum tempus, quo coniugalis cohabitatio perduravit, famulata est qua cubicularia, nihil unquam suspicata est, sed cum Maria cogitavit agere apud tribunal laicum, tum primum de inconsummatione matrimonii audivit ab ipsamet Maria.

Hisce praenotatis, suppositum fuit diluendum

Dubium

An con sul end, am sit SSmo super dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re disceptata sub die 25 Iulii 1896, censuit respondere: *Affirmative, vetito viro transitu ad alias nuptias, inconsulta S. Congregatione.*

MONOBCEN.

DISTRIBUTIONUM

Die 12 Septembris 1896.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. In Ecclesia Cathedrali Monoecensi, ad Cathedrae dignitatem evecta anno 1887, Capitulare statutum singulis canonicis duos concedit vacationum menses continuos ; tertium vero mensem indulget interpolatis vicibus fruendum ; sed semper amissis distributionibus : en littera articuli *in cap. II Statutorum* § *II : Spatio trium mensium liceat singulis canonicis quotannis abesse, animi relaxandi gratia, amissis distributionibus ; attento vero parvo numero Canonicorum nonnisi per duos menses continuos abesse poterunt, tertii vero 'mensis vacationibus interpolatis absentiis frui poterunt.*

Sacerdos Ribour, huius Cathedralis canonicus in more habet, tres vacationum menses continuos transigere extra Dioecesim, quorum unum insumit consulendo, in Helvetia, suae valetudini per aquas thermales , alios vero destinat peregrinationibus per dissitas Europae regiones factis eo consilio , ipse ait, tum valetudinis recuperandae, tum animi relaxandi. Quare Canonicus negat, se distributiones amittere quia vacationes adhibet, praecipue non animi relaxandi causa, sed ratione valetudinis. Infirmitatem vero esse causam absentiae legitimam, arguit Canonicus, neminem latet.

Sed rem non ita intelligunt alii Capitulares qui autumant. Canonico Ribour applicandam esse praescriptionem citati articuli, *primum,* quia non tres menses, sed unum ad summum, ei inservit ad valetudinem reparandam ; alii vero duo sunt ad solatium ; et *secundo,* quia ius Canonicum non concedit absenti ob infirmitatem beneficium lucrandi distributiones, nisi aliunde diligens est et assuetus regulari servitio chori. Canonicus Ribour autem, instant Capitulares, solemne habet ut tres aestivos menses sibi vacuos assumat a servitio chori, interim in longinquis regionibus peregre agens.

Quamobrem Capitulum sub *die 16 Novembris 1892,* decretum edidit, quo non legitimam recognoscebat in Canonico Ribour abessendi causam pro lucrandi s distributionibus, quas solvere eumdem iubebat pro tempore mensium vacationum. Non enim ibi constituta est massa distributionum, sed ad singulam punctaturam aliquid exsolvit absens, quod aliis accrescit.

Ast Capituli decretum non devicit Canonicum Ribour, qui renuens solvere, est prosecutus eadem ratione frui tempore vacationis.

Capitulum ad Episcopum recursum habuit pro sui decreti confirmatione, et Episcopus sequens dedit decretum :

« Exposuit Nobis Ven. Capitulum Cathedralis Ecclesiae se ad pluralitatem votorum die 16 Novembris anni 1892 deliberasse, distributiones quotidianas minime tribuendas esse iis Canonicis, qui cum singulis annis vacationes sumere soliti sint iisdem omnino mensibus, aliquod temporis spatium ad balnea vel ad aquas thermales, iisdem vacationibus durantibus, insumere aliquoties vellent etiam occasione seu praetextu sanitatis tuendae, quia iis in adiunctis causa absentiae a choro non esset necessitas tuendae salutis, sed voluntas fruendi vacationibus ; sed cum huic resolutioni seu deliberationi sese opposuerit Canonicus Carolus Ribour, atque constanter recusaverit amissioni distributionum se subiicere pro diebus ab ipso transactis ad aquas Thermales, tempore vacationum ultimis duobus annis, iudicio auctoritatis Nostrae ordinariae controversiam submittere Ven. Capitulum necessarium putabat, ad praescriptum suarum Constitutionum capitularium Cap. X § III. Ideoque a Nobis petebat ut declarare dignaremur utrum praefatam deliberationem capitularem approbatione dignam iudicaremus, et in casu affirmativo, ut praenominatum Canonicum Carolum Ribour amissioni distributionum pro diebus ab ipso transactis ad aquas thermales, ultimis duobus annis tempore suarum vacationum, obnoxium declarare atque edicere vellemus ».

« Nos itaque causas contentionum et dissidiorum e Nostrae Cathedralis Ecclesiae Capitulo de medio tollere cu-

pientes, simulque diiigentiori Chori servitio atque Statutorum et Constitutionum eiusdem Capituli, pleniori observantiae consulere volentes ; visa instantia ut supra Nobis porrecta, et deliberatione Capitulari praefata, ponderatis rationibus a Capitulo allatis, Canonico Carolo Ribour rite vocato et audito ; considerantes quod Canonici, qui singulis annis vacationes sumere soliti sunt iisdem mensibus, etiam sine necessitate se conferendi ad aquas thermales iisdem vacationibus eodemque tempore induisissent ; considerantes praxim a Sacra Congr. Concilii in similibus casibus a clarae memoriae Benedicto Papa XIV in sua Institutione 107, et ab aliis auctoribus relatis, constanter retentam, deliberationem praefatam approbandam iudicamus, prouti praesentium tenore plene approbamus ; atque ideo omnes omnino Canonicos Cathedralis Nostrae Ecclesiae obligasse et obligare decernimus ».

« Cum vero Canonicus Carolus Ribour, qui praedictae deliberationi se opposuit, non solum iis in adiunctis inveniatur, de quibus in eadem sermo est, constat enim ipsum singulis annis mensibus Iulii, Augusti et Septembris solitum fuisse extra Dioecesim se conferre et commorari, sed ultimis praesertim duobus annis vacationibus indulserit extra Dioecesim, absque Nostra licentia, contra praescriptum Statutorum Capitularium Cap. II §§ VI et VIII, frustra opponeret necessitatem se conferendi ad aquas thermales de consilio Medicorum ad evitandam poenam amissionis distributionum: pluries enim Sacra Congr. Concilii definivit, et praesertim in *Ripana* 24 Martii 1657 - *Canonicum absentem a residentia suae Ecclesiae, ex quavis causa, quamvis iusta et legitima, percipere non debere distributiones quotidianas, nisi copulative obtinuerit expressam licentiam Episcopi dioecesani, etsi Capitulum vellet ad illas admittere Canonicum absentem.* Quinimmo poenis etiam mulctandus foret a Concilio Tridentino comminatis Cap. 12, Sess. 24 de reform, et in Statutis capitularibus commemoratis, quia aliquoties nonnullos dies ultra tres menses absens fuerit, a quibus tamen poenis huc-

usque abstinendum putavimus, quatenus imposterum eumdem Statutis Capitularibus se conformaturum, eosque prouti ceteri faciunt exacte observatur um confidimus. Etiamsi igitur aliqua dubietas superesse posset, quod non credimus, de legitimitate iustitiaque deliberationis capitularis diei 16 Novembris 1892, adhuc tamen Canonicum Carolum Ribour amissioni distributionum pro diebus omnibus, quibus abfuit a Chori servitio, ultimis duobus annis, indubie obnoxium fuisse et esse declaramus ; eidemque obligationem incumbere edicimus deponendi penes Thesaurarium Capituli summam respondentem distributionibus amissis, iuxta computum ab eodem Thesaurario confectum ».

« Cui obligationi satis faciendae spatium triginta dierum a praesentis mandati notificatione, ipsi facienda assignamus; sub poena, in defectu aliorum mediorum coercitionis, suspensionis a celebratione Missae praefato temporis spatio inutiliter elapso incurrendae ».

« Praeterea sub eadem poena praecipimus eidem Canonico Carolo Ribour, ne imposterum vacationes sumat extra Dioecesim Nostram et Territorium vicinae Dioecesis Niciensis absque expressa nostra Licentia et ultra duos menses continuos, prout in Constitutionibus Capitularibus praescribitur Cap. II, § VI ; quam praescriptionem in suo pleno vigore manere debere decernimus et ab omnibus observari iubemus. Datum Monoeci ex Nostra Episcopali residentia hac die 28 Martii anni millesimi octingentesimi nonagesimi quarti ».

Huic decreto Canonicus obtempera vit, sed anno 1895, suo mori indulgens, tres aestivos menses extra Dioecesim transegit, Episcopi venia non expetita, et nihilominus distributiones amittere quotidianas recusavit. — Quare Episcopus ad S. C. C. recursum habuit, petens an suum decretum sustineretur, idemque in canonicum urgere quoad annum delapsum et in futurum deberet.

Disceptatio Synoptica

QUAE FAVENT CANONICO RIBOUR. Canonicus Ribour in sui defensionem animadvertit, se ab Episcopo et a Principe monoecensi quum Ecclesia Cathedralis instituta fuit, reluctantem, ob non firmam valetudinem, invitatum fuisse ad Canonicatum suscipiendum, quem ait ipse, acceptare statuit, postquam rescivit tres vacationum menses concedi singulis capitularibus a Concilio Tridentino. Quare narrat, se usque protestatum fuisse contra capitularia statuta hanc benignam concessionem Concilii Trid., angustioribus terminis constringentia.

Canonicus refert, se post annum 1887 graviter aegrotasse quo circa, aestivo tempore, ad aquas thermales se contulit, suam absentiam ab Ecclesia beneficii protrahens ultra tres menses, ita se gerens tribus insequentibus annis, quin quotidianas amitteret distributiones.

Tunc Capitulum *anno 1892* citatum edidit decretum quo iubebat « distributiones minime tribuendas esse iis canonicis, qui cum singulis annis vacationes sumere soliti sint, iisdem omnino mensibus, aliquod temporis spatium ad balnea vel ad aquas thermales, iisdem vacationibus durantibus, insumere aliquoties vellent, etiam occasione vel praetextu sanitatis tuendae ».

Hoc decretum eo spectabat, ut Canonico Ribour suetum morem fruendi vacationibus et distributionibus prohiberet. Quamobrem hic vehementer pro testatus est, invocans iuris Canonici et aequitatis rationes.

Ipsum vero iam 70 annos natum, et Cappellani militaris in Classe G-allica iamdiu functum, et exinde laboribus tractum, duo medici testantur hodie pertentari morbo articularlo *{vulgo gotta)*, qua de causa ei balnea fchermalia consuluerunt uti necessaria tuendae valetudini.

Iuris non dubia argumenta eidem Canonico suffragantur. Nam Bonifacius VIII, *cap. Consuetudinem, de Clericis non residentibus in 6,* postquam generatim edixit, distributionibus

absentes carere ; haec statim adiungit : « Exceptis illis,, quos infirmitas aut iusta et rationabilis corporalis necessitas aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret ». Quod Concilium Trid. renovavit *cap. 13, Sess. 24 De Ref.*

Unde in *Nucerina diei 17 Feb. 1838,* advertebatur: « Si vel iure civili infirmitas ab officio et munere semper excusat, eo magis excusabit iure canonico, quod ab Ecclesia procedit,, quae viscera pientissimae matris induit, et filiorum suorum calamitates blande consolari semper studuit ». Et S. C. C. *die 15 Aprilis a. 1511* iussit: *Eos qui absunt a servitio chori ob infirmitatem vel aliam causam, percipere debere distributiones quotidianas sui Canonicatus, perinde ac statis horis interessent ; percipere etiam augmentum distributionum, quas amittunt illi qui divinis non interfuerunt. Ex lib. 11 Decret, pag. 98 a tergo; apud Bened. XIV,* Inst. 107, § 46.

QUAE ADVERSANTUR CANONICO RIBOUR. Ex adverso in primis innui debet quod habet Bened. XIV *in cit. Inst. § 47** advertens : « Neque id satis habetur si Canonici aegrotantes a choro abesse consueverunt, dum incolumes erant. Tunc enim absentia non morbo tribuitur, sed voluntati, qua putantur inhaerere proposito Ecclesiae minime inserviendi. » Unde S. C. C. *in una Mantuana lib. Decret. 13 pag. 197,* apud *Bened. XIV I. c, diei 6 Februarii 1627* probavit : « Distributiones quotidianas ita demum aegroto deberi si alias Ecclesiae solitus erat inservire, cuius iustificatio remittitur conscientiae Episcopi ». Et S. Rota *in una Hispalen. Distributionum 2 Maii 1603* eleganter ita decidendi exprimit rationem: « Distributiones debentur Canonicis, qui dum sani erant, divinis officiis interesse solebant : alias enim distributiones quotidianas non lucrantur; quia morbus non est causa non residendi in iis, qui etiam sani non resedissent ».

Atqui, instant Capitulares, in probatis existit ex libris punctaturarum, Canonicum Ribour ab ipso primo anno captae possessionis sui canonicatus, usque in praesens, singulis omnibus annis vacationem sumpsisse *trium mensium con-Unitorum,* contra statuti Capitularis praeceptum; eumdemque

extra dioecesim se conferre, absque venia Episcopi, quod a Statuto capitulari interdicitur. Nam in Cap. II § 8 cavetur: « Ut quis duorum mensium continuatorum vacatione extra Dioecesim gaudere possit, licentiam ab Episcopo obtinere debet, qui illam non concedat nisi duobus Canonicis pro eodem tempore ; etc. »

Ipse Episcopus in suo decreto resolutionem citat S. C. C. quoad necessitatem impetrandi Episcopi licentiam ; quod iuris communis punctum clarius explicant sequentes declarationes. S. C. C. *in causa ladren die 9 Maii an. 1626* edixit: « Sacra Congregatio, tametsi declaraverit, nullam requiri licentiam ad hoc, ut Canonici abesse possint in mensibus a Concilio permissis ; censuit tamen, hanc declarationem non vindicare sibi locum, quoties Canonici abesse volunt extra Dioecesim ; ac proinde hoc casu Episcopi licentiam esse obtinendam. Ceterum Episcopos non debere illam absque rationabili causa negare ». Namque antea S. C C. *in causa Abulen. a. 1581 lib. Decret. 14, p. 4.67 apud Bened. XIV I. c.* ita respondeat quaestioni : « An Dignitates, Canonici, Portionarii, Cantores, aut alii officiales abesse possint a servitio Ecclesiae sine licentia Episcopi ? Sacra etc. censuit : non requiri licentiam Episcopi quando Dignitates, Canonici aut Portionarii abesse volunt tempore, ipsis a Concilio permisso ; non tamen omnes simul abesse posse, ne Ecclesia suo debito servitio destituatur. Quota autem pars simul abesse possit, relinqui arbitrio Episcopi et Capituli ». Quae decreta, servitii choralis disciplinam sane proxime attingunt, suntque magni ponderis.

Quibus animadversis, quaesitum fuit, quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra CC. revisa sub die 12 Septembris 1896, censuit respondere : *Canonicum Ribour teneri ad solvendas punctaturas in casu.*

TAURINEN.

NULLITATIS MATRIMONII

Die 12 Iulii 1890 et 2 Maii 1896.

Sess. 24, cap. 1, de ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Die 8 Augusti 1863 Augustae Taurinorum, in Ecclesia Parochiali Magnae Dei Genitricis, nuptias inibant Francisca T. . . . et Agatocles B. . . . Hic mercator erat suumque domicilium ac florentem negotiorum sedem Nicaeae habebat, et nonnisi paucos ante dies Augustam Taurinorum venerat, Matrimonii contrahendi causa. Francisca vero, filia cantoris celeberrimi Antonii T. . . . , 40 circiter ante dies e Nicaea, ubi hiemaverat, Augustam Taurinorum una cum patre, matre et minore sorore petierat, et ex benigna Comitis Nigra concessione in suburbano vulgo *delia Regina,* in districtu Paroeciae Magnae Dei Genitricis sedem posuerat.

Nunc huiusmodi matrimonii valor impugnatur vitio clandestinitatis: siquidem Francisca contendit, eius patrem domicilium suum tunc temporis habuisse Parisiis, quasi domicilium Nicaeae, Taurini autem nonnisi precariam ad rusticandum habitationem, ideoque extraneum prorsus fuisse a Paroecia Magnae Dei Genitricis: idem dicendum de viro: Parochum vero Magnae Dei Geniticis nulla delegatione fuisse suffultum, sed errore aut ignorantia ductum, qua proprium utriusque, dum neutrius Parochus erat, egisse.

Quomodonam vero contigerit ut controversae hae nuptiae Taurini celebrarentur paucis ita narratur. Medio mense Iulio, dum familia T. . . . in Taurinensi suburbano degebat, fertur, Agatoclem B. . . . per litteras Franciscam, quam Nicaeae antea noverat, sponsam a parentibus postulavisse: Franciscam eiusque parentes magna cum festinatione huic petitioni morem gessisse, et incontinenti virum compulisse, ut Taurinum ad ineundas nuptias accurreret; qui sine mora consensit, et sic negotium brevi consummatum est.

Cum vero de clandestinitate modo fiat quaestio, praestat usque ab initio referre quae in authenticis documentis, quoad hoc punctum continentur. Itaque in primis in dotalitia stipulatione, quae coram consule Gallico, biduo ante nuptias, die 6 Augusti 1863, Taurini celebrata est, de sponsorum domicilio Notarius haec scriptis mandavit: « Furent presentes M. Agatocles B...... Négociant, *demeurant ci Nice...* et M. Fannv T/ T....... sous l'autorité et l'assistance de ses père et mère, présents, et avec lesquels *elle a demeuré à Paru jusquct présent ».*

Vicissim in libro Matrimoniorum Paroeciae Magnae Dei Genitricis haec scripta leguntur: « L'anno del Signore 1863 alii 8 del mese di Agosto nella Parrocchia, ecc., premessa una pubblicazione nella Parrocchia suddetta, con dispensa dalle altre, è stato celebrato Matrimonio ecc. fra il Sig. Agatocle B...... d'età d'anni 40, *nativo di Nizza Marittima, domiciliato in Torino Borgo Po*_____e la Signora Francesca T....... d'età d'anni 23, *nativa di Parigi, domiciliata in Torino, Borgo Po,* Parrocchia della Gran Madre di Dio, figlia del vivente Cav. Antonio, *domiciliato in Torino Borgo I'o,* ecc. ».

Quidquid sit, post nuptias sponsi statim Taurino profecti sunt, et post brevia itinera, Nicaeam denuo redierunt. At, discordantibus animis, educatione, ingenio, quousque societas duravit, uterque ab alio perpetuo dissensit. Infecundae insuper nuptiae fuerunt; et vir, prout asseritur, cito sine pudore, immo cum ostentatione, alias mulieres deperire coepit. Unde tandem communis vitae consortium abrumpendum fuit, et Francisca apud Patrem se recepit, cum quo usque ad mortem convixit, idest ad ann. 1876. Postea anno 1884 obtinuit a tribunali civili separationem corporum ac bonorum, ex quo tempore Francisca degit Nicaeae inter Moniales a SS'¿"70 *Sacramento* nuncupatas, donec die 7 Decembris 1887 consequuta est divortium civile. Quo obtento, mense Iulio a. 1888 novum civile matrimonium inivit.

In his itaque adiunctis, valde cupiens consulere conscien-

tiae, SSmum adiit exoratura, ut processus ad declarandam sui matrimonii nullitatem Ordinario Niciensi, utpote proprio viri seu rei in causa iudice, committeretur, reservata tamen S. C. C. sententiae etiam primi gradus ferendae potestate, ne murmurationibus et mordacitatibus maior ansa Nicaeae praestaretur.

Precibus admissis, processus absolutus fuit partim Nicaeae, partim Taurini, partim Parisiis; atque denique S. C. C. causam discussit, sub dubitandi formula « *An constet de matrimonii nullitate in casu* ». Cui dubio respondere censuit « *dilata et compleantur acta iuxta instructionem dandam a defensore matrimonii ex officio* ».

Statim eodem mense vinculi tutor distinctas dedit instructiones ad Curias Parisien., Nicien. et Taurinen., quas referre opportunum duco. Pro Curia Parisien, haec exarata fuit instructio.

« Francisca T.......... Niciae degens, matrimonium, quod anno 1863 sub die 8 Augusti cum Agatocle B...... Niciae cive, contraxit Augustae Taurinorum, clandestinitatis vitio infectum proclamat, praesertim quia pater eius Antonius T........... vir theatris deditus, domicilium Parisiis iamdiu constituerat, empta domo *rue Tronchet n. 9,* et ab anno 1849 villani *Brimborion* acquisiverat ».

« Non tamen diffitetur Francisca se cum parentibus et sorore Parisiis discessisse anno 1859, nec posthac eos pedem Lutetiam Parisiorum unquam admovisse, cum praefatum matrimonium celebratum est. Praeterea constat, tum villam *Brimborion,* cum domum parisiensem anno 1865, non a familia T..........., sed ab aliis possessas esse. Imo ab anno 1859 Antonius T.......... eas venditioni exposuit, et earum venditio facta forsan est ante praedicti matrimonii celebrationem.

« Emi Patres S. C. C. antequam secundum vel contra Franciscam decernant, dignoscendum censet tempus venditionis praefatarum villae et domus. Qua de re sedulo notandum est, tempus quo Antonius T........... illas vendidit,

tempus quo illas emptori tradidit, necnon an memoratas domus exornatas, instructas ac sibi paratas usque ad earum venditionem perpetuo retinuerit, seu potius, post annum 1859, parisiensem potissimum domum locaverit. In omnem autem eventum abs re non erit inquirere an in ista Archiepiscopali Curia vel in parochiali *-N. I), de Lo rette* archivio, aut in Parochia et Curia, cui villa *Brimborion* subest, aliqua huius matrimonii existat memoria, an aliqua licentia parocho Taurinensi ad hoc impertita sit ».

Pro curia Nicien. instructio est, «. . . . . Ut meliori quo fieri potest modo demonstraretur, utrum Antonius T. . . . . una cum familia ab anno 1859 quotannis Niciae hibernaverit, an domum conduxerit eamque exornaverit et instruxerit, seu potius diaetam, ut aiunt, *mobiliata,* inhabitaverit, an pensionem praedictae domus sive diaetae aestivo etiam tempore, notanter anno 1863 solverit - an mense augusto 1863, quando Francisca T. . . . . cum Agatocle B. . . . . . matrimonium contraxit, Antonius T. . . . . memoratam domum vel diaetam Nicaeae conductam retinuerit ».

Instructio tandem data Curiae Taurinen, sequentis tenoris est: «_____Francisca contendit se et parentes eo *(matrimonii)* tempore rusticationis ergo Taurini per mensem et aliquot dies mansisse: - Nous étions (inquit) logés dans le palais royal appelé *Villa della Regina* chez Mr. le Comte Nigra, Ministre de la Maison du Roi, qui nous donnait gracieusement l'hospitalité sur la prière de la famille de Mr. Ferri, un des meilleurs amis de mon père. - Quae cum ita sint, Emus Archiepiscopus non dedignetur rationes exquirere, quibus innixi parochus et Praesul illius temporis, praefatos Franciscam T. . . . . et Agatoclem B. . . . . . matrimonio coniunxerunt ».

Disceptatio Synoptica

MULIERIS DEFENSIO. Franciscae defensor antequam directe ingrediatur in sui assumpti demonstrationem, perutile revocare censet canonicas dispositiones circa matrimonii celebratio-

nem. Conc. Tridentinum in *Sess. XXIV, Cap. i, de ref. matr.* statuit impedimentum *clandestinitatis* dirimens matrimonium: quod tunc habetur, quum non constet, nuptias celebratas fuisse, praesentibus duobus vel tribus testibus, coram parocho proprio alterutrius sponsorum; vel ex delegatione parochi proprii vel ordinarii. Parochus proprius intelligitur non quidem originis, sed veri et actualis domicilii, vel etiam quasi-domicilii; tantum qui carent domicilio aut quasi-domicilio possunt iure vagorum celebrare nuptias ubicumque sint: sed requiruntur nonnullae conditiones, Conc.Trid. *Sess.XXIV, cap. 7', de ref. matr.*

Domicilium autem, prosequitur orator, habetur « ubi quis inhabitat animi intentione eo loco perpetuo manendi », vel clarius domicilium est, « ubi aliquis larem rerumque ac fortunarum summam constituit, unde non sit discessurus si nihil avocet, unde cum profectus est peregrinar! videtur, quo si rediit peregrinan 'iam destitit » *L. 7, Cod. de Incoi.* Locus vero domicilii iure canonico est *paroecia.* Tum iure Iustinianeo, tum iure canonico duo etiam simul haberi possunt domicilia. Sánchez *De matrim. III, 24, 3,* S. Alphon. *VI, 1080.* Ad quasi domicilium quod spectat, ipsum est locus, ubi quis incolat animo manendi per maiorem anni partem, De Angelis *Praelectiones iuris Can. Lib. IV, tit. 3, de Clandestina despons., n. 4.* Demum vagi audiunt, qui modo huc, modo illuc aberrant, quin stabilem habeant sedem, absque animo in eodem loco manendi ad longum tempus.

Hisce praemissis, orator confidit facillime demonstrare posse, nuptias initas inter Agatoclem et Franciscam nullitate laborare ob clandestinitatis impedimentum. Non immoratur id demonstrando parochum, qui nuptias benedixit haud fuisse proprium viri; iste enim domicilium semper Nicaeae tenuit et Augustae Taurinorum venit, nuptias contrahendi causa tantum, uti meridiana luce ex actis apparet. Quod autem parochus Magnae Dei Genitricis Augustae Taurinorum, nec proprius Franciscae sit, ex triplici capite colligit. Ipsa ut filia, familias sequebatur patris domicilium: cuius do-

micilium erat Lutetiae Parisiorum, quasi domicilium Nicaeae, atque nulla delegatio parochi alterutrius intercessit : quae tria sequentibus argumentis praecipue demonstrare contendit.

Quod Antonius T. . . . . .cum anno 1863 Francisca contraxit matrimonium, habuerit adhuc Parisiis domicilium iuxta advocatum ex actis suppletoriis evidentissime confirmatur. Constat enim I°. Antonium ab anno 1832 constituisse familiam Parisiis et solummodo anno 1859, ex causis natura sua transeuntibus, discessisse Parisiis et fecisse propositum vendendi suas possessiones, sed venditio effecta fuit, quoad villani *Brimborion* mense Augusto anni 1865, et quoad domum Parisiensem ad viam *Tronchet 9* mense .Ooctobri eiusdem anni; et 2°. Antonium supradictas villani et domum interea conservasse instructas sibi et familiae, neque unquam aliqui locasse.

Quae duo habentur maxime ex depositionibus Aloiisi Jacquet et Ioannae Grardoni actricis sororis. Aloisius Jacquet qui ab anno 1857 ad diem 17 mensis Septembris anni 1863 ex familiaribus Antonii T. . . . ., ac dein ivit in famulatum Ioannae filiae.

Eadem refert Ioanna Franciscae soror, accuratius autem, inquit orator: siquidem ipsa affirmat patrem deseruisse Seenas anno 1853, « mais alors il n'avait nullement l'intention de quitter Paris » et relate ab anno 1859 ad 1864 dicit « Nous n'avons jamais cessé d'avoir un domicile à Paris et à Sèvres, où nous revenions passer quelque temps, tandis que nous n'étions à Nice que comme colons ». Notanda praesertim esse vult Ioannae verba: « J'ai été mariée en 1864 à Sèvres dans la propriété de mon père » nam de facto in libro parochiali matrimoniorum dicitur, Ioannam, adeoque etiam eius patrem habitasse in villa urbana *Brimborion.* Quapropter ait, si quis negaret Antonium retinuisse domicilium Parisiense anno 1863, clandestinum dicat oportet matrimonium Ioannae celebratum in paroecia, cui subiicitur villa *Brimborion* anno 1864; quod tamen uti validum habitum fuit a parocho et sponsis.

Actricis patronus postea resolvit argumenta, a vinculi defensore in prima causae propositione circa praesens controversiae punctum allata. Nequit primo dici matrimonium Franciscae validum, quia celebratum iure vagorum cum eius pater exercens musicam artem, nullum habuerit domicilium. Hoc enim iniuria tantum, ait, affirmaretur de Antonio; sicuti dictum iam est, ipse constituit Parisiis familiam ab anno 1832, et penes familiam commoratus et quoties fuit liber ab itineribus, et patet Parisiis in supradicto domicilio ei natas fuisse tres filias. Liquet insuper Antonium Parisiis émisse domum anno 1839, et villam urbanam anno 1849, easque inhabitasse cum familia, praesertim quando valedixit theatris, usque ad annum 1859. Quod si T............ anno 1859 discessit Parisiis et Nicaeam petiit filiae Franciscae valetudinis procurandae causa, tenendum est non deposuisse animum illuc redeundi; tum quia domum et villam urbanam retinuit ad longum tempus, quin venderet, ac interea sibi et familiae servavit eas instructas et paratas nec unquam locavit, tum quia post venditionem aliam domum et villam conduxit ad habitandum, tum demum quia pluries revera rediit ad domicilium Parisiense animo permanendi, nempe ann. 1861, 1862, 1864, 1865, 1866, et 1867 ad 1871:

Eadem facilitate, prosequitur patronus, dilui tur alia obiectio desumpta ex longa commoratione familiae T.......... in villa *Brimborion;* uti enim supra ipse demonstravit duo etiam domicilia haberi possunt: quorum unum Antonius habebat Parisiis in domo ad viam *Tronchet,* alterum in villa *Brimborion.* Nec turbare debet, Antonium fecisse venales ab anno 1859 domum et villam; namque propositum vendendi non designat, saltem per se, animum deserendi domicilium. Requiritur ad minus quod reapse venditio perficiatur et transferatur, quod evenit tantum anno 1865. Inutili denique studio, inquit, opponeretur reditus Antonii Parisios post annum 1859 nil aliud fuisse quam breves apparitiones. Reditus illos esse indicia veri domicilii desumitur

ex commoratione assidua in suis domibus et quidem ut expediret negotia familiae, dum e contra Parisiis discederet causis temporariis et constanter reversurus.

Nec minori evidentia vult actricis defensor patere de quasi domicilio Niciensi ex novis actis ab Ordinario Nicaeae, omni diligentiae studio collectis. Siquidem omnes testes noviter excussi asserunt, Antonium T.......... habuisse Nicaeae domicilium vel saltem quasi domicilium ab anno 1859.

Item, prosequitur patronus, Henricus Dalgouthe moderator ephemeridis *Les échos de Nice* affirmat se pro certo scire, quod « Mr. T......... a passé la saison d'hiver à Nice, à partir du 1859, jusqu'en 1863 inclusivement »: ad cuius rei probationem ostendit sua diaria illius temporis. Ac demum Raymundus Gautier « Mr. T........... passait régulièrement les saisons à Nice, sans y manquer, et habitait toujours les mêmes appartements *quai Masseria 3* Nice ». Quibus omnino consonant actrix et ipse Agatocles.

Ad abundantiam postea orator observat quomodo adsint multa indicia, ex quibus colligitur, Antonium semper habuisse firmum animum repetendi Niciam hiberno tempore. Ipse enim quolibet anno ibi relinquebat capsas repletas vestibus hibernis, musicam bibliothecam, uti unus testis affirmat.

Neque iuxta oratorem seriam difficultatem facere potest quod Antonius Nicia digressus, ut solebat, mense Iunio anni 1863 Genuam invisit, dein peragravit Augustam Taurinorum per duos menses munifice exceptus in regali villa, postea commoratus est Floren tiae usque ad Maium 1864 : Maio exeunte reversurus Parisiis invisit iterum Niciam annis 1866 et 1867, et solum anno 1870 firmam sedem posuit iterum Niciae. Etenim quinquennale quasi-domicilium (an. 1859 ad 1863) non tam facile amittitur. Antonius Niciae hibernabat : expectanda itaque saltem erat hiems mensis Decembris anni 1863, ut dici possit Antonium non rediturum ad quasi-domicilium Niciense; sed Antonius, uti constat, commoratus est Florentiae per novem menses, ut

illud coelum experiretur, quin animum haberet ibi Agendi suam sedem; unde digressus nunquam illuc rediit, rediit vero Parisios et re versus est Niciam, ubi semper remanserant capsae nonnullae et musica bibliotheca.

Ceterum si aliquod dubium circa hanc quaestionem adhuc remaneret, tollitur peremtorie, inquit, gravissimo testimonio Curiae quae autumat notum esse Nicaeae quod T.......... ibi constituerit suum quasi-domicilium ab anno 1859, ibique excepto aliquo itinere ad Parisios, moratus est usque ad annum 1876, quo mortuus est.

Ad *tertiam* demonstrationis partem pertransiens patronus, pro viribus constare contendit nullam interfuisse delegationem, nec parochi Parisiensis, nec Niciensis in celebratione matrimonii facta Augustae Taurinorum a parocho Ecclesiae magnae Dei Genitricis, qui non erat parochus proprius neutrius sponsorum. Nam S. Congregationi expostulanti, quibus innixi rationibus parochus et praesul illius temporis Franciscam et Agatoclem matrimonio coniunxerint, Rmus Archiepiscopus dedit hoc responsum : tum parochum, tum Vicarium generalem capitularem, ad matrimonium processisse, putantes quod contrahentes domicilium Taurini haberent. Ex quo liquet, iuxta oratorem, parochum egisse uti parochum proprium in celebratione huius matrimonii, et hoc ipso excluditur quaelibet suspicio delegationis datae a parochis domicilii vel Parisiensis aut villae *Brimborion,* vel quasi-domicilii Niciensis.

Haud denique, inquit, serio opponi potest a vinculi defensore, Franciscam habuisse Augustae Taurinorum domicilium ex facto habitationis duorum circiter mensium et praesertim, quia in ipso actu celebrationis matrimonii coniuges testesque asseruerunt domicilium Taurinense. Etenim principium iuris canonici est, nec domicilium, nec quasi-domicilium acquiri, si alicubi immoretur causa *rusticationis ;* ita Schmalzgrueber in tit. *De clandestina despons., § 148,* Cosci *De separat, ti i o ri, lib. 1, cap. 14, n. 39,* Tropper *De imped. matr., § 583,* Bened. XIV *Inst. 33, n. 7,* aliique plu-

rimi; ac propterea ex tota serie actorum liquet, Antonium noluisse acquirere domicilium, nec quasi-domicilium Augustae Taurinorum, cum moratus ibi fuerit per duos menses, praesertim ratione celebrationis matrimonii et quidem hospitio receptus in regali villa cum intentione animi, verbis expressa, quamprimum abeundi, ut adiret Florentiam. Itaque nullimode aptatur hypothesis Benedicti XIV in Constit. *Paucis ab hinc* docentis, incolatum unius mensis inducere praesumptionem domicilii; namque in casu nostro praesumptio debet cedere veritati. Sponsi autem ac testes, concludit orator, imperiti canonicae disciplinae suspicere nequibant, carentiam domicilii posse invalidare matrimonium, et affirmarunt domicilium supposititium ne crearent obstacula celebrationi.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. EX altera vero parte defensor vinculi contendit, novis inquisitionibus a Curiis Parisien, et Nicien. peractis demonstrari, Franciscam tempore quo nupsit, neque Lutetiae Parisiorum, neque in villa *Brimborion,* neque Niciae domicilio vel quasi domicilio potitam esse.

Non in villa *Brimborion,* quia ibi Francisca numquam domicilium habuit. Constat etenim, iuxta oratorem, Antonium T........ habitasse domum intra urbem, et villam in suburbano esse tantum rusticationis domum. Atqui nil magis, inquit, praedicatum in iure est, quam quod ex incolatu rusticationis, nemo nanciscatur parochum proprium matrimonii ineundi causa, ceu videre est apud Bened. XIV *noti f. 33, n. 7:* «Sacra Congregatio Concilii.... inhaerendo declarationibus alias factis, respondit, parochum ruralem non esse proprium et verum parochum, quando rus itur causa recreationis vel pro rusticanis negotiis; ideoque matrimonium valide coram huiusmodi parocho celebrari non posse ». Atque postea idem Pontifex plures refert S. C. C. resolutiones idem comprobantes.

Nec aliquid, prosequitur defensor, suffragatur Franciscae, uti supponit eius patronus, factum celebrationis matrimonii

sororis Ioannae an. 1864 initi in paroecia *S. Romain de Sèvres,* intra cuius fines sita est villa *Brimborion.* Tale matrimonium non solum ostendit, Antonium T........num-quam habuisse alterum domicilium in praedicta villa, sed etiam demonstrat, tempore coniugii filiae Ioannae, iamdiu amisisse domicilium habitum in via *Tronchet 9.* Siquidem, ait, parochus oppidi *St. Romain de Sèvres* eatenus parochum Ioannae proprium anno 1864 se existimavit, quatenus eo temporis Antonius inibi non recreationis ergo incolebat, sed quia non alibi lares habebat. Nemo enim suspicari audebit, dictae parochiae rectorem nescivisse, parochum ruralem non esse proprium et verum parochum quando rus itur causa recreationis.

Sed adesse luculentiora facta ad sui assumpti demonstrationem confidit sacramenti vindex; probatur nam, Antonium anno 1854 theatris valedixisse; atque reditibus subinde imminutis, e fiorente fortuna descivisse in intimam : proinde ut sibi suisque consuleret humile genus necessarium duxit, atque salutare constituit tum domum in via *Tronchet 9,* cum villam *Brimborion* vendere; denique Antonium anno 1864 Parisios rediisse atque constitisse in villa *Brimborion* ob causam antea non praevisam. Reque vera anno 1859 una cum uxore et filiabus Parisiis discessi t animo non amplius redeundi et memoratas domum et villam venales fecit.

Quae omnia, inquit, apparent ex veteribus novisque processus tabulis. Scribit enim ad Franciscam archiater Viet die 16 Octobris 1889: « Si les réceptions de Sèvres eurent pour alimentation les riches engagements de votre cher père jusque à l'an 1855, époque où il quitta le théâtre, cette somptueuse résidence était devenue trop onéreuse à l'ex-artiste, au père de famille, qui avait encore à doter des filles, a établir des fils ! et c'est pourquoi l'excellent homme vit la nécessité de mettre un frein à son train de vie; et c'est alors que vous parûtes tous les quatre pour Nice, père et mère, vous et votre soeur Jeannette. Dans cette condition on chercha des acquéreurs pour les deux propriétés de *Brim-*

bortón et de Paris ». Cui concinunt Iacobus de Briez ac Iulius Alary. Ista testimonia iuxta ligaminis defensorem liquido manifestant, praefatae rurales ac urbanas possessiones venales factas esse eo ipso tempore, quo T.... Parisiis discessit. Quod ostendit Antonium Parisiis profectum esse animo non redeundi.

Cum vero, prosequitur, in promptu haud essent emptores, locatoribus qui praesto erant, urbanam domum in via *Tronchet 9,* sitam, libenter locavit. Hoc non modo habetur ex uteris ab Antonio filio Salvatori datis die 21 aprilis 1862, in quibus ait : « fa i miei complimenti alla casa della *rue Tronchet 9* per la savia condotta » ; sed confirmatur ab Aloisio Jacquet, qui excussus a Parisiensi Iudice renuntiat: « *Brimborion* a été vendu à un Turc et l'immeuble de la rue *Tronchet* à un locataire de la maison, Mr. Leemans ». Quod quidem Jacquet dictum magni ponderis esse vult orator, non solum quia de re instructissimus est, sed magis quia pro viribus ipse Franciscae suffragari obnititur. Iste enim testis iurat : « Il n'y eut jamais de mise en location pour *Brimborion* non plus que pour son appartement de la rue *Tronchet* ». Dum vero Antonius relate ad *Brimborion* die 30 Ianuarii 1862 scribit ad filium. « Se la nostra campagna rimarrà libera, come sembra, spero che vi passerai la bella stagione____» et anno 1863 sub die 28 Februarii rescribit filio: « In quanto alla campagna____ti dirò che io sono disposto a fare ciò. che credi, tanto per la vendita, che per T affitto ».

Nec defensor movetur a tabulario Gustavo Gatine, qui 18 octobris 1867 scribit: « A comparu Mr. Antonio T..... propriétaire, demeurant à Paris rue Tronchet 9, lequel a par ces présentes constitué pour son mandataire général et spécial, Mr. Salvatore T.......». Ibi enim agitur de domicilio *electo;* quod nil commune habet cum domicilio *habitationis.*

His quoad parisiense domicilium animadversis, orator gressum facit ad quaestionem de quasi domicilio niciensi,

atque existimat Antonium nuptiarum Franciscae tempore haud habuisse Nicaeae quasi domicilium.

Praeprimis, enim, constat T.............. nunquam Nicaeae émisse domum, at conduxisse domum non suis sed locatoris supellectilibus instructam; atque numquam ad annum, sed ad sex menses, hyemale scilicet tempus, diaetam conduxisse, uti referant Evelina Flores et ipsamet Francisca.

Compertum pariter esse contendit orator, Antonium anno 1863 Nicia discessisse mense iunio absque animo ad ibi hibernandum redeundi. Sane Francisca rogata: « Quand votre père s'est rendu à Turin en 1863, avait il l'intention de fixer domicile dans cette ville au moins pour un certain temps de l'année? » respondit: « Non, nous venions de Gênes, et nous nous sommes arrêtés à Tarin comme d'autres fois nous arrêtions à Faenza, à Milan, pour nous rendre de là à Florence, ou mon père a passé l'hiver de 1863-64 ». Atque Florentiae, nisi Parisios primum reverti ad praedia vendenda, et rerum domesticarum angustiis subinde ad agendam vitam modestiorem coactus esset, Antonius perpetuo constitisset, concludit defensor. Etenim ad Franciscam die 21 Octobris 1863 scribit: « Sono sempre fanatico di Firenze. Ieri sera si è aperto il *Teatro della Pergola* col *Faust* del Maestro Gounod; eravamo nel nostro Palco, che per tre stagioni, Autunno, Carnevale, e Quaresima ci costa fr. 750 per una metà ».

His perpensis propositum fuit diluendum

Dubium

An constet de matrimonii nullitate in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata, sub die 2 Maii 1896 censuit respondere : *Affirmative.*

EX QUIBUS COLLIGES: I. Impedimentum clandestinitatis dirimens matrimonium haberi quando constat, nuptias celebratas fuisse absque testibus, et parocho proprio alterutrius sponsorum.

II. Qui domicilio vel quasi domicilio carent possunt celebrare nuptias ubique fuerint, iure vagorum, praeviis tamen nonnullis conditionibus.

III. Domicilium haberi ubi quis inhabitat animi intentione, eo loco perpetuo manendi, et ubi larem, rerumque ac fortunarum summam constituit.

IV. Quasi domicilium haberi eo in loco ubi quis habitat animo ibi manendi per maiorem anni partem.

V. Vagos autem dici qui modo huc, modo illuc aberrant, quin stabilem habeant sedem, absque animo in eodem loco manendi ad longum tempus.

VI. Nuptias in themate clandestinas dicendas esse videri, quia parochus qui eisdem adstitit, et benedixit, non fuit proprius alterutrius sponsorum; qui neque vagi dici possunt eo quod unusquisque proprio et stabili frueretur domicilio.

NEAPOLITANA

MATRIMONII

***Die* 12 *Septembris* 1S96.**

Sess. 24, cap. 5, De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Eques Eduardus 38 annos natus, in suam sponsam accepit Adeliam eiusdem fere aetatis, celebrans matrimonium iuxta Conc. Trid. ritum *die 17 Iulii 1890* Neapoli.

Coniuges eadem nuptiarum die copulam carnalem experti sunt, sed, si eorum dictis standum erit, nequaquam in toto cohabitationis tempore, quae fere annum perduravit, matrimonium consummatum fuit.

Haud praetermisit Eduardus salutaris artis peritos consulere circa suam impotentiam cum Adelia, qui eidem plurima praescripserunt remedia, sed frustra ; etsi eodem tempore, uti ipse fatetur, absque difficultate potuerit copulam perficere aliis cum mulierculis.

Adelia quoque dicit matrimonium non consummatum, sed minime dubitat omnem culpam unice refundere in viri impotentiam ad coitum.

Quidquid autem sit de eorum affirmationibus circa coniugales relationes ; certo constat post nuptias mutuum amorem quam cito exulasse, atque discordias rixasque inter sponsos exarsisse, quae perpetuae separationi impulsum praecipuum dedere. Cohabitatione dissociata, non tardavit Adelia turpes fovere amores cum advocato Mosca, qui antea videbatur studuisse coniuges ad concordiam reducere.

Tunc Eduardus una cum uxore tribunal civile adivit pro separatione corporum bonorumque, et hac obtenta, Adelia, impellente viro, coram eodem tribunali petiit nullitatem sui matrimonii ob relativam impotentiam ex parte mariti. Neapolitanum civile tribunal haud dubitavit, solis mulieris aliorumque testium affirmationibus innixum, *die 28 Iunii 1894* sententiam nullitatis matrimonii emittere.

Eiusmodi freta sententia Adelia aliud matrimonium, quod civile dicunt, statim cum praedicto advocato Hyppolito Mosca contraxit ad convalidandum, iuxta italici regni leges eorum contubernium fìliosque legitimandos.

Eduardus vero ad SSmum confugit enixe supplicans, ut suum matrimonium declararetur nullum ex capite impotentiae relativae vel saltem dispensatio indulgeatur a matrimonio solummodo rato.

S. C. Concilii sub *die 14 Novembris 1894* rescripsit Emo Archiep. Neapolitano, ut conficere curaret processum, « tam super asserta nullitate, quam non consummatione memorati matrimonii et causis dispensationis, servata forma etc. ».

Emus Archiepiscopus per Iudicem delegatum sueta solertia ac peritia processum perfecit, excutiens sub iuramento coniuges pluresque testes, sive septimae manus sive ex officio accitos, nec non quinque viros in arte medica vel chirurgica, valde peritos, qui iudicialiter Eduardi corpus explorarunt atque circa eius viripotentiam accurate propriam opinionem aperuerunt.

Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Potentia ad coitum carnale est substantialis conditio matrimonii. Essentiale enim est in omnibus contractibus possibilitas mutua contrahentium adimplendi pacta sancita. Quando impossibile est materia contractus, ipse contractus impossibilis est. In matrimonio copula carnalis non est de essentia contractus coniugalis, quia habetur etiam matrimonium ratum, sed potentia coeundi carnaliter et semen fecundans effundere est de essentia contractus coniugalis; ac proinde pars potens iure suo potitur, et solvitur in sua potestate alteri nubendi, et impotens provideat sibi.

Supposito igitur quod Eduardus sit impotens, matrimonium ab Eduardo initum cum Adelia nullum est reputandum ex capite impotentiae. Et quidem impotentia vel est in frigiditate vel in nimio calore. Prima species impotentiae manifestatur in debilitate virium; ita vir non potest erigere suum membrum, nec illum introducere in vaginam, nec semen effundere. Altera manifestatur in effusione spontanea seminis extra vas, quin erigatur membrum et introduci possit in vaginam mulieris. Ambo phaenomena huiusmodi impediunt generationem. Debitum sane solvitur penetrando in vaginam mulieris et insimul in ea semen emittendo. Hinc si unus ex his duobus actibus deest, copula carnalis perfecta et completa non habetur. Unde si erectio non verificatur, vel semen extra vas emittitur, nec generatio haberi potest, et per consequens debitum vir non solvit et finis essentialis non attingitur. Legitur enim in iure *De frigidis et maleficiatis § Statim:* « Si autem statim in ipsa novitate post mensem aut duos ad Episcopum vel eius missum proclamaverit dicens: volo mater esse, volo filios procreare, et ideo maritum accepi. Sed vir, quem accepi frigidae naturae est et non potest illa facere, propter quae illum accepi; si probari potest per rectum iudicium separari potest is, et illa, si vult, nubat ». •

Insuper coitus tantummodo est via ad actum coniugalem perficiendum. Non reputatur copula, deficiente semine in vagina. Ad matrimonii valorem desideratur copula, per quam coniuges una caro efficiantur ex canone *Laudabilem, de frig. et malef.;* matrimonium ab initio invalidum fuit, si ab initio, idest in actu manifestationis mutui consensus, aderat impotentiae impedimentum. Est enim de Iure naturali, de lege aeterna et immutabili Alexander III docuit *De frigid, et malefic. Quod Sedem.* « Sicut puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus coniugio : sic qui impotentes sunt, minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur ».

Eduardus vere impotens erat antequam matrimonium iniret cum Adelia. Ipse confessus est, a prima nocte et in repetitis vicibus per annum, copulam carnalem completam et perfectam non habuisse cum Adelia, eo quod erectio defuit semper, non obstantibus medicamentis, quibus usus fuit, quod confirmatur unanimiter a testibus, tam ex parte viri quam ex parte mulieris ; ineptus igitur fuerat ad contrahendum matrimonium. Peritia medicorum in foro laicali defuit, quia Eduardus noluit illi se subiicere. Mulier vero non fuit ad hoc invitata. Ante unionem coniugalem non accidit aliqua animi aversio ex parte mulieris, quae impedire potuerit erectionem membri, sed multo post, ac proinde post frequentia experimenta. Tam in prima vice, quam in repetitis conatibus vir per decem menses sine erectione vix appropinquans corpori coniugis effundebat semen. Quamvis igitur potuisset emittere semen, quod non affirmatur a muliere, copula tamen non fuisset compieta et perfecta quod requiritur ad debitum solvendum. Ad debiti redditionem enim requiritur ut penetretur vas mulieris et in vase semen effundatur. Non est maritalis copula nisi semen emittatur in vase, aeque non est vera copula maritalis nisi penetretur vas mulieris. Hinc vel solummodo vir semen non effundat in vase, vel non erigatur penis viri, impotens vir dicendus est. Nec admittenda videtur excusatio viri, scilicet quod visa indi referentia mulieris, imo eius inimicitia illico amittebat vires ;

nam nec semen potuisset effundere. Sed e contra quasi concupiscentiae calor et debilitas virium concurrebant ad impediendam perfectionem copulae. Non erigebatur pars suis deficientibus viribus ac proinde sponte semen effundebatur. Omnes testes ex una parte et altera idem deponunt, quamvis frustra sustineant, Eduardum virili potentia potiri. Testimonia eorum nituntur super ea quae ab Eduardo acceperunt; scilicet coitum habuisse completum cum mulieribus defloratis et meretricibus. Sed testimonia huiusmodi suspecta videntur, et meretrices pro lucro poterant decipere Eduardum, nec salute poterant pati, quia alios adventores habebant, unde potuissent effrenatae concupiscentiae satisfacere. Ad summum potest iudicari impotentia relativa laborare erga Adeliam perpetua.

Eduardus excusationem perhibet de sua deficiente vi ad consummationem matrimonii, asserens quod prima vice aspectu indifferens erat et aspernatrix; e contra Adelia deponit quod praecesserant verba et actus affectuosi. Adelia laeta accepit in sponsum Eduardum, et nunquam in toto temporis spatio quod praecessit matrimonii celebrationem, signum aliquod adversi animi manifestavit. Laeta in itinere nuptiali illum secuta est, ad quid spretus et indifferentia ? Ipse confessus est adiisse medicum et medelas adhibuisse. Habebat ergo conscientiam quod suae debilitatis causa non erat dispositio mulieris, sed suae naturae constitutio. Doctor Stanziale ei medelam praescripsit reconsti tuen tem, postquam illum interrogavit de anteactae suae vitae ratione, invenit igitur germen morbosum et debilitatem constitutionis organi sexualis. Ipsemet Eduardus confitetur non profuisse medelam, quia duobus mensibus carnaliter adhaesit mulieri, quin eam defloraret. Et sane quia aut vir aut mulier, quando nullo modo consummatur matrimonium, sanitate laborant. Verba Eduardi confirmant ipsum impotentem fuisse, et dum se excusare putat, se ipsum accusat. Ait aliquoties habuisse perfectas erectiones et ad experimentum virium frequentasse meretrices et ita copulas perfectas perfecisse. Quare in huiusmodi

erectionibus non experiebatur suam potentiam accedens ad suam mulierem *i*

Periti calumniam reputarunt impotentiam Eduardi. Sed et ipse Eduardus in processu saepe confessus est matrimonium nequisse consummare ; sed et testes ex utraque parte hoc ipsum confirmarunt. Causae quas adducunt non sunt credibiles. Rarissime vir frigiditate laborat, et desiderium possidendi mulierem, erectionem illico producit. Sed et ipse confessus est et testes deponunt ab ipso accipientes quod nunquam erectionem habuit.

Quod exterius apparet non semper quod intus est revelat. Doctor Calabrese loquitur de flacciditate partis Eduardi dicens, eam non esse magnam : ergo ipsa adest. Hic sermo non est de quantitate, sed de existentia ; supponit doctor adesse, sed in modica quantitate. Doctor subiungit imputando mulierem, asserendo eam repulisse. Sed Eduardus saepe confessus est, mulierem passive se habuisse in omnibus experimentis ; ergo non repellebat eum. Alius doctor suspicionem habet isterismi. Sed non agit isterismus cum una et singula persona, sed cum omnibus. Alius doctor adducit functionem negativam in aliquibus mulieribus, et sic explicat impedimentum Eduardi, quod asserit esse negativum. Consequens igitur deduci debet matrimonium fuisse nullum etiam ob talem aspectum. Relativa enim impotentia dirimit matrimonium, dummodo sit perpetua. Si aut Adelia aut Eduardus laborant negativa functionalitate, haec in constitutione naturali corporis consistit. Constitutio huiusmodi est perpetua. Impedimentum igitur perpetuum est dicendum.

Testes omnes adducunt repugnantiam mulieris. Huiusmodi excusationem in ore posuit eorum, ut opinor, ipse Eduardus. Mulier erat libera et in tempore, quo ludere debet amor nullam repugnantiam manifestavit amatori suo, nemo illi insinuavit accipere in virum suum Eduardum ; possibile! In ipso die nuptiarum, in actu consummationis matrimonii, cui libenter ipsa consensum tribuit, apparebat repugnantia talis ut produceret impotentiam in viro Í

Calumniis per aliquot annos affecta fuit Adelia. Sed evanuerunt auxiliante Domino, oppressorum patrono. In causa acta in foro ecclesiastico inter Adeliam et Inzovich inspecta fuit, et probata sua integritas. Cito adamavit Eduardum qui post aliquot menses eam desponsavit. Eduardus saepe in processu iuravit eam non fuisse defloratam. Omnes testes deposuerunt esse integram : secundus vir, iureiurando affirmavit in venisse eam in integro statu, et effudisse sanguinem, aliaque dedisse evidentia signa virginitatis. Omnes testes unanimiter deposuerunt, Adeliam virginem fuisse usque ad diem alterius sui matrimonii.

Oportet a Pontifice impetrare dispensationem in matrimonio rato et non consummato, multis de causis, sed praecipue quia mulier civiliter alligata est viro novo.

VOTUM CANONISTAE. De prae tensa nullitate ex capite impotentiae supervacaneum foret disserere ; data enim, non concessa, aliqua impotentia in viro, haec mere accidentalis, transitoria et quodammodo moralis tantum fuit ac proinde nullo pacto valorem matrimonii respicere potest, sed eius actualem usum vel non usum tantum, ut facile deduci debet ex complexu actorum. Unde cum Curia neapolitana de asserta praesertim inconsummatione diligenter disputandum erit. Data tamen speciali gravitate huius causae, in qua ex parte sponsae et nonnullorum testium vir impotens exhibetur, ad pleniorem rerum notitiam, et ne sponsus absque gravi ratione de impotentia suspectus iudicetur, tria investiganda videntur : I°. Factum inconsummationis ; 2°. Causae inconsummationis ; 3°. Causae ad dispensationem a rato ; 4°. Suspicio impotentiae in viro. Quae omnia, attenta speciali conditione huius processus, potius deductiones testium quam allegationes canonicas postulant.

Quoad inconsummationem vir ait : sese tentavisse matrimonii consummationem ; sed, deficiente plena penis erectione, semen vaginam non penetravisse. Quod iteratum fuit quinquies aut sexies per triginta dies a contracto matrimonio. Et quamvis contubernium ad annum produceretur, non am-

plius matrimonii consummatio tentata fuit. Aderat enim erectio necessaria, sed muliebre vas penetrari nequivit.

Mulier vero deposuit, nunquam matrimonium consummatum fuisse, quamvis vir pluries id perficere conatus sit, sed frustra.

Ex cap. *Laudabilem de frig. et malef.* vel sola coniugum confessio iurata de non secuta consummatione magni facienda est ; quamvis ex cap. *Super eo de eo qui cogn. consang.* propter eorum confessionem tantum separari non debent, quod quidem tunc praesertim locum habent, cum sponsi ea narrant quae a fide sunt aliena, vel pugnant inter se, vel alias veridica non videntur. In causa tamen praesenti omnia rerum adiuncta iuratam coniugum depositionem de inconsummatione validissime confirmant : et si aliqualis discordantia notari potest inter testes, haec non respicit factum inconsummationis, quod omnes uno ore admittunt, sed causas ipsius inconsummationis. Ambo coniuges solutionem sacri vinculi peroptant, sed fundamentum petitionis et possibilitatem dispensationis legitimis argumentis comprobant.

Et re quidem vera consanguinei et affines sponsi positivis rationibus de inconsummatione testantur.

Idipsum confirmarunt alii quinque testes consanguinei et affines sponsi, et imprimis *Hercules (dedronio,* avunculus viri.

Praeter testes de familia vel cognatione sponsi, habentur gravissima testimonia nonnullorum virorum, quibus adiuncta matrimonii , de quo agimus, notissima erant, quique, ut evidenter patet ex actis, fide dignissimi habendi sunt.

Praecedentes depositiones confirmantur depositionibus testium ex parte mulieris et ex officio adductorum.

"Unanimitas testium septimae manus plenissime confirmat factum inconsummationis et veracitafem sponsorum in hac parte *substantiali* totius processus. Neque obstat quod ex parte sponsae testes non sint septem : nam ut sapienter monet Avanzini *Acta S. Sedis, VI, 515 :* « In praesenti di-

sciplina animadverti eiusmodi testimonium septimae manus universim quidem requiri a S. C, sed numquam animadverti S. C. exigere adamussim septem ex una parte et septem ex alia, neque distinguere, ut interpretes faciunt, quando sit satis habere eos testes ex una tantum parte. Requirit universim testimonium septimae manus, id est aliquem numerum sive propinquorum sive vicinorum, sive amicorum aliorumve, qui praesumuntur rem melius de qua agitur, cognoscere ».

Valde expediens habetur inspectio corporis mulieris in huiusmodi casibus, imo de iure necessaria, quoties scilicet allegatur eius virginalis integritas. Sed in causa de qua agimus, talis inspectio et inutilis et illicita foret, siquidem constat mulierem esse corruptam et filios generasse ex illicito commercio cum advocato Mosca, cum quo vivit civiliter tantum coniuncta. Abs re tamen erit non depositiones sponsae eiusque complicis advocati Mosca, circa hanc materiam producere. Mulier dixit : virginem sese repertam fuisse in prima unione carnali cum Mosca. Advocatus vero Mosca, cum quo mulier seu Adelia vivit, narrat quae de impotentia viri seu Eduardi audivit et quae de inutilitate tentaminis coitus ab ipso viro rescivit, nec non quomodo ex advocato factus est illegitimus coniux praefatae Adeliae ; et ad interrogationem circa conditionem in qua, in primo illicito coitu, illam invenit, respondit : integram eandem mulierem reperisse, adstantibus omnibus virginitatis signis.

Nec me latet suspectas haberi depositiones sociorum in aliquo crimine, sed iuxta rectae rationis dictamen et doctrinam canonistarum, haec suspicio sufficienter purgatur quando huiusmodi depositiones debitis adminiculis confirmantur. Ad quod aliqualiter valent quae de testibus infamibus communiter dicuntur, scilicet, quod admittuntur in variis casibus, et signanter in criminibus exceptis ; item quando veritas aliter haberi non potest ; et etiam quando rogati fuerunt ab utraque parte, quia tunc praesumitur eorum fides mutuo partium consensu approbata. Et si in cap. *Litterae vestrae*

De frig. et male f. sat evidenter admittitur examen pravarum mulierum, tamquam partialis probatio contra potentiam, a fortiori admitti potest in casu praesenti testimonium Adeliae et Mosca, qui non sponte, sed rogati imo a iudice vocati deponunt, et, quamvis peccatores et invalide ac scandalose coniuncti, aequiparari non possunt ordinariis mulierculis quae proprii corporis publicum quaestum faciunt.

Vir vel ipsam suspicionem impotentiae reiiciens, unicam inconsummationis causam mulierem dicit. Ante matrimonium amor sponsae in sponsum fuit nullus in primordiis, deinde debilis imo quasi fictitius ; quod vir evincere conatur, adductis testimoniis quamplurimorum testium.

Datis igitur omnibus huiusmodi adiunctis, evanescit praesumptio copulae perfectae, quae adstante certitudine condormitionis, vocatur *iuris et de iure.* Siquidem « condormitio coniugum, ait Ursaia *t. 2, disc. 3* num. 45*', non facit, ut matrimonium amittat qualitatem et denominationem rati, quando cum effectu consummatum non fuit. Eo igitur ipso, quod talis non consummatio concludenter probatur, sive cohabitaverint et condormiverint coniuges, sive non, semper verum erit quod matrimonium est simpliciter ratum, et consequenter subiectum Summi Pontificis potestati circa illius dissolutionem ».

Mulier inconsummationis causam unice in viro existere contendit et omnem propriam culpam excludit.

Albertus de Petra veridicam credit relationem sponsae. Item *Aloisia de Dominicis.* Item *Theresia Stagliano, nata Nicoletti.* Item *Dr. Ioseph Stagliano.* Item *Ioseph de Dominicis.*

Causae ad dispensationem haud deficiunt in casu, imo graves et multiplices existunt. Habemus enim *mutuum sponsorum consensum* et desiderium in dispensatione obtinenda, et quidem non nudum consensum, qui insufficiens foret, sed consensum coniunctum cum gravi et insanabili discordia eorumdem. De qua causa merito notat *Sánchez 2> 16 cani Barbosa :* « Non esse causam sufficientem mutuum con-

sensum. Et ita credo, nisi quando inter se ita essent discordes coniuges, ut infelices exitus absque remedii spe, timeantur ». Insuper in casu praesenti adest ratio magni scandali tollendi, ex civili scilicet coniugio sponsae cum Mosca. Porro si vel solus fundatus timor magni scandali causa sufficiens reputatur ad dispensationem a rato non consummato obtinendam, a fortiori sufficit quando constat de scandalo iam exsistenti (Cfr. Sánchez, De Iustis, Clericati etc.). Et si causa sufficiens existit, « quando vir omni conatu quaerit uxorem repellere, absque sanioris mentis probabili spe », ut ait Sánchez 2, 16 ; quae repulsio non tantum materialis, sed moralis etiam esse potest, dantur enim repulsiones morales quae longe superant materiales violentias, talis causa evidenter agnosci debet in casu praesenti, data praesertim non tantum materiali separatione sponsorum, coniuncta cum omnimoda animorum dissensione, sed etiam et praecipue attentatione et consummatione coniunctionis civilis Adeliae cum viro, cum quo adulterinam consuetudinem habet et ex qua adulterinam prolem suscepit. Ad quod valent quae notat Clericati decis. 15 : « Decima (causa) est, si quis post matrimonium ratum contractum cum una et non consummatum, contraxisset cum alia et consummasset ».

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Anno 1890 Adelia die 17 Iunii nupsit Eduardo, quocum habitavit per decem menses. Deinde Adelia Eduardum rapuit in iudicium, se intactam, ut Minerva, et Eduardum proclamans ad maritale opus ineptum.

Laicum tribunal specimen in Adelia corpore praeprimis iubet ; quod Adelia subire recusat ; quia, ait medicus Calabrese, tunc iam corrupta erat, et mater effecta opera alterius viri.

Tunc saecularis magistratus corpus Eduardi revideri praecepit. At Eduardus et ipse nihil a se alienum magis putavit quam sui copiam facere; hinc renuntiatus fuit impotens in contumacia.

Hisce artibus, pseudo-matrimonio cessato, Eduardus totus

in eo est, ut verum matrimonium leves in auras amandet. In civili fuit impotentia Eduardi, in iudicio ecclesiastico historica Adeliae physica integritas est machina belli. Quam quidem Adeliae physicam virginitatem immerito, nisi me ipse fallo, probatam censent lectissimi theologus et canonista consultores.

Enimvero desideratur argumentum princeps, aspectus scilicet corporis mulieris. Quae res quam maximi ponderis est praesenti in causa. Etenim Adelia, cum actum est de relaxatione matrimonii, quod illa cum alio viro priusquam Eduardo ligaretur, contraxerat, probe cognovit se eatenus iudicio non cecidisse, quatenus ab archiatris, corpore de mandato iudicis explorato, virgo renuntiata est. Non facile itaque inducor, ut credam Adeli am, quando ab Eduardo divertit femina ferme quadragenaria, e naufragio tabulam proiecisse.

Credam potius virginitatem iamdudum a vaferrima muliere amissam.

Nec magis fìdendum est in Eduardo. Si ipsum enim audias, matrimonium ideo non consummatum est, quia Adelia noluit. Iam vero hoc a verisimilitudine omnino abhorret. Compertissimum namque est, Adeliam, quemadmodum fuso calamo eximius consultor theologus demonstrat Eduardo non solum denupsisse cogente nemine, sed utilitate simul atque amore fuisse ad nuptias adductam. Non autem genu coniugalis abstemiam esse Adeliam luculenter demonstrat triplex, qua iam laetatur, proles.

Roget quis, quid si Adeliae non voluntate, sed Eduardi potius genitalium virium inertia factum sit, ut matrimonium minime consummare tur ? Repono : si ita esset, non Eduardus in iudicio ageret. Quid enim emolumenti ex intentata actione sperare ipse posset ? Profecto visione matrimonii propter viri impotentiam non consummati paulisper admissa, omnia iura clamant ne matrimonium relaxetur absque clausula « Vetito viro transitu ad alias nuptias ».

Quibus animadversis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An constet de nullitate matrimonii in casu.*

Et quatenus negative.

II. *An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non constemmato in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Cong. C. re disceptata sub die 12 Septembris 1896 censuit respondere : *Ad I Negative. Ad II Affirmative.*

VENETIARUM

IRREGULARITATIS

Die 12 Septembris 1896.

COMPENDIUM FACTI. Vicarius capitularis Venetiarum sub die 14 Augusti 1893 retulit: adesse in Seminario iuvenem Antonium Saccardo, natum die 2 Aprilis 1872, qui, exacto cursu theologico, promoveri posset ad S. Subdiaconatus Ordinem. Cui promotioni haud obstare , dixit, ingenium, pietatem, studiorum profectum, quibus ample praeditus est iuvenis; sed incommodum, quo leviter afficitur a pueritia. Per brevissimum enim tempus, dum morbo angitur, permanet immobilis et in silentio, neque in terram procidit quia, praesentiendo malum, quaerit sibi fulcrum. Sed breviter normalem recuperat statum. Quamobrem cum de re levi agi videretur ordines minores eidem collati sunt: verum pro Subdiaconatus ordine rem defero, ait Vicarius, Apostolicae sedis iudicio. Medicus, cuius attestatio adiicitur, censet incommodum eiusmodi, utpote leve, obstaculum non opponere sacrorum ordinum receptioni. Nihilo secius Sacra C. C. respondit: *pro nunc non expedire.*

Sub die 13 Iulii 1895, Cardinalis Patriarcha, iuvenem Oratorem egregie commendans, iterum expostulabat dispensationem, advertens posse *ad cautelam* statui, ut eidem

sacris operaturo adsisteret Sacerdos. — Reposi tum fuit, oratorem subiciendum esse examini Medici. — Hic, ex delegatione Ordinarii, explorato iuvene Antonio, retulit: Haud sibi esse animum concinnandi dissertationem in subiecta materia, sed prae oculis tantum ponendi differentiam inter incommodum, quo afficitur iuvenis ad sacros ordines promovendus, et veram epilepsiam. *Epilepsia morbus comitialis et sonticus, quo totius corporis constitutio convellitur, homo crebro et subito conduit, ex ore spwmae moventur, deinde interposito tempore ad se redit, per seipsum consurgit.* Qua de re olim ut patet adiuncta extraordinaria *gravem* constituebant epilepsiam et pro nihilo habebantur phenomena levia, quae nunc accensentur epilepsiae, sed minus recte: et facili modo posthaberi possunt, quin sacri canones laedantur.

Nunc vero ad casum nostrum descendendo, videtur iuvenem Antonium Saccardo signa gravis epilepsiae numquam exhibuisse , dum phoenomena, quibus comitatur eius incommodum , fuerunt ab infantia levioris momenti, breviora, et decrescentis intensitatis in dies.

Iuvenis enim praesentit morbum : et tunc opus incoeptum relinquit, iter suspendit, fulcrum etiam leve quaerit, et ei sufficit, quin unquam decidat in terram. Breve post temporis momentum, dominium sui tranquillus recuperat. His in signis nunc a scientia aspicitur *absentia epiléptica.* Quapropter concludebat Medicus, sese in sententiam ire quod supplex libellus Antonii excipi possit, et ille promoveri valeat ad sacros ordines.

Suis litteris Cardinalis Patriarcha comitatus hanc peritiam, etiam atque etiam instat ut exoptata venia iuveni Oratori eadem dignissimo concedatur.

Disceptatio Synoptica

GRATIA, DENEGANDA VIDETUR. Dispensationi concedendae obstat generalis Canonum praescriptio, quae summatur *in can. 1 caus. 7 quaest. 2,* in Decreto ubi statuitur « Consulimus itaque, ut si frequenter hoc morbo (caduco) tangi-

iur (presbyter), ab oblatione omnimodis et Missarum celebratione prohibeatur. Indecens enim est et periculosissimum, ut hoc ei accidat, quatenus in consecratione eucharistiae morbo victus epilectico cadat. Si vero Dei misericordia convaluerit, quandoquidem non culpa sed infirmitas est in causa, eum sacrificare iam non interdicimus ». Quod praeceptum, in themate, eo gravius urget quia non de iam promoto, sed de promovendo ad ordines quaestio est.

GRATIA INDULGENDA VIDETUR. EX adverso , quin plura congeram exempla dispensationum in huiusmodi causis, quae non plurimum iuvarent, quippe de diversis rerum adiunctis quaerebatur, referam unam *Treriren. Dispensationis ab irregularitate***j**, *diei 22 Ian. 1866,* quae nostro casui admodum cohaeret. Agebatur de iuvene ad sacros ordines promovendo , sanctitate morum et docilítate ingenii praestante, qui sacris ordinibus initiari in votis habebat. De eo medicus haec referebat : « 1. Convulsiones clerici Baldi quaternis vel quiñis tantum obveniunt mensibus, et quidem noctu vel ad summum , una hora postquam e somno surrexit : 2. Iam vero non praeter expectationem, sed cum causa eorum non sit ignota, eas pro certo praevidere potest: 3. Non est timendum ne interdiu morbus accedat, cum ipse medicus testetur , in manu esse supplicantis ne hoc fiat: 4. *Morbus non est vitium organicum, sed mera dispositio quae evanescet quum animi tranquillitas,* rebus parum secundis hucusque impedita, supplicanti reddita fuerit : 5. Supplicans corpore alias sane atque firmo ad munia sacerdotalia aptus est ». Ast S. C. C. respondit « *Pro nunc, non expedire».*

Orator ab Episcopo et a Medicis commendatus iterum institit *die 26 hin. 1867* et repositum fuit : « *Dilata et recurrat post sex menses* exhibito documento etiam alterius medici, ab Episcopo deputandi». Die 11 Ian. 1868* medicus suam obtulit sententiam qua asserebat , Oratoris morbum haud gravem esse et organicum , et magnopere esse optandum, ut clericus ad ss. Ordines admitteretur, quia reddita animi tranquillitate, cito plane sanus foret. — Tunc

S. C. C. respondere censuit « *Pro gratia dispensationis et habitationis, facto verbo cum SS n o* ».

Quibus animadversis quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra C.C. re cognita sub die 12 Septembris 1896, censuit respondere : *Pro gratia arbitrio et prudentia Emi Patriarchae, adhibitis cautelis sibi benevisis, facto verbo cum SSmo.*

ARIANEN.

OFFICII POENITENTIARII

Die 12 Decembris 1896.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Ad S. C. C. recursum habuit *die 7 Ian. 1896* Canonicus Poenitentiarius Eccl. Cathedralis Arianen., petens an ipse praesens in choro censendus sit, ad effetum lucrandi distributiones, quando, in diebus festivis, sedit in confessionali, etsi non continuo confessiones audiat, sed alterna vice aut confessiones audit aut poenitentes praestolatur, qui ob frequentem in Ecclesia populum, accedere solent.

Disceptatio Synoptica

QUAE POENITENTIARIO ADVERSANTUR. EX officio animadversum fuit: ab ipso Tridentino Concilio repetenda est praescriptio qua Poenitentiarius « *dum confessiones in Ecclesia audiet, interim praesens in choro censeatur* ». *Sess. 24 cap. 8 de ref.* Verum haec praesentia, quae *in fictione* iuris consistit, non est ultra casum a iure expressum extendenda. - Hinc Doctores et iurisprudentia, hanc iuris praescriptionem ita sunt interpretati, ut Poenitentiarius censeatur praesens in choro, dummodo *actu* confessiones audiat. S. C. C ad dubium « *An Canonicus poenitentiarius Albanen, teneatur ad inserviendum pro diacono et subdiacono diebus solemnioribus in casu* » respondere censuit, *die 30 Iul. 1.831 « Affirmative, nisi actu fidelium confessiones excipiat.* » Et uti refert Ben. XIV, *Institut. 107* n. 75; S. C. C. idem privilegium concessit etiam Canonico, quem Episcopus ad confessiones audiendas loco Poenitentiarii suffecit, rem hoc decreto exprimens « Sacra etc. censuit, ora-

tori ita in locum Poenitentiarii ad audiendas Confessiones ex necessitate et ex legitima causa ab Episcopo deputato, *dum tempore deputationis confessiones actu audit,* deberi distributiones quotidianas, non secus ac si divinis in choro interesset ». - Barbosa - *in collect, in Concil. Trid,, in hoc caput* docuit « Poenitentiarium pro praesente in choro habendum esse dum audit confessiones in Ecclesia, sive in confessionali sive extra, non autem pro tempore, quo residet in confessionali nec audit confessiones, aliis in choro Divina celebrantibus, nec si idem dixerit Missam aut si privatim officium dicat etiam, ut opportunius confessiones audiat censendum esse praesentem in choro ». Grarzias vero haec habet *De Benef. V—IV n. 125.* « Poenitentiarius non solum censetur praesens in choro et non potest privari quando •confessiones audit, sed etiam censetur praesens processionibus et exequiis defunctorum, quae eo tempore fiunt, quo ipse audit confessiones, sed non sufficit quod sit in confessionario, nisi realiter ipse confessiones audiat ».

QUAE POENITENTIARIO FAVENT. Sed ex adverso, ut quaestioni pressius satisfiat, advertendum est in capitulo Arianen, duo genera distingui distributionum quotidianarum, ut aliae nempe constitutae sint ad normam *cap. 3 sess. 22 De ref. et cap. 12 sess. 24 Concil. Trid.;* et Capitulares has lucrantur etiam per legitimam fictam praesentiam. Aliae vero sunt *distributiones quotidianae,* ita *manualess* ut cedant ex voluntate fundatorum, tantum his qui *actu* vere sint praesentes. Quas, ci. Santi, *tit. 4 lib. 3 Decret, n. 87,* dicit distributiones vere et proprie manuales appellari posse *« quia quodammodo manibus praesentium traduntur, post opus sacrum completum* ». Has constituit in Ecclesia Arianen, *art. 51* statutorum capit., decernens: « si hanno però certe manuali che immediatamente . . . . dal Procuratore del denaro si distribuiscono fra presenti realmente, non partecipando di loro affatto chi non convenga al coro . . . . e vale anche contro i canonici Penitenziere e Teologo questa regola ». Qua de causa, in themate, quaestio non cadit quoad has distributiones proprie manuales ; sed quaestio distributiones quotidianas respicit, constitutas ad normam Concilii Tridentini.

Iamvero Doctores citati a Divo Alphonso, qui suffragari videntur intentioni Oratoris, innituntur cuidam respon-

sioni S. C C. quae decernit, Episcopum cogere posse Poenitentiarium, ut certis diebus solemnioribus assistat in sede confessionali, quasi ad alliciendos fideles eosque pertrahendos Sacramento poenitentiae.- Hoc decretum citat Crispino - *Delia visita pastorale* - Part. II § 24; idemque dicit excerptum *ex tomo Decretorum anni 1646.* Decretum est sequentis tenoris « *Cum Episcopus Yerulanus praeceperit, ut poenitentiarius assisteret in sede confessionali, in diebus festis solemnioribus, in quadragesima, in adventu et in aliis festivitatibus, prout in decreto, ipseque poenitentiarius praetendere non teneri assistere nisi vocatus, quaesitum fuit, an Episcopo licuerit facere dictum decretum - Die 19 Ianuarii 1646 Congr. Concil, censuit, Episcopum exequi et poenitentiarium, parere debere* ». - Citatus auctor hinc subiicit: « Dipende dunque dall'arbitrio del Vescovo prescrivere i giorni nei quali il penitenziere deve assistere nel confessionario; ma in una *Segobien. Decembris 1585* furono tali giorni prescritti dalla congregazione ». Atqui nemo inficias iverit, poenitentiarium adigi ad parendum huiusmodi decreto Episcopi, vi sui muneris audiendi confessiones fidelium; et se excusare non posse ad vertendo, *actu* confessiones non esse audiendas, quum a nemine vocatus sit. - S. C. C. in *Fanen. diei 24 Ian. 1642 ex lib. 16 Decr. censuit, poenitentiarium quando non est impeditus in munere confessionis, interesse debere divinis officiis.*- Unde videtur concludendum, poenitentiarium *censeri in choro praesentem* quando est impeditus in munere confessionis; quod munus aliquando se extendit praeter *actum* confessionis et comprehendit praesentiam in sede confessionali ad pie expectandos invitandosque poenitentes. - Sed *malitiis indulgendum* non est*, et Episcopi est *arbitrio boni viri* decernere vel declarare quando hoc expostulet munus poenitentiarii.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quid esset respondendum Poenitentiario.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita sub die 12 Decembris 1896 censuit respondere: *Standum est dispositioni Concilii Trid. Sess. 8 de ref. et ad mentem* (1).

(1) Mens S. Congregationis, quae haud publicari potest, forsan respicit normam Ordinario innuendam. Ut firma permanente dispositione Tridentina quoad distributiones chorales pro tempore, quo *actu* Poenitentiarius confessiones excipit, Episcopus, arbitrio boni viri, moderetur munus eiusdem pro tempore in sede confessionali ad expectandos christifideles.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

LITTERAE S. R. Congregationis ad Illustrissimum Comitem Ioannem Acquaderni : Bononiam. De centenaria solemnitate celebranda redemptionis humanae.

Romae, 14 Maii 1895.

Rimo Signore

Per ordine della Santità di Nostro Signore, la Sacra Congregazione de' Riti nella sua adunanza tenuta in Vaticano il 7 corrente, ha preso ad esame, insieme con la Lettera diretta da V. S. all'Emo Cardinale Segretario di Stato il 24 p. p. marzo, l'unitovi Programma per la celebrazione del XIX Centenario della Redenzione, il quale secondo il computo volgare, ricorrerebbe nel 1900.

È cosa del tutto lodevole e meritoria il trarre argomento da ogni occasione per ridestare la pietà e ne'Fedeli, per ravvivarne la devozione alla Sede Apostolica; il che certamente

Rime Domine

Iussu SSmi Dñi nostri Papae, Patrum Congregatio sacris Ritibus tuendis praeposita, in conventu die 7 huius eiusdem mensis, in Aedibus vaticanis habito, tum Literas Emo Cardinali, Pontificis primo Scribae ad extranea, die 24 Martii proxime elapsi a te datas, tum etiam his adnexum Programma de celebranda novies decies centenaria Redemptionis nostrae solemnitate, quae iuxta vulgarem computationem saeculo millesimo nongentesimo contingeret, diligenter expendenda suscepit.

Profecto laude et praemio apud Deum digna res est, ex qualibet temporum occasione ad excitandam Fidelium pietatem in Deum, devotionemque inflammândam erga hanc Apo-

Monitum. — Quum ephemerides nonnullae, homagium Christo Redemptori tribuendum, hoc exeunte aut novo exordiente saeculo, consociare studeant solemnitati centenariae pro Redemptione, aut nativitate SSrñi eiusdem Redemptoris ; recolendum est, Sacram R. C. iussu R. Pontificis, examini iam subiecisse consilium eiusmodi, et ad conclusiones devenisse, quas legere est in litteris hic adductis.

si volle dai promotori dell'ideata Festa e dagli Autori del Programma. Ma pur ciò riconoscendo, la Sacra Congregazione dovette incontanente avvedersi come fosse affatto nuovo, inopportuno ed anche poco conveniente lo appropriare l'uso, oramai invalso, e tanto frequentemente adoperato, delle Feste secolari ai principali Misteri della nostra Santa Religione. Non può nè deve per fermo supporsi che sia mestieri di ravvivare la memoria di essi dopo trascorsi 25, 50 o 100 anni.

Chi vuol considerarli al modo delle particolari ^Festività, è tratto, mal suo grado, a far proposte non dissimili da quella che leggesi nel Programma, di erigere, cioè, per ricordo della celebrata secolare solennità un *Altare alla Redenzione,* come se in tutti gli Altari delle nostre Chiese non si adorasse il Crocefisso, che è il segno più visibile dell'umano riscatto, e in tutte le nostre preci non s'invocasse quale intercessore presso l'Eterno Padre, il divino Redentore.

stolicam Sedem argumentum arripere; quod procul dubia excogitatae solemnitatis Promotores et Programmatis auctores animo intendisse dicendi sunt. At vero et id probe agnoscens S. Congregatio, illico tamen animadvertit, omnino novum et inopportunum, imo etiam parum conveniens esse, morem qui iam ubique obtinuit, atque adeo frequenter exercetur, solemnitates saeculares celebrandi, praecipuis Religionis nostrae Mysteriis aptare. Prorsus existimari nec potest, nec debet, quod elapsis viginti quinque, aut quinquaginta, centum annis, illorum memoriam denuo excitare opus sit.

Qui haec Mysteria instar peculiarium solemnitatum habere et considerare velit, is ad proponendum consilium vel invitus trahitur, haud dissimile illi quod in Programmate proponitur, erigendi videlicet in perennem huius celebratae solemnitatis memoriam Redemptionis Sanctae Altare perpetuum ; quasi vero in quolibet nostrorum templorum Altari Christus Cruci affixus, quod est omnium maxime visibile humanae Redemptionis signum, non adoretur; atque in omnibus nostris precibus non invocetur uti apud Deum Patrem

intercessor idem noster Redemptor Christus.

A tutto ciò, senza dubbio, non pose mente chi ideò e promosse la centenaria commemorazione; e neppure ricordò la decisione emessa il 31 maggio 1884 dalla medesima S. C. dei Riti, in risposta alla domanda di molti illustri Personaggi Ecclesiastici e Laici, che si proponevano di celebrare il centenario della Natività di Maria SSma. Questa decisione fu notificata all'Emo Cardinal Haynald con Lettera del 1 giugno, pubblicata poco dopo da'giornali cattolici.

Id profecto non advertit qui centenariam istam commemorationem excogitavit atque promovit, nec illi in mentem subiit decisio, ab eadem sacrorum Rituum Congregatione die 31 Maii anno 1884 edita, qua postulationi plerorumque praeclarissimorum virorum, tum ex ecclesiasticis, tum vero etiam ex laicis respondebat; qui quidem sibi animo proposuerant centenariam commemorationem Nativitatis Mariae Virginis celebrare (1). Huiusmodi decisio Emo Cardinali Haynald per literas datas die 1 Iunii exhibita fuit, ac paulo post ab Ephemeridibus catholicis publicata.

(1) En lacinia litterarum, quae citantur :

Consuetudinem autem, quae invaluit, celebrandi sacras centenarias commemorationes, rei praesenti minus congruere deprehensum fuit. Quandoquidem, uti iidem centenarii fautores testantur, expetitum festum prima vice hoc decimonono saeculo foret inducendum, veluti quid novum in Dei Ecclesia, et cunctis relroactis saeculis ne cogitatum quidem ab eximia maiorum erga inclytam Dei Genitricem pietate et devotione, aut certe illis inusitaturn. Profecto satis congrua theologica atque liturgica ratione inolevisse censendum est, ut saecularia solemnia, quae aliis sanctis cum Christo regnantibus non denegantur, ea de praecipuis sacralissimis Beatae Virginis vitae actis et mysteriis; scilicet de Nativitate, de Annuntiatione, de Assumptione, ac porro de ceteris, non celebrentur. Nam eminentiori veneratione supra ceteros Sanctos colit Ecclesia Coeli Reginam et Dominam Angelorum, cui *in quantum ipsa est mater Dei... debetur... non qualiscumque dulia, sed hyperdulia (S. Thom. 3 part. quaest. 25, art. 5).* Ideoque plusquam centenaria solemni commemoratione, eadem semper cultus praestantia, eodemque honoris tributo Ecclesia celebrat recurrentes eius mysteriorum solemnitates; cum de cetero cultus Deiparae in Ecclesia sit plane quotidianus, ac prope nulla temporis mensura limitatus.

Haec pauca, vel leviter tantum adumbrata, satis ostendunt prudentiam Sacrae Congregationis, quae proposito dubio : « An recoli expediat anno proximo 1885 in toto Orbe centenaria commemoratio Nativitatis Beatae Mariae Virginis? » mature expensis omnibus, unanimi suffragio respondit: *non expedire.*

Nel foglio qui annesso V. S. ne troverà la parte che con tanta maggior ragione deve appropriarsi alla domanda ora presentata, la quale non poteva quindi ricevere una risposta diversa da quella data allora, cioè *non expedire.*

Avendo eseguito, nel parteciparle la risoluzione della S. Congregazione, i voleri di Sua Santità, mi è grato ripeterle i sentimenti della mia perfetta stima.

Di V. S.

In folio hic adnexo partem reperies, Illme Domine, quae potiori admodum iure postulationi per te nuper admotae aptanda est, quae proinde aliud quam illa responsum expectare poterat, videlicet — non expedire —.

Dum hanc tibi S. Congregationis Decisionem, SSmi Patris voluntati morem gerens, notam facio, meae erga te amplissimae observantiae testimonium mihi pergratum est tibi etiam atque etiam exhibere.

Tibi addictissimus servus

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus.*

ROMANIA. Dubia quoad decretum *Aucto* (1) circa Missas privatas de *Requie.*

Nonnulli Ecclesiarum Rectores sequentia Dubia super legitima interpretatione Decreti Aucto, die 8 Iunii anno nuper elapso 1896 editi, circa Missas privatas de Requie, die et pro die obitus indultas, Sacrae Rituum Congregationis resolvenda humiliter proposuerunt, videlicet:

I. Privilegium circa Missas lectas de Requie ex praefato Decreto concessum sacellis sepulcreti, favet ne sive Ecclesiae vel Oratorio publico ac principali ipsius sepulcreti, sive aliis Ecclesiis vel Cappellis, extra coemeterium, subter quas ad legitimam distantiam alicuius defuncti cadaver quiescit?

II. Missae privatae de Requie, quae sub expressis conditionibus celebrari possunt praesente cadavere, licitae ne erunt in quibuslibet Ecclesiis vel Oratoriis sive publicis sive privatis?

III. Huiusmodi Missae privatae de Requie celebrarme poterunt sine applicatione pro Defuncto, cuius cadaver est vel censetur praesens?

IV. Eaedem pariter Missae possuntne celebrari diebus non duplicibus, qui tamen festa duplicia I classis excludunt, uti ex. gr. feria IV Cinerum?

(1) Hoc decretum habes XXIX, 62.

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, omnibusque mature perpensis, respondendum censuit:

Ad I. Negative ad utrumque.

Ad II. Affirmative, dummodo cadaver sit physice vel moraliter praesens; sed, si agatur de Ecclesiis et Oratoriis publicis, fieri debet etiam funus cum Missa exequiali.

Ad III. et IV. Negative.

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 12 Ianuarii 1897.

C. CARD. ALOISI-MASELLA S. *R. C. Praefectus.*

L. * S.

D. PANICI, *S. R. C. Secretarius.*

MEDIOLANEN. Canonizationis, B. Antonii Mariae Zaccaria Fundatoris Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum nec non Virginum Angelicarum.

SUPER DUBIO

An, et de quibus Miraculis constet in ca§u, et a.d effectum de quo agitur?

Si quae unquam aetas virorum sanctorum numero et qualitate excelluit, ea profecto est quae tot etiam tulit haereticos, saeculum videlicet xvi. Qui quidem veritatis osores cum non unum aut alterum fidei dogma labefactare, sed Ecclesiam ipsam, licet vana spes, delere niterentur, aequum profecto erat, atque a Deo prorsus expectandum, ut validiora illi sufficeret tutamina quo maiora pericula, numerosioresque maximique animi defensores, quo densiores atque audaciores hostium turmae. Hinc lectissima illa sanctorum pugilum phalanx, qui, foedere veluti icto, in aciem prodeunt, ac Nehemiae instar, dum una manu praelia cum erroribus miscent, alteram eludendis cladis opprobriis admovent Religioni illatis.

Ex his fuit Antonius Maria Zaccaria, vir plane singularis, et cum primis facile comparandus. Ortus est Cremonae in Insubria, saeculo xvi ineunte, nobili genere. Ingenium, quod aere illi erat, et experrectum virtute ornavit, optimisque disciplinis, medicina praesertim in qua laurea donatus est. Adolescentia caste integreque exacta, cum ad alias medendas infirmitates se vocari intelligeret, nil avere magis quam in Christi Dei militiam conscribi, ac sacerdotio augeri. Voti compos factus, difficile dictu est, quam in animis excolendis, et ad meliora vertendis operam posuerit; illud in primis spectans ut errorum qui late serpebant immunes animos praestaret; quasque religioni et probis moribus labes intulerat rei christianae

perturbatio apprime detergerei. Quo autem virtutis studium latius proferret, prolatumque foveret, omni ope connisus est ut pietas erga Christum Dominum in Sacramento Augusto delitescentem, magis magisque excitaretur; eumque in finem Sacram Hostiam e sublimi throno in triduum publice adorandam instituisse fertur. Alia quoque virum sanctissimum fatigabat cura, ut moribus spectatissimis in populo niterent, vitamque ex Religionis nostrae disciplina exigèrent, qui Christi Domini sacerdotium mirent. Illud pariter eius menti perpetuo occursabat, ut optimis informata institutis adolesceret in Ecclesiae spem iuventus, eorumque mores ad pietatem mature effingerentur.

At, qui plane intelligebat unius hominis humeros tanto ponderi ferendo pares non esse, partemque quam non recusabant, non ultra tumulimi porrigi, sodales sibi adiungere decernit qui coeptum a se opus insistant. Quare cum Bartholomaeo Ferrari et Iacobo Morigia viris nobilissirnis, aeque ac pientissimis, collatis consiliis, Societatem Mediolani condit, Sodalibusque nomen indit Clericorum S. Pauli; illius nimirum Apostoli, quem B. Antonius sibi et patronum et exemplar ad imitandum assumpserat. Barnabitae serius sunt appellati ab aede beati Barnabae, quae fuit illis concredita. Haec Societas a Clemente VII et Paulo III Romanis Pontificibus rite sancteque fuit approbata: quam autem bene de re christiana, et civili ea merita sit, illustres testantur viri, quos edidit, quique vitae sanctitate, honoribus, muneribus, scientiis, litteris, rebus gestis inclaruere. Ad eius laudem accedunt qui ad tentandas naturae vires, et ad coeli praesertim dimetiendas leges, aut ad astrorum sese revolventium orbes describendus, in suisque conversionibus consectandos ingenium appulere. Erat quippe eis persuasum nil magis in hac spectabili rerum universitate Dei gloriam enarrare quam coelos, ex eisque praesertim Creatorem omnium cognoscibiliter videri.

Aliud quoque opus egregium aeque ac utile, molitus est B. Antonius, videlicet, Virginum collegium quibus *Angelicarum S. Pauli* nomen fecit, quaeque de puellarum institutione sollicitae essent, simulque operam darent revocandas ad pristinam regulae austeritatem nonnullis in Insubria feminarum coetibus; quod optime cessit. suprema B. Antonio Mariae dies, adest: morbi abstrusa in praecordiis semina laboribus et contemptu inoleveront: vires collapsae. Erecto tamen animo, nihil de religionis provehendae curis remittit, eoque studiosius coelestia contuetur, quo propius. Ereptus est medio in spatio integrae aetatis, cum scilicet annum ageret xxxvi; at quantum ad virtutem et rei Christianae bonum, longum aevum peregit.

Haec summatim sunt pietatis monumenta quae B. Antonius Maria posteritati reliquit : non omnis proinde a nobis abiit, cum terram coelo mutavit. Nihilominus inscrutabili Dei iudicio factum est, ut coelites honores serius illi decernerentur, licet illustrandae

eius virtuti signa, et miracula non defuerint. Tandem Sanctissimus Pontifex Leo XIII votis annuens Sodalium a Sancto Paulo, reque omni a S. R. Congregatione cognita et mature perpensa, die III Ianuarii, anno MDCCCXC solemne edidit decretum redintegrationis cultus, quo eorum Parentem titulo et veneratione Beati honestandum indulsit. Mox adhuc illis instantibus ut fastigium honoribus imponeretur, atque in Sanctorum album B. Antonii nomen accenseretur, praesertim quod trina vulgarentur miracula eius intercessione patrata; sedis apostolicae venia, accurata inquisitio in illa facta est, processualesque tabulae a S. R. Congregatione et recognita, et probata sunt.

Primum ordine propositionis contigit anno MDCCCLXXVI in Archidioecesi Bononiensi. Vincentius Zanotti agricola, foedo ulcere laborabat : remedia sunt nulla adhibita, aut incassum : doloribus cum excruciaretur, saepe in lecto fuit illi decumbendum : nulla medicorum iudicio revalescendi spes. Casu accidit, ut in eius manus venirent B. Antonii imago, reliquiae, et vitae historia. Hanc cum legisset in spem ingreditur recuperandae valetudinis. Quare ad B. Antonium confugit, eumque ut sibi demereat preces novendiales init, hisque absolutis, triduanas. Postremo die vulnus deobligat, vixque suis oculis fidem adhibens, ita evanuisse comperit, ut nedum libere digredi, sed ad agrorum labores redire potuerit.

Alterum miraculum accidit Cremonae, anno MDCCCLXXIII. Paula Aloni quae optima valetudine ante utebatur, cum XV aetatis annum ageret, nervoso rheumate torqueri, contractionibus, cruciatibus, deliramentis. Unde haec prodirent brevi patuit: tumor enim pessimae indolis in gutture delitescens, erupit. Hunc excepit incurabilis affectio organica nervei centri spinalis, qua septem annos decumbere Paula coacta est. Ubi nulla superfuit recuperandae valetudinis spes, B. Antonii opem rogat, qui illico adest. Licet enim sensibus destituentur, extremusque traueret anhelitus, ita ut mortua censeri posset, repente convaluit.

Tertium miraculum Cremonae etiam evenit. Paulae frater cui nomen Franciscus vel ab incunabulis herpete laborabat: crescente aetate, cerebri inflammationibus saepe tentatur, ita ut mentis acies retusa videretur. Grandior factus, cum, malo fato, in crus concidisset, tumore affectus est qui locum cessit osteoperiostiti chronicae, et insanabili. Moerore confectus sororem adit, quae bono animo esse illum iubet: ubi hominum remedia deficiunt, superesse coelestia: praesentem B. Antonii opem sese expertam fuisse: ad eum proinde conficiendum, in eoque sperandum. Nec mora : reliquias Beati cruri infirmo admovet; preces novendiales auspicantur. Antequam hae ad exitum perducerentur, Franciscus plene est ab infirmitate recreatus.

De quibus miraculis rite instituta est actio; primum in antepraeparatorio conventu sexto decimo calendas Ianuarias anno MDCCCXCV indicto penes Rmum Cardinalem Lucidum Ma-

riam Parocchi Episcopum Portuen. et S. Rufinae, causae Relatorem: et deinceps, quaestione instaurata, calendis Septembribus superioris anni in praeparatorio coetu ad Vaticanum coacto; demum in generalibus comitiis coram SSmo Domino Nostro Leone Papa XIII in Aedibus Vaticanis habitis, quarto decimo calendas Februarias vertentis anni, in quibus praefatus Rmus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi Episcopus Portuen. et S. Rufinae causaeque Relator proposuit dubium : « *An, et de quibus miraculis constet in casti et ad effectum de quo agitur?* » Rmi Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi, et Patres Consultores unanimi consensu affirmativam sententiam protulerunt. Sanctitas Sua omnium excepit suffragia, decretorium tamen distulit iudicium quod, Deo aspirante, se quantocius prolaturum sperare edixit, RRrhorum Cardinalium, ac PP. Consultorum sententiae apprime consonum. Tum eleganti habita oratione, omnesque hortata ut secum omnes impigre adlaborarent, Deum enixe precata est, ut communes labores cederent in Ecclesiae Catholicae honorem et gloriam, et in Galliae atque Italiae bonum, ubi Petrus Fourier, et Antonius Maria Zaccaria ortum habuerunt, nimirum, ut hisce apud Deum deprecatoribus, utraque Natio ad pristinam dignitatem prosperitatemque redirent.

Hodierna die Dominica in Septuagésima, postridie idus Februarii, Sacro devotissime peracto, Beatissimus Pater ad Se accersiri iubet Rmos Cardinales Caietanum Aloisi-Masella S. R. C. Praefectum, et Lucidum Mariam Parocchi Episcopum Portuen. et S. Rufinae, Causae Relatorem, una cum R. P. Gustavo Persiani S. Fidei Promotoris munere fungente, et me infrascripto Secretario, hisque adstantibus solemniter edixit: « *Constare de tribus miraculis;* videlicet de primo: *Instantaneae perfectaeque sanationis Vincentii Zanotti ab inveterato et insanabili ulcere varicoso in laevo erure;* de altero: *Instantaneae perfectaeque sanationis Paulae Aloni a chronica et incurabili affectione organica nervei eentri spinalis;* deque tertio: *Instantaneae perfectaeque sanationis Francisci Aloni Cremonensis ex ehronico inveteratoque ulcere in dextero erure* ».

Decretum hoc evulgari, et in Sacrorum Rituum Congregationis actis inseri praecepit, postridie idus Februarii anno MDCCCXCVII.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

DIOMEDBS PANICI S. *R.* C. *Secretarius.*

TULLEN, seu SANCTI DEODATI. Canonizationis B. Petri Fourier de Mataincouria. Sacerdotis Lotharingi, Praepositi Generalis et Reformatoris Congr. Salvatoris nostri nuncupatae ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, nec non institutoris monialium Congr. sub titulo Dominae nostrae, et regula eiusdem S. Augustini.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione duorum miraculorum, TUTO *procedi possit ad solemnem eiusdem Beati Canonizationem i*

Eorum qui vel fuso sanguine Christum asseruerunt, vel praeclaris editis virtutum speciminibus in exemplum eluxere, memoriam posteris propagare, coelitumque honoribus augere Ecclesia in more habet. In horum censu, iure adscribendus est B. Petrus Fourier, Mataincouriae non ignobili Lotharingiae pago natus anno MDLXV. Eos nactus est parentes qui voce et exemplo ad honestatem, probosque mores, mentem animumque eius effingerent. Litteras magna animi contentione arripuit, nec eam in scientiis excolendis remisit. Sed virtutem doctrina potiorem duxit, quam ut impensius colerei, nomen dedit sodalitio canonicorum qui S. Augustini regulam sequuntur. Studiorum orbe exacto, in sacram Christi Domini militiam cooptatus est, amplissimo virtutis et doctrinae testimonio honestatus. Curio renuntiatus pagi in quo lucem hauserat, nec solertiam, nec fidem desiderari passus est. Nullum animis iuvandis tempus illi intercidit, nullum periit. Piacula confitentibus aures praebere, aegrotantes solari, animam agentibus praesto esse, pauperum inopiae occurrere, consulta petentes comiter excipere ne lites intenderent, in deliciis habuit. Mirum inde non est si ab Episcopo Tullensi missus pluries sit ad paroecias suae Dioecesis lustrandas, atque a Cardinali Legato sacris illis expeditionibus per universam Lotharingiam praepositus, quae ad provehenda animorum lucra ineuntur. Quo autem exitu, innumera testantur odia posita, iurgiorum semina extincta, scelerum coitiones dissutae, e mentibus male obsidentes umbrae errorum depulsae, religio in novam veluti lucem emersa.

Per id tempus Ordo Canonicorum regularium a primaeva austeritate desciverat, quam ut B. Petrus restitueret omnes industriae ñervos intendit. Qui vero apud se reputabat exempla magis trahere, quam verba non moveant, ceteris praeire exemplo studuit. Summa proinde in eo humilitas, summa castitas, summa prudentia, summa praesertim austeritas, quae eousque processit ut corpus flagellis, et zona ferréis rigente cuspidibus frangerei Petri solertiae ac labori plene aspira vit eventus; etenim ad pristinam disciplinam revocatus Ordo, ipseque alter parens, novusque, quod addiderit leges, habitus sui Ordinis Reformator. Aliud quoque opus non minus utile molitus est, nempe Virginum Collegium, quibus *a Domina Nostra* nomen

fecit, quaeque curam omnem ad pauperes puellas probe instituendas conferrent. Quare non virtutibus modo, sed rebus etiam gestis omnium in se oculos animosque convertit. Mortuo, is habitus honos qui viris eximiae virtutis. Cui quidem illustrandae iubar miraculorum cum accessisset, eaque fuissent rite probata Benedictus XIII coelitum Beatorum honores illi asseruit. Mox causa denuo agitata, achoque super binis miraculis instituta, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII sollemni Epiphaniae die de utroque constare decrevit.

Hoc unum supererai, iuxta sacri huius fori statuta, inquirere; an coelitum sanctorum honores B. Petro Fourier de Mataincouria TUTO decerni possint. Eapropter in generalibus S. H. Congregationis comitiis coram Sanctissimo Domino Nostro habitis quartodecimo calendas Februarias, Rrhus Cardinalis Caietanus Aloisi Masella S. R. C. Praefectus et Causae Relator dubium proposuit: « *An stante approbatione duorum miraculorum* TUTO *procedi possit ad solemnem huius Beati Canonizationem?* » Quamvis vero Rmi Cardinales, et Patres Consultores unanimi suffragio TUTO fieri posse respondissent; attamen Beatissimus Pater mentem suam aperire distulit, ut diuturnis precibus coelestis auxilii opem effiagitaret. Hac vero die, Dominica Septuagesimae vertentis anni, Salutari Hostia ferventer oblata, in Vaticanas Aedes accivit Rmum Cardinalem Caietanum Aloisi Masella S. R. C. Praefectum causaeque Relatorem, nec non R. P. Gustavum Persiani in S. Fidei Promotorem deputatum, et me infrascriptum Secretarium, iisque praesentibus edixit: « TUTO *procedi posse ad solemnem B. Petri Fourier de Mataincouria Canonizationem* ».

Hoc autem Decretum publici iuris fieri, in acta Sacrorum Rituum Congregationis referri, litterasque Apostolicas sub plumbo de Canonizationis solemniis in Patriarchali Basilica Vaticana quandocumque celebrandis expediri mandavit, sextodecimo calendas Martias, anno MDCCCXCVII.

C CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C Praefectus.*

L. * S.

D. PANICI *S. R. C. Secretarius.*

MEDIOLANEN. Canonizationis B. Antonii Mariae Zaccaria Fundatoris Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum nec non Virginum Angelicarum.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione trium miraculorum, et dispensatione a quarto, TUTO *procedi possit ad solemnem Beati Canonizationem?*

Virtutum magis et operum, quam annorum ac vitae confectis stipendiis, Cremonae qua in urbe ante annos sex et triginta

editus fuerat, absumptus est Antonius Maria Zacearía sodalitatis Clericorum Regularium a S. Paulo conditor et parens, ineunte mense iulio, anno MDXXXIX.

Virtute aetatem praevertens, voluptates ceu peccandi illecebras est aspernatus, corpusque ne se licentius efferret flagris, ieiuniis, vigiliis contudit. Sacris admotus, reique divinae operatus, magis magisque conniti, ut Dei gloria, atque animorum salus in maius proveheretur; dignus proinde, qui a S. Pio V summis laudibus honestaretur.

Mirum inde non est, si Antonio Mariae Zaccaria antequam ab Ecclesia decernerentur, delati a populo fuerint coelitum honores. Quod si ab his postea cessatura est, tribui unice debet generalibus Urbani VIII decretis anno MDCXXXIV latis, quae etsi ad B. Antonium trahi iure non possent, quod extrema deessent in illis decretis posita, tamen Sodales Barnabitae maluerunt Sedis sanctionibus obsequi, quam filiali erga Parentem suum pietati indulgere. Sedis autem Apostolicae venia, actio de cultus redintegratione recens inducta est, ac in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis comitiis, proposito bis dubio: « *An sit locus redintegrationis cultus praedicti V. Seroi Dei in casu, et ad effectum de quo agitur?* » primum « *dilata* »; deinde hoc fuit rescripto dimissum « *Attentis peculiaribus causae adiunctis, supplicandum Sanctissimo pro redintegratione cultus, olim V. Servo Dei praestiti ».*

Felici hoc exitu animum sumentes Sodales Barnabitae, iterum instare ut legifero Parenti suo, Sanctorum honores decernerentur. Eorum preces non modo favorabiliter ab H. S. O. exceptae, et a Summo Pontifice et ratae habitae, et probatae; sed etiam indultum ut tria miracula quae Beatificationi perficiendae fuissent necessaria, Canonizationi inservire possent. Quae, examini subiecta, de iisque plene constare SSmus Dominus Noster, decreto edito, postridie idus Februarii labentis anni, solemniter edixit. A quarto miraculo quod in casu afferri debuisset dispensatio indulta, cum de Conditore ageretur religiosi Ordinis a Sede Apostolica probati.

Post haec, unum supererai: *an,* scilicet, *stante approbatione trium miraculorum, et dispensatione a. quarto,* TUTO *procedi possit ad solemnem eiusdem Beati Canonizationem?* De quo actum est, in plenariis comitiis die xxm superioris mensis coram SSmo D. N. habitis: dubioque proposito a Rmo Cardinali Lucido Maria Parocchi Episcopo Portuensi et S. Rufinae, Vicaria Potestate in Urbe Antistite, causaeque Relatore; Rmi Cardinales, et Patres Consultores affirmativum suffragium tulere. Cum autem de re ageretur maximi momenti, Beatissimus Pater sibi a iudicio ferendo supersedendum iudicavit, ut tempus esset Deo exorando.

Hodierna autem die. Dominica prima in Quadragesima sacris devotissime operatis, ad se advocari iussit Rmos Cardi-

nales Caietanum Aloisi-Masella S. R. Congregationi Praefectum, et Lucidum Mariam Parocchi causae Relatorem, nec non R. P. Gustavum Persiani S. Fidei Promotoris munere fungentem, meque insimul infrascriptum Secretarium, iisque adstantibus solemniter pronuntiavit : « TUTO *proeedi posse ad solemnem B. Antonii Mariae Zaccaria Canonizationem?* »

Decretum hoc in vulgus edi, et in Sacrorum Rituum Congregationis acta referri, Litterasque Apostolicas sub plumbo de solemni Canonizationis ritu in Patriarchali Basilica Vaticana quandocumque celebrando expediri mandavit, nonis martiis, anno MDCGCXCVII.

C. CARD. ALOISI-MASELLA S. *R. C. Praef.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI, 5. *R. C. Secretarais.*

QUEBECEN. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Francisci de Montmorency Laval primi episcopi Quebecen.

Instante Rmo Dno P. Xaverio Cazenave Postulatore Causae Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Francisci de Montmorency Laval, infrascriptus Cardinalis Sacrae Rituum Congregationis Praefectus, loco et vice Emi et Rmi Dñi Cardinalis Lucidi Mariae Parocchi Episcopi Portuensis et Sanctae Rufinae, eiusdem Causae Relatoris, in Ordinario ipsius Sacrae Congregationis Coetu Rotali, subsignata die, ad Vaticanum coadunato, iuxta peculiares Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII dispositiones annis 1878 et 1895 editas, sequens dubium discutiendum proposuit; nimirum: «An constet de validitate et de relevantia Apostolici Processus constructi super Fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere praefati Venerabilis Servi Dei, in casu et ad effectum de quo agitur? » Sacra porro eadem Congregatio, omnibus accurato examine perpensis, auditoque R. P. D. Gustavo Persiani sanctae Fidei.Prolomoris munere fungente, rescribendum censuit: « *Affirmative* seu *constare* ». Die 5 Ianuarii 1897.

Quibus omnibus Sanctissimo Dno Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationis Praefectum relatis, Sanctitas Sua sententiam ipsius Sacrae Congregationis ratam habuit, et confirmavit, die undecima iisdem mense et anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, & *R. C. Praefectus.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI, *S. R. C. Secretarius.*

LITTERAE APOSTOLICAE Sanctissimi Domini Nostri Leonis Divina Providentia Papae XIII, quibus Seminarium vaticanum cum scholis canonice constituitur.

Quod Romani Pontifices sui maxime muneris esse duxerunt, ut adolescentes clerici in spem sacerdotii diligenti institutione informarentur, eaque de causa, in Urbe potissimum, tam multa ipsis domicilia aut nova excitarunt aut iam instituta effecerunt multiplici accessione meliora, in idem Nos, vel ab ipso Nostri Pontificatus exordio, nullis neque curis parcentes, neque sumptibus, sedulam operam studiumque omne contulimus. In his et nomine dignum et loco existimavimus, cui animum adiiceremus, sacrum Seminarium Vaticanum, prope venerandam Petri Cathedram atque in ipsis pene Pontificis oculis collocatum. Quod quidem Seminarium a Decessore Nostro fel. rec. Urbano VIII institutum Apostolicis Litteris datis die xxv mensis Octobris anni MDCXXXVI, ab sui ortu per Romanos Pontifices nova in dies incrementa suscepit. Nam et ab ipso Urbano VIII dos illi est assignata nummorum scutatorum annua summa quadringentorum ex imperata pecunia mille et tercentum a Capitulo Vaticano ad eum diem soluta Seminario romano; cui pecuniae accessit annua summa nummorum scutatorum biscentum, quam ipsum Capitulum pontificia auctoritate statuit ex aere suo in perpetuum eidem Seminario solvendam, et quidquid praeterea contingeret largitionum in posterum. Seminarium autem esse iussit obnoxium auctoritati Cardinalis Archipresbyteri atque Capituli Vaticani, quibus alumnos adsciscendi concessit arbitrium, indulsitque immunitatem iurisdictionis Cardinalis in Urbe Vicarii omnibus et singulis tum personis tum bonis, quae ad ipsum pertinerent. Ad haec privilegiis omnibus, indultis, beneficiis uti dedit, non solum quibus cetera Seminaria fruerentur, ad leges Concilii Tridentini constituta, sed etiam quae Seminario romano essent propria.

Deinde Alexander VII et Innocentius XI leges edidere, quibus Seminarium optime regeretur. Benedictus vero XIII domicilium assignavit exstructam musivis elaborandis domum, adiectis duabus casulis atque horto. Accessit Cardinalis Ducis York Archipresbyteri donatio, quam sanxit Clemens XIII. Seminarii rem et commoda auxit Gregorius XVI, assignata in

perpetuum scutatorum summa quadringentorum ex reditibus Pii Operis *Car car ast.* Habitationi denique per aestivos menses prospexit Pius IX, qui alumnis incolendam concessit, donec aedes praesto essent commodiores, partem domus Rev. Fabricae prope Aram Caeli.

Quibus omnibus quamvis per Decessores Nostros Seminario Vaticano satis esset consultum, nihilominus praesens conditio rerum plura adhuc exposcere videbatur, cum ad Petri Cathedram, Deo sic disponente, fuimus evecti. Nam et iustus alumnorum desiderabatur numerus, et aptior tempori ratio studiorum. Quare delectos ad rem e Capitulo Vaticano viros unaque cum ipsis Cardinalem Archipresbyterum sedulo percontati de rerum statu, quae ad Seminarium pertinerent, statim et habitationis commoditati et alumnorum quum institutioni tum numero atque utilitati prospeximus. Amplificari primum aptarique aedes, praesertim in usum scholarum, iussimus, ad eamque rem argénteos itálicos ad quinque millia assignavimus a Rev. Fabrica solvendos. Videlicet Fabricae curatorum proventus, quibus illi antea fruebantur, Seminario in perpetuum cedere constituimus, exceptis, qui ad ipsos pertinerent, argenteis italicis sex millibus et quingentis: qui proventus una cum reditibus legati Borromei in exstruendis, ut diximus, aedibus fuerunt adhibiti. Aquae Paulinae unciam e canali Fontis Aquilonis, in hortis Vaticanis, deducendam concessimus. Aditum ad templum Sanctae Marthae, quo tamquam sacello uterentur, extructo ambulacro, patefaciendum curavimus. Alumnorum denique rusticationi satis abunde providimus.

His ita dispositis, adolescentium animos ad rectos mores et ad solidam salubremque doctrinam informandis animum intendimus. Quare illud in primis propositum fuit, ut magistri deligerentur, qui publice essent docendi facultate instructi, per quos sive Seminarii alumni, sive clerici Basilicae addicti, sive externi adolescentes, quibus aeque aditum fecimus, ad iustam tum e Gymnasio tum e Lyceo missionem assequendam fièrent idonei. Itaque quinque Sacerdotia Basilicae Vaticanae in magisterium constituimus, quorum duo maiora, minora reliqua: quibus beneficiis praeceptores pro mercede gauderent, chori onere commutato. Mox constituta pecunia italicorum nummorum sexdecim millium, additum Lyceo theatrum physices et historiae naturalis. Postremo restitutis philosopiae adiectisque

sacrarum disciplinarum studiis, explendis quadriennio, opus absolvimus.

Ita comparatum rebusque omnibus instructum domicilium, curavimus ut non minus commodis abundaret, quam optimorum iuvenum numero. Quamobrem Nostro nomine invitari Episcopos iussimus, maxime viciniores, ut quos clericos vel in suis Seminariis, quae essent clausa, recipere vel inopia doctorum ad legum civilium normam, instituere non possent, ad Seminarium Vaticanum mitterent, Nostris sub oculis educandos. Ratum habuimus et conflrmavimus quod cum Cardinali Episcopo Portus et S. Rufinae convenerat de alendis in hoc ipso Seminario, sumptu eius, alumnis certo numero, quorum ternis quibusque gratuitus concederetur locus. Tres item gratuitos locos totidem Carpinetanis adolescentibus fecimus, datis ad eam rem argenteis italicis quinquaginta millibus. Decem et septem dimidia parte gratuitos esse decrevimus, quibus partim ex proventibus Rev. Fabricae, partim ex legato Borromeo dotales adsigna vim us fundos.

His rebus aucto Seminario Vaticano et in conditionem longe meliorem restituto, nihil ferme desiderandum supererai, nisi ut documentum Apostolicum ederetur, quo et ipsum, quamvis iam canonice erectum, ut diximus, a praedecessore Nostro fel. rec. Urbano VIII, novae quasi erectionis canonicae vim et robur acciperet, Lyceumque ac Gymnasium una cum scholis Philosophiae ac Theologiae, auctoritate Nostra, canonice modo primum erigerentur. Nos itaque fastigium imponentes operi et Seminarium Vaticanum novo amoris testimonio prosequi cupientes, veterem eius erectionem simulque iura omnia, praerogativas, privilegia eidem hactenus concessa, auctoritate Apostolica vi praesentium Litterarum confirmamus, idemque nomine et titulo *Pontificio* decoramus. Praeterea ad Dei gloriam, ad incrementum catholicae religionis atque doctrinae, ad decus utilitatemque maxime Urbis, Lyceum ac Gymnasium cum scholis Philosophiae ac Theologiae, in hoc ipso Seminario iuxta canonicas normas erigimus et constituimus, eidemque omnia iura, praerogativas, privilegia huiusmodi Collegiorum propria attribuimus: imprimisque ut eius alumni magisterii lauream aliosque gradus academicos in sacris disciplinis ad consueta Universitatum, ut vocant, statuta et leges assequi valeant.

Quo autem huius Nostri Instituti securitati et commodo

melius prospiciatur, aedes ad Sanctae Marthae, quibus Seminarium cum suis scholis in praesens utitur, quarum dominium ad Rev. Fabricam antea pertinebat, eidem Seminario addicimus atque attribuimus una cum aquae Paulinae ductu; easque aedes, vi praesentium Litterarum in ipsius iura in perpetuum cedere declaramus atque decernimus. Eidem templum ac monasterium Sanctae Marthae, quorum Pius IX fel. rec. usum concesserat, itemque rusticanam domum in Sabinis comparatami auctamque sumptibus Nostris cum continenti templo Sancti Aegydii pariter attribuimus. Quos iam instituimus aere Nostro gratuitos locos tres Carpinetanis, totidem adolescentibus aliis ex reditibus Rev. Fabricae, et quatuordecim dimidia parte gratuitos ex legato Borromeo, pariter hisce Litteris confirmamus, eamque institutionem perpetuo servari volumus ac mandamus. Dotales etiam fundos, quos Lyceo, Gymnasio et tradendae Theologiae assignavimus, sive ex quinque Sacerdotis Vaticanae Basilicae in magisterium constitutis, sive impositis in Sacerdotia quaedam pensionibus, sive ex proventibus, quibus Rev. Fabricae Oeconomus antea fruebatur, denuo hisce Litteris, auctoritate Nostra Apostolica confirmamus atque sancimus. Iubemus autem ea omnia diligentissime servari, quae ad eiusdem Seminarii cum suis scholis prosperitatem procurandam ac tuendam Nostris his Litteris statuenda existimavimus, imprimisque sarta tectaque haberi quae sequuntur.

I. Cardinalis Archipresbyter Vaticanae Basilicae Seminarii eiusque scholarum caput esto, eodemque iure polleat, quo in sua quisque Ecclesia episcopus.

II. Canonicus Vaticanus Seminario Praefectus a romano Pontifice eligatur ac tamdiu maneat in eo munere, quamdiu Pontifici ipsi placuerit.

III. Rebus Seminarii procurandis quatuor adsciscantur viri ad Tridentinae Synodi leges, iique ex Vaticanae Basilicae Canonicis eligantur a Pontifice, exceptis Canonico Praefecto et Cardinalis Archipresbyteri Vicario, quod alter sit eius procurationis necessario particeps, alter Cardinalis Archipresbyteri absentis vice fungatur.

IV. Cardinalis Archipresbyter, cum rector Seminarii renunciandus sit, audito Canonici Paefecti consilio, sacerdotes aliquot proponat, qui ad id munus obeundum idonei visi fuerint,

ut ex iis summus Pontifex eligat quem alumnis Seminarii regendis rectoris nomine et potestate praeflciat.

V. Cardinalis Archipresbyteri erit, audito Canonico Praefecto, idoneos sacerdotes duos rectori socios ac vicarios adiungere, quibus prorectoribus expeditius ille atque utilius munere suo perfungi queat, tum in iis quae alumnorum disciplinam, tum in iis, quae oeconomicam Seminarii curationem spectant.

VI. Quod ad spiritualem alumnorum curam attinet, idem Cardinalis Archipresbyter, audito Canonico Praefecto, sacerdotem eliget in pietatis magistrum et ordinarium Confessarium, qui in Seminarii aedibus degat, isque ita, delectus alumnorum animis ad virtutem et religionem studiose ac prudenter provehendis operam navet, muniaque omnia, quae parochi sunt, exerceat.

VII. Cardinali Archipresbytero ius esto sacros Ordines conferendi non modo Clericis suis, sed aliis etiam alumnis, de consensu Episcoporum, idque in suae iurisdictionis locis, proinde etiam in urbano, itemque in rusticano Seminarii domicilio.

VIII. Eidem potestas esto magisterii lauream aliosque gradus academicos alumnis sacrarum disciplinarum conferendi quos, facto doctrinae periculo uti mos est, idoneos esse constiterit.

IX. Doctores decuriales, praesertim tradendis maioribus disciplinis, proponantur a coetu virorum e Capitulo Vaticano rebus Seminarii curandis, praeeunte Cardinali Archipresbytero; isque coetus referet ad Pontificem, ad quem spectabit electio.

X. Festis ritu maximo diebus, alumni in Basilicam ad sacra solemnia, ut assolet, conveniant universi. Ceteris diebus festis, arbitrio Praefecti designandis, iidem alumni, praeter quam qui sacris in Basilica de more intersint, ad S. Marthae sacris sollemnibus inserviant; itemque se caeremoniis sanctissimis ac piis concionibus opportune exerceant.

Haec volumus et statuimus, ac propterea decernimus has Litteras Nostras firmas, validas et efficaces semper esse ac fore suosque integros effectus sortiri atque obtinere, et illis, ad quos spectat aut pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus plenissime suffragari.

Volumus insuper ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii Nostri subscriptis, et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis eadem

habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significatione his praesentibus ostensis, haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagésimo sexto, xv Kalendas Februarias, Pontificatus Nostri decimo nono.

A. CARD. MACCHI

A. PANICI Subdatarius

VISA

DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS

Loco f& Plumbi

Reg. in Secret. Brevium.

I. CUGNONIUS

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

VARSAVIEN, seu PARISIEN.

NULLITATIS MATRIMONII.

Die 25 Ianuarii 22 Augusti et 12 Decembris 1896.

Sess. 24 de ref. matr. cap. 1.

COMPENDIUM FACTI. Ioannes Antonius Baro et Maria Sophia uterque nobili genere ex civitate Varsaviensi oriundi, *die 2 Ianuarii 1875* Parisiis, in Ecclesia Sancto Sulpicio dicata, coniugali foedere iuncti sunt. Utrum coniuges tempore initi matrimonii adhuc Varsaviae domicilium foverent non videtur extra omnem controversiae aleam versari. Con-

iugum enim familiae, una alterave causa, huc illuc diseurrentes, successu temporis, pluribus in locis commoratae sunt aliquoties ibidem saltem quasi domicilium sibi comparantes.

Tractatus de nuptiis ineundis coepti sunt sub anno 1873 in statione Balneari vulgo « Spa » ; quum Ioannes Antonius 22 annos natus esset ; Maria Sophia vero aetate esset 20 annorum. Nupturientes, mutuo capti amore, matrimonium quam citius celebrari exoptabant, quare, ut difficultates nonnullas vincerent a parentibus viri oppositas, statuerunt Dresdae nuptias celebrare, a quo proposito destiterunt, quum Parochus, qui in hac civitate pro catholicis unus est, protestati sit, se eos matrimonio iungere non posse, nisi saltem per sex hebdomades antea in sua paroecia commorati essent. Huic conditioni non acquiescentes sponsi, Parisios se contulerunt, ubi *die 31 Decembris 1874,* ut matrimonium, quod civile vocant, contraherent sibi falsum de domicilio semestrali testimonium compararunt, instaurato postea nempe *die 2 Ianuarii 1877)* matrimoniali foedere in Paroecia S. Sulpitii.

Hoc matrimonium, quod felicem haud habuit exitum, impetit, ex vitio clandestinitatis, vir asserens, neve se, neve suam sponsam, ad mentem Concilii Tridentini, habuisse saltem quasi domicilium, pro sortiendo *proprio* parocho in paroecia S. Sulpicii. Hanc petitionem vir promovit anno 1883 apud Curiam varsavien, quando iam Tribunal civile cracoviense ad instantiam sponsae decreverat, mense Maio 1883, *corporum* separationem et filium quem iam habuerant, commendaverat tutelae Matris. Haec enim fatetur, se iampridem cognovisse, virum cum alia muliere rem habere, a qua et filios susceperat; quamobrem, mortuo avo, qui patrimonium magna ex parte huic nepoti legaverat, ne filius cum suis bonis in viri potestatem deveniret eiusque malos mores imitaretur, Maria a Tribunali petiit et obtinuit, ut decreta corporum separatione, filius in suam tutelam vindicantur, prouti factum est.

Disceptatio Synoptica

Viri patronus, notat compertissimum esse, vi cap. *Tametsi* S. Concilii Tridentini *Seas. 24 Be ref. matr. 1,* matrimonium non posse valide contrahi, nisi coram proprio parocho, vel alio Sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia. Tralatitium autem in iure est non esse proprium parochum nisi parochum domicilii vel quasi-domicilii : quasi-domicilium vero non acquiri per qualemcumque commorationem sive habitationem, sed per eam tantummodo quam comitetur animus habitationem ipsam continuandi per maiorem anni partem. Dein missis Canonistarum auctoritatibus, ait, peremptorie iam hac in re loquutam esse Supremam Cong. S. R. et U. L, quae feria IV die 2 Maii 1877 ad postulatum Synodi Matutinae respondit his verbis : « proprium parochum habendum esse parochum domicilii vel quasi-domicilii contrahentium : ad dignoscendum vero quasi-domicilium attendendam esse regulam traditam in Instructione fer. IV, die 7 Iunii 1867, Episcopis Hiberniae transmittendam ». Porro in citata Instructione legitur : « Ad constituendum vero quasi-domicilium . . . . . duo haec requiruntur, habitatio nempe in eo loco, ubi matrimonium contrahitur, atque animus ibidem permanendi per maiorem anni partem ».

Facti vero speciem quod spectat, advertit, perspicuum esse neque Ioannem Oratorem, neque Mariam tempore celebrationis matrimonii habitasse vel habuisse animum habitandi Parisiis, nedum per maiorem, sed nec per notabilem anni partem. Quin imo, contendit, ipsos tunc temporis Parisios se contulisse, eo dumtaxat fine, ut matrimonium ibidem quantocius contraherent, et cum animo statim discedendi post matrimonii celebrationem, uti reapse factum est. Ita sane sub iurisiurandi fide percontanti Iudici respondit orator : « Le mariage devait se faire à Dresde. . . . . Le mariage n'eut pas lieu à Dresde parceque le Curé de la seule paroisse Catholique de Dresde exigeait six semaines de séjour à partir du moment où la demande de nous marier

lui fut adressée. Nous étions décidés à nous marier en 1874. L'acceptation de cette condition imposée par le Curé eût remis le mariage en 1875, ce à quoi nous étions absolument opposés. . . . . Nous ne savions ni les uns ni les autres que nous aurions pu demander à Varsovie une délégation . . . . A Dresde, nous sommes restés, ma femme, sa mère, sa sœur et moi, jusqu'au 8 Décembre 1874, de là nous repartîmes pour Paris où nous arrivâmes le 12. J'y séjournai jusqu'au -2 Janvier 1875 à l'Hôtel, 33 rue de Tournon . . . . Il était absolument arrêté que nous quitterions Paris aussitôt après le mariage avec l'intention de n'y pas revenir, au moins pour nous y fixer ». Praeterea idem fateri Mariam, urget Patronus, quam suae causae adversam magnopere, denunciai.

Haec omnia autem nec non alia maximi momenti adiuncta per testes omni exceptione maiores cumulatissime comprobantur. Inter testes, praecipue recolit Advocatus, revmum Sacerdotem Panis, primus Vicarius in paroecia S. Mariae Magdalenae.

Postquam Patronus adverterit haec facta confirmari non solum ab oratore, sed plenissime etiam a sponsa, notat admodum fidendum esse testimonio Sacerdotis Panis, de quo Ordinarius Parisiensis ad S. C. C. scripsit: « magni faciendum esse videtur (eius) testimonium non solum ratione scientiae practicae, sed ob distinctam recordationem eorum quae acta sunt eo tempore quo matrimonium contrahebatur », quique Sacerdos ex officio interrogatus quid ipse in casu sentiret, incunctanter respondit : « je crois le mariage nul par défaut de juridiction, parce que le futur n'avait à Paris ni domicile ni quasi-domicile et que la future n'était pas vaga dans le sens canonique du mot ».

Notat sedulo Orator, singula, quae sub iurisiurandi religione tum orator tum adversa mulier asseruerunt et sacramentales testes docuere, scriptis etiam documentis, iisque ineluctabilibus, comprobari. Scilicet quod orator ipso anno, quo matrimonium initum fuit, et praecise a mense Aprili

usque ad Novembrem 1874 non Parisiis, sed in sua patria idest Varsaviae, aut in pago vulgo « Somianka » nuncupato continenter commoratus fuerit, adstruit Procurator authentico testimonio Praefecti Quaesturae Varsaviensis.

Quin imo id probat ex testimonio ipsius Curiae archiepiscopalis varsaviensis, quae ita scripsit : « quum auctor ali-
« quot mensibus ante nuptias demoratus sit in bonis patris
« in districtu Pultoviensi . . . . ».

Item quod sponsa eiusque mater ante diem 10 Decembris 1874 non commoratae sint Parisiis in paroecia S. Sulpitii, in qua celebratum est matrimonium, sed Dresdae aut alibi, comprobaret Orator tum ex testimonio Moderatoris Politiae Dresdensis, tum ex scripto testimonio sanctimonialis feminae Mariae Gonzague Homell Praefectae Instituto « du Neuilly (Seine) » in quo per aliquot menses recepta fuit sponsa, tum denique, aliis missis, ex non paucis ipsa rum epistolis per id temporis e variis locis, uti ex impresso desuper tabellara signo patet, ad oratorem in Polonia degentem missis.

Animus vero non commorandi Parisiis per notabilem, nedum maiorem, anni partem, sed statim exinde discedendi ubi primum expleta fuisset matrimonii caeremonia et, post nuptiale iter, sese conferendi in civitatem Halle, iuxta patronum evincitur ex epistola sponso data ab ipsa sponsa tempore non suspecto, idest die 11 Iunii 1871. Scilicet in praefata epistola sponsa studet sponso suadere ut impositam ipsi a patre conditionem agriculturae studium, post matrimonium, aggrediendi in Athenaeo Hallensi minus aegre acceptet.

Quia difficultatem ingerere posset quod ait adversa mulier nempe « nous sommes revenus à Paris *paullo ante celebrationem matrimonii,* et nous avons été domiciliés à l'hôtel de l'Empereur Joseph II, rue de Tournon dans l'intention d'y acquérir droit de paroisse » et « nous comptions demeurer à Paris le temps nécessaire pour obtenir droit de paroisse » ; innuit Patronus, ex contextu tum primi tum

alterius examinis, cui de mandato S. C. C. praefata mulier subiecta est, apparere ipsam per ea verba nihil aliud significare voluisse, quam se cum matre et sponso Parisios tunc temporis advenisse eo dumtaxat fine ut moram a Dresdensi parocho requisitam vitarent, et matrimonium ibidem quantocius contraherent. Sane ipsamet fassa est : « nous avons quitté Paris immédiatement après notre mariage, pour n'y revenir que pendant quelques jours ». Et ad 7. quaestionem iam reposuerat : « le mariage ne s'est pas fait à Dresde, parcequ'on a dit à Mr. du Puget-Puszet qu'il fallait y séjourner pendant un nombre de mois que je ne me rappelle plus pour acquérir droit de paroisse : ne voulant pas attendre aussi longtemps, il a demandé à ma mère que nous retournions à Paris croyant y retrouver notre droit de paroisse ». In altero autem examine mulier supra recensitam suorum verborum ita patefecit : « . . . . . . ce que je sais c'est que ma mère ne s'est installée à l'hôtel l'Empereur Joseph II rue de Tournon qu'avec l'intention d'y habiter le temps nécessaire pour que nous puissions nous marier dans la paroisse de St. Sulpice ».

Orator vero putat, clare apparere rationem ob quam existimabatur facilius Parisiis quam Dresdae ius paroeciae « droit de paroisse » acquisitum iri, si attendantur haec sponsae verba : « je fondais mon opinion en ce que pendant 11 mois consécutifs j'avais habité Paris, dont 8 mois sous la paroisse de la Madeleine et 3 mois celle de Neuilly au couvent des Dames Anglaises tandis que je n'avais passé à Dresde que 5 ou 6 semaines. D'ailleurs c'est ce qu'expliquait à ma mère Jean, qui lui même avait habité avec ses parents Paris plus de 10 ans et n'avait quitté ce domicile légal que depuis 8 mois ».

Quum in paroecia S. Sulpicii sponsi in diversorio commorati sint, notat Advocatus quod centies S. C. C. et S. R. Rota defmivere, neque per mille annos, ut dici solet, acquiri alicubi quasi-domicilium, si quis ibi non commoretur more incolarum, more nempe illorum qui in eo loco verum pro-

prieque dictum domicilium habent : quam iuris disciplinam authentice tradidit ipsa Suprema Congregatio S. R. et U. I. in citata Instructione fer. IV diei 7 Iunii 1868 hisce verbis ; « manifestum quoque est actualem habitationem ineptam esse ad quasi-domicilium pariendum, si quis in ea regione more vagi ac itinerantis commoretur, non autem vere proprieque habitantis, quemadmodum scilicet ceteri solent qui in eodem loco verum proprieque dictum domicilium habent ».

Nullam vero, in casu, delegationem locum habuisse probat Orator ex testimonio Sac. Panis, qui ita testatus est : « je n'ai entendu parler d'aucune permission, d'aucune dé- « légation de Varsovie, ni d'ailleurs ». Citat etiam Varsaviense Tribunal, quod postquam dixit hac de re actum iam fuisse etiam cum Episcopo Dioec. Plocen., in qua est locus « Somianka », solemniter declaravit : « diligenter perlustratis tabulis archivialibus... nullum repertum esse actum delegationis sive ab Ordinariatu, sive a proprio sponsorum Parocho extraditae ». Tum ipse Archiepiscopus Varsaviensis in litteris ad Ordinarium Parisiensem datis die 17 Iulii 1893 haec scripsit : « in primis stat factum delegationem specialem atque expressam a Curia Varsaviensi extraditam non fuisse ».

Nec iuxta patronum, contra haec valent adversariae verba : « mons. Jean a obtenu l'autorisation de son Curé, soit de Varsovie, soit de Somianka » ; eo vel magis quod ipsamet ad instantiam eximii Defensoris matrimonii apud S. C. C. super iisdem verbis pressius interrogata fateri debuit : « peut être ai je confondu la publication des bans avec une autorisation toute speciale.... je ne puis pas affirmer ou rappeler soit qu'elle (l'autorisation de son Curé) existait ou non ».

Demum contendit Advocatus, profecto sustineri non posse matrimonium *iure vagorum.* Putat enim aperte constare, non fuisse vagum oratorem, post ea quae superius sunt exposita et quae passim in summario prostant. Eadem ratione opinatur, supervacaneum esse probare non fuisse vagam

sponsam. Ipsamet enim in iudicio fassa est: « je n'avais jamais quitté le domicile de ma mère » ; et percontanti Iudici : « quel était le domicile légal de vos parents? » respondit : « le domicile légal était Varsovie ».

Ex testibus hoc asserentibus seligit Orator Sacerdotem Iosephum Panis qui asseruit : « je me souviens que Mademoiselle et sa mère avaient leur domicile à Varsovie ». Item ex documentis illud recenset ex quo constat sponsae matrem, adhuc inter stabiles incolas huius civitatis recensitam, fundum quemdam (immeuble) situm Varsaviae et ex avunculi hereditate iampridem acquisitum non solum non alienasse, sed imo paucis annis ante filiae matrimonium a cohaeredibus redemisse pretio rublorum 30,501, illumque usque ad obitum servasse, ita ut dimidia eiusdem fundi pars ipsi filiae postea contigerit.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. Ex adverso Vinculi Defensor intentioni Actoris contradicit, contendens, in primis, nec Ioanni nec Mariae tempore initi matrimonii fuisse proprium parochum extra Parisios, quippe utrumque *iure vagorum* copulatos fuisse legitimo foedere, autumat.

Quod *in iure* ut clare probet, Auctorum explicat agmen ; citans, inter alios, Prosperum Lambertini, qui in sua *33 notif. num. 10* haec habet: « Già è regola certa, che il parroco delle persone vaganti è quello di quel luogo, in cui esse attualmente si trovano. . . . *TI che ha luogo, ancorché uno solo dei contraenti fosse vagante....:* Ma correndo alle volte qualche equivoco, prendendosi il pellegrino per vagante, il che non è vero, essendo vagante quello, che avendo lasciato il domicilio, ne va a cercare un altro ove possa fermarsi, secondo il testo nella *L. Eius § Celsus ff. ad municipalem,* ove così si legge - Puto, autem et hoc procedere posse, si quis, domicilio relicto, naviget, vel iter faciat quaerens, quo se conferat, atque ubi consistat, nam hunc puto sine domicilio esse, - ed essendo pellegrino quello, che viaggia ritenendo però l'animo di ritornare all'antico domicilio».

Antonius Ballerini, *not. ad q. 487 compend. Theolog.*

moral, tom. 2 haec consignât : « Vagum definit Benedictus XIV *(Instr. 33 num. 10)* qui relicto suo domicilio sedem in exteris terris inquirit ; quod intelligendum est, tum si destinavit ubi pedem collocaturus sit, tum si nondum destinavit ; ad hoc enim in utroque casu aeque domicilio caret. Adde necessarium non esse, ut sedem inquirat ; aeque enim, imo a fortiori vagus dicetur, quin nullibi certam et constantem sedem habet aut vult habere. Insuper, quoad rem praesentem, ut vagus qui dicatur relate ad parochiam, nec opus quidem est, ut domicilium in remota seu extera aliqua regione quaerat ; sed generatim satis est, quod priori parochia relicta nondum in aliam sedem defixerit, quia tunc revera sine parochia est, quippe qui priorem amisit, et aliam nondum acquisivit. Idcirco I° qui relicta parochia nondum domum invenit in qua habitet, et interim aliquo in loco hospitatur, iste est vagus ; 2° etiamsi domum invenerit, in qua habitaturus erit, alibi tamen hospitatur, dum inventa domus antiquo expeditur habitatore, pariter quoad parochiam vagus est ; 3° sic etiam si in urbem advenerit, et nondum statuerit, qua in parte habitet, inter vagos seu parochia carentes recensetur ».

Hisce prae oculis habitis *iuris* principiis, opinatur Vinculi adsertor, demonstratum a Ioanne haud esse parochum proprium tum sibi tum Mariae in Polonia fuisse tempore initi matrimonii. Quod attinet ad Ioannem, recolit, eum die 13 maii. 1851 natum, aquis baptismatis die 22 maii praedicti Varsaviae lustratum esse in parochia Sanctae Mariae Virginis. At iuxta Patronum in probatis est a die 13 iunii 1852 Ioannis patri et idcirco ipsimet Ioanni domicilium habitationis non in varsaviensi sanctae Mariae Virginis parochia, neque in varsaviensi dioecesi sed in loco « Somianka » fuisse. Iam vero regio « Somianka » nil commune habet cum varsaviensi parochiali ecclesia Mariae Virgini sacra, neque cum Varsaviae dioecesi, quia locus vulgo « Somianka » situs est intra fines dioeceseos Plocensis.

Demum narrat Orator, certum esse Ioannem scilicet una

cum parentibus ab anno 1864 Lutetiae Parisiorum studiorum causa versatum esse. Siquidem Maria iurat : « Monsieur Jean avait *tempore celebrationis matrimonii* habité avec ses parents Paris plus de 10 ans et n'avait quitté ce domicil legal que depuis 8 mois ».

Hoc confirmat Sacerdos Panis, *premier vicaire de St. Madeleine,* Ioanni addctissimus, iureiurando.

Die 10 aprilis 1874 Ioannes parentibus Lutetiae permanentibus valedixit atque profectus est ad locum « Somianka ». Parentes vero, pergit Orator, Parisiis discesserunt tribus circiter mensibus ante connubii celebrationem, vel octo aut novem mensibus, si vera renuntiat Ioannes, dum inquit : « En Avril 1874 mes parents ont définitivement quitté Paris où ils ne sont jamais révenus dépuis ».

Igitur per decem sin minus annos, concludit Vinculi Defensor, quando celebratum est matrimonium Ioannes eiusque parentes Parisiis habitarunt, et certo certius domicilium inibi quaesierunt. Etenim canonicus Ioseph Dulong iurat : « Elle, *familia Ioannis,* avait certainement domicile à Paris, Monsieur Jean vivait avec sa famille non pas dans un hôtel, mais dans un appartement richement meublé ». Quod nec ipse sacerdos Ioseph Panis diffitetur, imo confirmans, aiens: « Au moment du mariage les parents n'avaient certainement plus de domicile à Paris; avaient quitté Paris pour retourner en Pologne et s'y fixer définitivement. Ils avaient même emporté tous les meubles ».

Advertens Orator quod ad acquirendum profecto domicilium duo requiruntur ac sufficiunt, factum scilicet et animus, ait, exploratum esse, eos Lutetiae Parisiorum ultra decennium commoratos : et Parisiis valedixisse, non iam quia sic ab initio constituerant, sed ob casum impraevisum, ob mutatam nempe publici regiminis formam. Etenim Mauritius Coste, Ioannis amicus, refert : « Le père de Jean ne voulait pas rester dans un pays où il ne se trouvait plus disait-il et sans doute, en plaisantant, en sécurité en raison de la nouvelle forme de Gouvernement ».

Sin minus, quasi-domicilium Ioanni eiusque parentibus innciari nemo audebit, notat Patronus. Parentes enim Parisios filium a teneris unguiculis advexerunt, ut inibi studiorum rudimentis, litteris humanioribus atque scientiis incumberet. Quae res breve haud tempus certe insumit.

Deinde Vinculi tutor praeteriens alios Ioannis temporaneos incolatus refert, hunc duobus mensibus ante matrimonium « Somianka » discessisse, destinato animo transvehendi lares in Borussiae civitatem vulgo « Halle » et hac intentione perseverasse die 2 ianuarii 1875 dum Parisiis absolvit coniugale foedus.

Et revera, pergit Patronus, post diem 11 novemb. 1874 Ioannes regionem « Somianka » haud amplius salutavit; sed, expletis nuptiis, Borussiam, pede ad Poloniam minime admoto, civitatem « Halle » petiit, ibique una cum uxore commoratus est per annum cum dimidio, scilicet usque ad mensem augustum 1876 : quo quidem tempore Cracoviam coniuges Ioannes et Maria perrexerunt ibique vitam coniugalem egerunt usque ad annum 1879.

Igitur, arguit Orator, Ioannem eo temporis intervallo quo Lutetiae Parisiorum Mariam matrimonio sibi coniunxit, vagis accensenf nedum concilii tridentini Patres, utpote parocho proprio carentem, verum etiam apertissimum romani iuris praescriptum, *L. Eius,. § Celsus, ff. ad municipale iii.*

Neque negotium facessit iuxta Patronum quod varsaviensis ordinarius dum a duobus bannorum prociamationibus dispensat, varsaviensem parochum ecclesiae a Transfiguratione Domini Nostri nuncupata ita alloquitur : « Pour des raisons, qui nous ont été exposées et que nous avons approuvées, nous donnons et concédons à vous ou à tout autre prêtre quelconque faculté de pouvoir unir en mariage et bénir ou bien de fair unir en mariage et bénir Jean Antoine du P. . . . . . . célibataire, votre paroissien, et Sophie Félicie M. . , célibataire du Diocèse de Paris » nam ipsemet Varsaviae archipraesul auctor, verba : «votre paroissien » nullo in pretio habenda esse. Namque ait : « In Indulto hoc,

in quo essentialem vim habent dumtaxat verba : Dispensandus super duabus bannorum proclamationibus, cetera omnia constituunt evolutionem huius principalis actus Potestatis ordinariae atque propter styli plenitudinem exprimuntur ». Ceterum, notat Patronus, si suam exerunt vim verba « votre paroissien », non sensu vacua esse debeant verba : « Nous donnons et concédons à vous ou à toute autre Prêtre, quelconque faculté de pouvoir unir en mariage et bénir Jean et Sophie du Diocèse de Paris ».

Praeterea, si fìngatur etiam, Ioannem certum definitumque domicilium non habuisse, neque ullam intercessisse ordinarii delegationem, tamen, iuxta Oratorem, non statim consequitur, matrimonium valide contrahi non potuisse *iure vagorum ;* quia illi videtur etiam parochia propria caruisse Maria. Iam vero neque coniuges, neque inducti testes ostendunt qua in parochia Maria seu potius eius mater domicilium habitationis vel quasi-domicilium, si parochiam sancti Sulpicii excipias, habuerit quando factae sunt nuptiae. Non enim satis est quod testes et ipsa Maria obiiciant domicilium varsaviense : sed parochia designanda venit.

Si aliqua vero paroecia, urget matrimonialis foederis vindex, propria erat Mariae, quando initum est matrimonium, proprius erat sancti Sulpitii parochus. Nam constat matrem Mariae Parisios reversam, certe ante diem 25 Decembris, intra fines parochiae a sancto Sulpitio idest « rue de Tournon 33, à l'Hôtel de l'Empereur Joseph II » transtulisse lares.

Nec Defensori minus certum est Mariae matrem inibi permansisse sin minus ad sex menses, quia hoc a Ioanne firmatur iureiurando. Animadvertitur etiam, dici non posse matrem tandiu Parisiis constitisse ex mutato post initum matrimonium consilio. Animi enim mutatio non praesumitur, sed probanda est, nec novum illi erat, nec ingratum sibi futurum Parisiis tandiu versari, Mariae mater probe noscebat, quippe quae superiorem etiam annum Parisiis transegerit. Hac de causa non Dresdae, sed Parisiis matrimonium celebrare statutum est, statim ac nupturientibus quasi-

domicilii necessitas ingesta fuit. Itaque non dubitat Matrimonii Vindex, quin Mariae mater, quae christianis moribus praestabat cum ab ecclesiasticis viris audisset ad valorem matrimonii requiri incolatum complurium mensium, animo minime intenderit per totum illud tempus in parochia illa manere. Quare percontata a iudice : « Combien de temps comptiez vous demeurer à Paris ? » nitide Maria reponit : « Nous comptions demeurer à Paris le temps nécessaire pour obtenir droit de paroisse ». Huc accedit, pergit Orator, quod anxii religione animi aculeus pupugit sacerdotem Iosephum Panis, qui missam nuptialem celebrare debebat. Proinde ille conceptis verbis pridie celebrationis matrimonii quaestionem incolatus dirimendam proposuit. Quod dubium propositum Vicario Mr. de Montelar, sufficiens videtur Oratori ne cogitari quidem post, eum nec antea nec postea quam a sacerdote Panis in suspicionem adductus est de incolatu, an alteruter nupturientium conditionibus ad quasi-domicilium constituendum necessariis polieret vel propria careret parochia, quaesivisse. Ceterum eidem Defensori certum est matri Mariae insinuatam esse necessitatem quasi-domicilii in paroecia sancti Sulpitii, et eam esse consiliis obsecutam. Quocirca, urget Orator, Ordinarius varsaviensis in citata dispensatione a bannis affirmat, Mariam pertinere ad parisiensem dioecesim « du Diocèse de Paris ». Quod ille affirmare debuit quia nupturientes varsaviensi curiae id affirmarunt.

His in facto positis, prosequitur Patronus, impune dari posset nedum Ioannem, verum etiam Mariam alibi habuisse parochiam propriam. Etenim, si Mariae mater ante celebrationem matrimonii parochiam sancti Sulpitii ingressa est animo ibi manendi ad notabile tempus, parochia sancti Sulpitii, quando nuptiae factae sunt, erat propria matris et proin etiam filiae.

Quia Ioannis Advocatus advertit, domicilium a Mariae matre *in diversorio* commorante contrahi non potuisse, reponit matrimonialis foederis tutor, non unum matrimonium nostris praesertim diebus nullitatis vitio tabescere, si habi-

tatio iuncta cum animo per notabile tempus in publico diversorio habitandi inepta esset ad nuptias rite celebrandas ; •sed nihil magis praedicatum in iure est quam quod habitatio in privata aliqua domo prouti etiam transportatio supellectilium attenduntur solummodo in rebus dubiis ad eliciendas praesumptiones, at quando constat de habitatione et animo ad notabile tempus manendi, praesumptio veritati cedat oportet, etsi sit in diversorio, etsi supellectilia invecta minime sint. In duriori specie Rota coram Merlino *Toletana matrimonii diei 10 Decembris 1625* tradit : « Neque obstat quod ex dicta non transportatione mobilium, reditu et permanentia, iuncta praesertim reconciliatione cum Capitaneo Didaco (apud quem prius habitabat una cum sorore) deprehendi videatur vel D. Mariam nunquam habuisse animum deserendi antiquam habitationem, vel saltem illum postea •deposuisse, ac denuo in eadem Capitanei domo (ubi soror permanebat) permanendi voluntatem reassumpsisse. Quia quod ultra testes dicunt, mobilia ideo non fuisse transportata, quia domus Quintilii (in quam migraverat D. Maria) non erat capax, et ex eadem causa D. Maria in ea ancillas retinere non potuisse, ad constituendum alibi domicilium, sive habitationem non est necessarium, quod quis res suas cum familia detulerit ; haec enim et similia considerantur in dubio ad eliciendas praesumptiones, secus vero quando adest aperta animi declaratio, tum ex verbis saepius et palam reiteratis, tum ex facto per demigrationem personae, si non cum tota supellectili, saltem cum vestibus, linteaminibus et ornatu muliebri ».

Demum, advertit Orator, quod ex eo quod statim ac matrimonium initum est, Maria Ioannem extra sancti Sulpitii paroeciam sequuta est, aliquid detrimenti matrimonii valor non persentit. Si ita esset, puellae, quae cum parentibus habitant, puellae, quae inserviunt viris alia in parochia degentibus valide minime nuberent antequam parentes vel heri in parochia, ubi celebratur matrimonium per maiorem anni partem permanserint.

Hactenus quoad 1. dubium : *An constet de nullitate matrimonii in casu* sed per Patronum a muliere conventa constitutum altera quaestio proposita fuit : *An et quomodo providendum sit filiis eorumque Matri in casu.*

Innui iam in facti specie enucleanda, Mariam ex consortio maritali cum Ioanne, filios suscepisse. De primogeniti legitimitate non dubitatur, de altero genito suspicio insinuatur. At vero, narrat Sponsae Patronus, ab anno 1878 amor mutuus matrimonii turbatus est ; causa vero dissidii fuit quaedam Baronis consobrina, quae veteres ac suspectas suscitavit relationes. Ab hoc tempore, uti ferunt, Baro per quinque integros annos cum praefata muliere, a marito profuga, partim Vindobonae, partim Genevae contubernio illicito permanebat, ac rarissime suam legitimam uxorem, Cracoviae apud parentes commorantem, invisebat.

Ista vero, pergit Orator, non calumnióse aut temerarie divulgabantur, nam de hisce illegitimis cum concubina relationibus pater ipsemet Baronis notitiam profecto accepit, siquidem in postremo testamento anni 1882 mense Novembris quo discessit, haeredem maioris partis bonorum suorum nepotem Ludovicum, non vero huiusce patrem instituit, adiecitque clausulam legitimi Baronis filii ad secernendos adulterinos. Inde porro subortae irae, et pater frustra conatus est infirmare praedictum favore sui filii testamentum. Frustra et incassum a Tribunali Civili obnisus est avellere filium a tutela matris, cui filium Iudex concredidit ex decr. 2 Maii 1883.

Insinuationes mariti, quae afferuntur relate ad prolem quae nata fuit post quatuor menses a decreto separationis, a patrono, uxoris religione inspecta, excluduntur, et in *facto* prorsus eliminatur. Siquidem, ita enarrat Universitatis Iagellonicae Professor idemque Canonicus et olim Rector Magnificus : « Tota Civitas dici potest se levavit ad defensionem innocentis Baronissae, et ad condemnationem perversi eius mariti. Exmus D. Paulus Popiel, frater Archiepiscopi, caput nobilitatis polonicae, vir summa virtute conspicuus,

ipse quamvis nec propinquus, nec amicus Baronissae, ipse e fonte levavit hunc a marito impugnatum fetum, et Card. Dunajewski licentiam dedit ut domi solemniter baptizare tur ».

In hoc ancipiti iudicio, instat Advocatus, tantoque discrimine rerum dum religiose Baronissa in suo examine profitetur : « Je me remets absolument à la décision de la S. Église », iterum citata sub die 20 Martii 1895, hoc unum adprecatur, ut S. Congregatio si nullitas matrimonii declaretur, suo honori ac nomini nec non legitimis filiorum iuribus consulatur, « pourvu que le decret ne contient absolument rien qui puisse nuire à moi et à mes enfants, tant sous le rapport moral que sous le rapport matériel ».

Ac sane advertit patronus, infelicis mulieris petitioni, et innocuae prolis iuribus ante omnia suffragatur textualis Canonicae Iurisprudentiae dispositio. Siquidem aequitas Ecclesiae constanter, inspecta bona fide, consuluit parti innocenti et legitimis filiorum iuribus, quando solvitur matrimonium bona fide, licei cum ignorantia iuris vel facti contractum, ne filii parentum luant errores. Ita docet Alexander III, in cap. *Qui filii sint legitimi* - ibi : « Cur inter etc. divortii sententia canonice sit prolata, filii eorum non debent exinde sustinere iacturam, cum parentes eorum publice et sine contradictione Ecclesiae, inter se contraxisse noscantur. Ideoque sancimus ut filiorum, quos ante divortium habuerant, et qui concepti fuerant ante latam sententiam, non minus habeantur legitimi, et quod in bona paterna haereditario iure succedant, et de parentum facultatibus nutriantur ».

Bona fides dumtaxat requiritur alterutrius coniugis, notat Advocatus, quamquam alter fuerit in mala fide versatus. Ita Schmalzgrueber, part. 4, tit. 17 - ibi : « Dubium esse potest an utriusque coniugis bona fides requiratur, an vero sufficiat bona fides unius. Respondeo sufficere bonam fidem unius, ut clare statutum est in cap. etc., esset enim instar monstri si qui partim legitimus, partim illegitimus esset ; cum ergo alterutrum esse debeat, merito iura ut proli innocenti fa-

veant, rationem maiorum habuerunt bonae fidei coniugis impedimentum ignorantis, quam male illud scientis ». Quamquam ultro concedat Orator virum in iuris factique ignorantia bona fide fuisse versatum. Receptum denique est, urget patronus, legitimitatis gratia, cui nunquam iura non favere solent, primo, bonam fidem praesumi, donec contrarium probetur, ut ait Schmalzgrueber, loc. cit. - ibi : « Ob eumdem favorem in dubio potius praesumitur ignorantia, quam scientia impedimenti » ; secundo, vel ipsam iuris ignorantiam bonae fidei loco haberi, ac proinde ad prolis legitimitatem sufficere, teste ReifFenstuel, loc. cit. - ibi : « Porro legitimae sunt proles ex invalido matrimonio, in facie tamen Ecclesiae, et bona fide, ex parte saltem unius contracto, non tantum si ex ignorantia facti, sed etiam ex ignorantia iuris dari id fiat ».

Hisce positis, quaerit Orator quid Ecclesia censeat, sed etiam quid vigeat iure civili, sive apud Gallos, sive apud Polonos. Itaque si leges loci, ubi celebratum est matrimonium inspiciantur, lex Gallica ita praescribit: « Le mariage, qui à été déclaré nul, produit néammoins les effets civils, tant à l'égard des époux, qu'à l'égard des enfants, lorsqu'il a été contracté de bonne foi. Si la bonne foi n'existe que de la part de l'un des deux époux, le mariage ne produit les effets civils qu'en faveur de cet époux, et des enfants issus de mariage » *[Cod. Civ. français,* art. 201, 202). Quam legem (caeteroquin satis per se perspicuam) illustravit locupletissimus Toullier, in opere : Il diritto civile francese *lib. 1, tit. 5, n. 666j* ibi : « In quanto ai figli, nati da tali matrimonii putativi, essi sono legittimi sotto tutti i riguardi : godono i diritti medesimi che godrebbero se fossero nati da un matrimonio, alla cui legittimità nessun ostacolo avesse esistito. Quindi eglino raccolgono non solo le successioni dei loro genitori, non esclusa quella del genitore di mala fede, ma ben anche le successioni collaterali pervenute per parte di costui ; eglino portano il medesimo cognome e le armi del loro padre e succedono ai maggiorati stabiliti in favore

del primogenito tra i maschi ». Codex porro apud Polonos, ubi coniuges commorantur, idipsum confirmat, praesertim articulus 263 : « Si les deux époux ont été de bonne foi, la déclaration de nullité du mariage ne porte pas préjudice aux droits et faveurs issus pour chacun des époux ».

Ex adverso viri Procurator timet, alterum dubium, eo potissimum consilio propositum fuisse ut praeiudicetur quaestioni circa paternitatem filii cuiusdam, a praefata muliere, suspecto tempore concepti. De hoc quidem iuxta Oratorem etiam in actis processus iudicia non desunt. Scilicet orator iureiurando asseruit vitam coniugalem in casu cessasse inde *ab anno 1879 ;* idque mulier diifideri non est ausa. Filius vero, de cuius legitimitate agitur, natus est *die 29 Septem, ann. 1883,* uti constat ex documento rite acti inserto. — Porro separatio tori iuridice decreta fuit mense Maio eiusdem anni 1883 ad instantiam mulieris, quae tamen, ipsamet fatente, - *comme motifs* - minime allegavit ea, de quibus nunc virum incusat, sed - *le vois de fait,* - quibus nempe usus est ira conci tus vir quando novit miram illius praegnationem.

Verum, iuxta Procuratorem, quum nulla formaliter ad rem praecesserit inquisitio circa istiusmodi quaestionem, quae ceteroquin laicorum etiam tribunalium competentiam non excedit, sententia in praesens nullatenus ferri posse videtur.

Quibus ex parte in utramque quaestionem delibatis, supposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An constet de nullitate Matrimonii in casu ;*

Et quatenus *Affirmative :*

II. *An et quomodo providendum sit filiis, eorumque matri in casu.*

Quibus dubiis S. C. C. sub die 25 Ianuarii 1896 respondit. *Dilata.*

Hinc Defensor matrimonii alias declarationes quaesivit ab Ordinario varsaviensi quoad concessionem iurisdictionis factam Parocho Ecclesiae a Transfigurations Domini, uniendi in matrimonio, et benedicendi coniuges, de quibus agitur. Hisce habitis, iterum quaestio sub die 22 Augusti 1896 dilata fuit. Et iterum reproposita est sub die 12 Decembris 1896, cum dubiis supra relatis, post alias declarationes ab Ordinario parisiensi quaesitas, S. C. C. responsum dedit : Ad I. *Affirmative.* Ad II. *Non esse interloquendum.*

Ex QUIBUS COLLIGES: Matrimonium in themate nullum esse ex defectu clandestinitatis, seu absentia proprii parochi.

LEOPOLDEN, SEU PREMISLIEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die i S Iulii 1896.

Sess. 24 cap. 5 De Ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Causa haec, in qua quaeritur an consummatum fuerit matrimonium, initum inter comitem Michaelem et Comitissam Henricam, quarta vice proposita fuit S. C. Congregationi: nam quaesitum fuit die 21 Maii 1892 « *An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu* » dimissa fuit responsio ; « *Ex deductis non constare de inconsummatione* ». Iterum proposita *die 29 Aprilis 1993* cum dubio « *An sit recedendum a decisis, ita ut consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu* » et EE. PP. placuit respondere « *In decisis* ». Rediit sub eadem dubitandi formula *die 12 Maii 1894* ac noviter responsum prodiit « *In decisis* ».

Hac etiam vice, comitis Michaelis patroni recursum habuere ad beneficium novae audientiae, quo obtento, enixe postularunt, ut S. Congregatio iuberet novas expeti dilucidationes a Curiis Viennae et Premisliae. Et petitio haec transmissa fuit Defensori vinculi ex officio, qui rem probavit.

Tunc S. C. sub die 22 Septembris 1894 rescripsit: *Examinentur testes iuxta petita tam a Defensore ex officio, quam ab actore Comitis Plater.*

Disceptatio Synoptica

Oratores qui contra consummationem totis viribus dimicant, praeprimis notant iuxta S. O. praescriptionem Curias Premislien., Viennen, et Leopolien. omne adhibuisse diligentiae studium in novo testium examine, ac tandem declarasse contumaciam Veronicae matris et Stephaniae, sororis comitissae Henricae Plater.

Postea, fuso calamo tota reassumpta infelicis matrimonii historia, ad coniugii non consummationem adstruendam descendunt, asserentes, ex lege *Decretalium* duo sufficere ad inconsummationem evincendam, nempe iuramentum coniugum et testes, qui de religione iurantium deponant. Quae autem duo apprime iuxta patronos verificantur in casu.

Revera Comes interrogatus, abscisse firmavit, numquam matrimonium consummatum fuisse.

Nec diversimode loquitur Comitissa, quae, dum ceteras circumstantias, etiam in sui damnum ingenue narravit, interrogata, confirmavit, numquam consummavisse matrimonium cum viro suo; idque esse iuxta conscientiam. Quae omnia firmiter confirmavit Henrica in formula iuramenti.

Quod autem iuxta oratores indubiam fidem promereatur spectabilium coniugum iuramentum, habetur etiam ex eo quod quatuor Curiae Episcopales Comitis religionem commendent.

Enimvero Episcopus Premislien. in sua relatione animadvertit : « Comes Plater solutionem sui matrimonii, vi § 38 Cod. Civ., obtinuisset, quia matrimonium cum muliere ab alio gravidata contraxit ; verum ille persuasus, matrimonium esse sacramentum, et qua tale unice clavibus Ecclesiae subiicere, negotium suum nonnisi sententiae ac benevolentiae S. Sedis Apostolicae submisit. Quam Michaelis Comitis

Plater pietatem commendare audeo ». Similiter Archiep. Selimb., Vic. Gen. Emi Card. Archiepisc. Vindobon.: «Tuta conscientia affirmare possum quod Dominus Michael Comes Plater-Syberg sit vir conscientiosus ita, ut ab eodem exhibitis plena fides .haberi possit ». Atque Emus Cardinalis Laurentius Schlauch ita Com. Plater commendat « sub eius iurisdictione commorantem, utpote fide dignum et veridicum in suo iuramento super inconsummatione, tum asseverante Parocho illius proprio, tum vero ex personali nostra notitia esse virum in omnibus irreprehensibilem, honestum atque fide omnino dignum, certumque porro credimus, laudatum D. Comitem in processu matrimoniali vinculari contra uxorem suam Comitissam Laczynska iudicialiter de non consummatione matrimonii sui examinatum, veritatem solummodo dixisse ».

Coniugum iuratis depositionibus plenissime suffragari volunt advocati septimae manus testimonium, sicuti ex aliis causae propositionibus indubie constat, et usque ad e videndae fastigium ex nuperrima suppletoria inquisitione confirmatur. In hac enim, inquiunt, Henricae pater sub iuramento, iam emissam declarationem confirmat, videlicet copulam carnalem numquam adfuisse. Et testes Ioannes Machiewicz, uxor domestici Ciszynski, Ioannes Ciszynski, alter domesticum, et Veronica Damzynska absque ambagibus asserunt, Comitissam Henricam fovisse relationes inhonestas cum Comite Potocki ab eoque prolem suscepisse.

Quod vero spectat non consummationem et coniugum veracitatem, haec habent, prosequuntur patroni, nuperrimi excussi testes. Veronica ait: « Habitabant in una domo, sed in separatis cubiculis, an simul dormirent nescio. Scio in itinere et in Vindobona, eos non dormisse simul »; ac quaesita ex officio: « Quid cogitet testis de veracitate Comitis et Comitissae Plater », respondit: « Puto eos in re gravi, praesertim quum debent iurare, veritatem dicere ». Comes Komorowski interrogatus : « An putet esse in testificatione sua dignos » reponit : « Puto eo vel magis si iustificaverint sub iuramento ». Pater Henricae vero confirmat quae alias

deposuit, et fatetur: « Persuasum mihi est, matrimonium numquam consummatum fuisse ». Atque Anna Kutschera familiae Laczynskae famula: « Numquam vidi coniuges in uno lecto. Persuasum mihi est toto tempore, quo eram cum illis, matrimonium non fuisse consummatum. Comes est omnino fide dignus ».

Postea oratores ad circumstantias speciales seu adminicula confugiunt, quae iisdem videntur veritatem praestiti iuramenti apprime revincere. Ac primo sedulo attendenda est mulieris praegnantia et sollicitatio matris, ut Henrica nocturno tempore inebriata iniret copulam cum comite Plater ad cooperiendum peccatum. Ad hoc inutile subterfugium haud recurrerit si Henrica vitam coniugalem ducere non detrectasset. Consideranda insuper est partus occultatio « per dare la vera ragione dell'intendimento la puerpera pretendeva una slocatura di gamba »; ita obstetrici doctores. Iamvero si vel unicus contactus intercessisset cum marito, profecto laetabunda Henrica proximum partum revelasset, ut suo honori ac prolis legitimitati consuleret. Atque perpendenda postremo est ingenua confessio de commissa culpa ab Henrica, in sui praeiudicium facta, et immensus eius amor erga iuvenem Potoeki, ex quo naturalis erga maritum oriebatur aversio. Concludunt patroni referendo plura S. C. C. exempla, quibus constat in longe gravioribus casibus sola certitudine morali dispensationem indultam fuisse; ac denique ad eorum plurimas rationes magis magisque comprobandas EE. Patribus praesentant consultationem canonico-theologicam faventem omnino assertae non consummationi.

ANIMADVERSIONES VINDICIS S. VINCULI. Vinculi tutor recolit in primis quomodo maxime opportunam duxerit suppletoriam inquisitionem ab adversariis petitam; agitur enim de coniugibus, qui per duos menses et amplius una simul conversati sunt, ut plurimum solus cum sola, quos ambos coniugali genio aptos esse in confessis est. Constat pariter testes omnes, quibus actio adversa innuebatur, per totum illud non suspectum tempus fuisse a coniugum conversione

prorsus absentes; sed coniugali vita durante, familiares fuisse coniugibus Veronicam matrem atque Stephaniam Henricae Laczynska sororem, prout etiam passim occurrit in inquisitione mentio famularum Annae, Mariae atque Victoriae.

At iuxta oratorem desiderata lux haud effulsit, siquidem comitissae Veronica et Stephania ad iudiciale examen accedere mordicus recusarunt. Mentiri vero contendit vinculi defensor comitem Michaelem dum affirmat Veronicam et Stephaniam ideo recusavisse examen subire, quia eosdem nimis piget contra matrimonium testari, quum ipsis maxime expediat matrimonium consistere et ad talem consequendum effectum Romam venerint. Etenim comes Michael die 6 octobris 1888 coram publico tabellione se obstrinxit ad persolvendam comitissae Henricae « la somma di centoventicinque mila fiorini in valuta austriaca dopoché avrà avuto luogo lo scioglimento del matrimonio ». Quam summam a dimidio bonorum omnium comitis non valde distare constat. Igitur si mater Henricae et soror temporalia bona sectentur, nihil amplius sperare possunt, praesertim cum sacerdos Paulus Szyryn testetur: « Secondo la legge russa in caso di vedovanza alla contessa spetta la settima parte ».

Verum quidem est, inquit, Veronicam et Stephaniam profecías esse Romam, sed nullo modo probatur eas Romae validitatem coniugii propugnasse, sed potius contrarium suspicandum videtur, cum notum omnibus sit domum Comitissae divitiis minime affluere. Sumptibus ideoque propriis nec Romam Veronica et Stephania petiissent, nec in Urbe per plures commoratae forent menses, neque cursitassent Neapolim ceu putat Sacerdos Paulus Szyryn.

Comes influxum Veronicae in Henricam reformidat, ait orator, quia ipse contentus minime est, ut Henrica actioni adversus matrimonium intentatae acquiescat, sed conspirationem perfectam exigit. Etenim comes iudiciale examen subiit die 4 februarii 1889 et eadem die comitissam convenit eique, quid suo in examine respondere deberet, iniunxit.

His omnibus cognitis, miratur defensor quomodo Pre-

misliae Episcopus in sua ultima ad S. C. C. informatione amplis verbis audeat comitis Plater religionem et pietatem commendare. Insuper idem Episcopus antea de eodem scripserat S. C. « Processum propterea actor Plater movit ut honorem suum ac familiae coram publico salvaret, ad id instigatus ab aliis, putans hanc causam, nimirum lapsum uxoris, sufficientem esse ad solvendum matrimonium ». Et in uteris diei 12 septembris 1889 monuit: « Observo actorem huiusmodi causae falsae esse persuasionis, se dissolutionem matrimonii facile impetraturum, dummodo conventa (Henrica) in id consentiat ».

Quoad novorum testium examen orator observat, quomodo inter coniugum cubicularios recensebatur quaedam Manetta, at nunc constat hanc minime coniugum famulam fuisse. Ideoque remanent famulae Victoria Dauxynscha et Anna Kutschera. Victoria ad quaestionem « Persuasumne sit testi coniuges secum habuisse carnale commercium vel non et qua ratione ita sentiat? » iurata reponit: « Non possum nec affirmare nec negare ». Anna autem vix dimidium mensis apud coniuges se permansisse testatur. Ceteri novi testes, nempe Iosepha Cisxyncho, Ioannes Cisxynhi, comes Carolus Komorowski et comes Henricus Laczynski Henricae pater, coniuges tempore non suspecto neque audierunt neque viderunt, si Henricae pater excipiatur, qui refert : « Prima vice eos (coniuges) vidi Vindobonae ex itinere redientes. Extraordinaria signa non vidi, quamvis amice secum loquebantur. De consummatione nihil mihi dicebant ». Hoc unum ex nova suppletoria inquisitione, ait lucem aliquam nanciscitur, videlicet amor Henricam inter et comitem Potoeki, quod parum refert praesenti controversiae; dum e contra plurima scatuerunt facta quae consummatum arguunt matrimonium. Famula etenim Victoria Dauxynscha refert comitem Michaelem Henricae specialia benevolentiae argumenta exhibuisse durante nuptiali itinere, idest Vindobonae dedisse uxori quosdam odores et fasciculum florum atque expleto itinere dono dedisse comitissae et eius sorori

quosdam libros. Huc accedit quod, exactis ab hymenaeo tribus iam mensibus, coniuges parocho Szarlinshi, qui connubii magna pars fuit, munera grati animi ergo dederunt.

Neque meliori omine iuxta ligaminis adsertorem contradictores ad probationis deficientiam supplendam producunt aliquam consultationem canonico-theologicam, quae praeterquam quod nulla fulcitur auctoritate, haec duo inter alia multa contra evidentem veritatem affirmare audet, nempe « I°. Nescio, Emi Patres, an aliquando tam plenum habitum fuerit septimae manus testimonium, prout in praesenti causa haberi conspicimus : 2°. Siquidem testes omnes et matrimonium inconsummatum et partes plenam mereri fidem uno ore conclamant ». Vindex tamen hoc denegat vocando ad trutinam testis cuiuslibet depositiones.

Falsum pariter est omnes testes uno ore affirmare coniugii inconsummationem et partes plenam mereri fidem, incl amat orator.

Quaenam autem fides coniugum depositionibus praestanda sit dignoscitur, iuxta ligaminis adsertorem ex earum examine. Etenim in iudiciali interrogatorio quod coniuges subierunt a. 1889 deposuerunt, utrumque desiderasse consummationem matrimonii.

His autem non obstantibus, exclamat defensor, comes in perlonga epistola diei 18 Septembris 1890 abscisse negat se matrimonium consummare ter pertentasse, et multo minus consummationem adeo appetivisse, ut prae dolore aegrotaret, sed e contra totus in eo est, ut suadeat consummationi se mordicus obstitisse.

Hisce praehabitis propositum fuit diluendum

Dubium

An recedendum sit a decisis, ita ut consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato, in casu.

RESOLUTIO. Sacra G. C. re iterum discussa sub die 13 Iunii 1896 censuit respondere : « *Attentis noviter deductis, sa-*

lis constare ele non consummatione matrimonii, et consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato ».

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Ad adstruendam non consummationem matrimonii sufficere iuramentum coniugum, et testium depositiones qui de religione iurantium deponant.

II. In themate, eo quod integritas mulieris deerat, evictam fuisse non consummationem per coniugum iuratam depositionem, et per testes qui fidem fecerunt de religione coniugum.

CASTRIMARIS

EXECUTIONE SENTENTIAE

Die 12 Decembris 1896 et 23 Ianuarii 1897.

Per Summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Haec S. Congr. *die 29 Feb. 1896* iterum censuit suam confirmare sententiam qua *die 25 Maii 1895* sententiam infirmaverat Curiae Metropolitanae Sorrentinae, editam *die 20 Nov. 1893* (1). Consequentia decreti S. C. C. fuit, ut Sacerdos Di Napoli quem coetus Sacerdotum simplicium in suum collegium cooptare renuerat, ius adscriptionis nactus sit. — Huiusmodi adscriptionis ius dictus clerus novensili sacerdoti detrectaverat asserens, hunc non gaudere Castrimaris civitate, prouti a tabulis exquirebatur. — Curia Dioecesana, re iudicialiter cognita, huiusmodi ius in Sacerdote Di Napoli recognovit ; at tribunal Metropolitanum in contrariam abiit sententiam. — Sacra C.C. gemino decreto, censuit a iudicio Curiae Metropolitanae recedendum esse.

Proinde negotium agebatur de exequenda *re iudicata.* - At executio, hactenus, a suo exitu, non una quaestione, impedita fuit.

(1) Recole XXVIII, 224, quo relata fuit quaestio, a qua gignitur quaestio praesens.

Re quidem vera sub *die 28 Martii* procurator Sacerdotis Di Napoli apud Curiam Dioecesanam petebat sententiae executionem, vi cuius quatuor petitionis capita redigebantur : I° Ut Sacerdos inscriberetur in Albo coetus Sacerdotum simplicium a die factae instantiae usque ad susceptum incompatibile officium Hebdomadariatus, nimirum a die 13 Iun. 1892 ad diem 17 Martii 1894. — 2° Ut cooptaretur in Sodalitium dictum *Albarano*, cui adscriptus fuisset, nisi Sacerdotes Oratorem respuissent e suo gremio. — 3° Ut redderetur indemnis de emolumentis, quae non percepit quaeque percepisset pro eo tempore, quo iure po tiebat ur habendi partem in coetu Sacerdotum simplicium. —4° Demum ut expensae litis in quas prima sententia Curiae dioecesanae clerum condemnabat, ab eodem reficerentur.

Clerus, hisce petitionibus, *sub die 29 Maii 1896* negative respondebat ad *priora tria capita;* ad quartum postulabat ut expensarum notula ei panderetur.

Ex notula, summa expensarum pertingebat ad libellas 2575, quas tamen Curia, ex accepto munere a S. C. C. tentandi concordiam inter partes, ad L. 1180 perstrinxit, assentiente Sacerdote di Napoli. Siquidem quum Clerus, Oratoris petitiones admittere nollet et aliunde Curia has ratas habuerit et suo decreto confirmaverit; eadem vero Curia, ad evitanda scandala, a proposito abhorreret urgendi *coactan i* executionem; ad S. C. C. res delata fuit, proindeque *die 8 Augusti 1896* rescriptum fuit Episcopo ut — *caret rem componere et quatenus id consequi nequeat, moneat partes rem disceptandum esse in comitiis generalibus S. C. C.* — Reapse, quum *concordia conciliari* non potuerit, *die 18 Septembris 1896', « Per s um maria precum* » res acta fuit.

Disceptatio Synoptica

Curiae Episcopalis decretum emissum in executionem sententiae S. C. C et iuxta petitionem partis victricis, est sequentis tenoris :

« Nos Alphonsus Maria Ruggiero huius Cathedralis Ecclesiae Castrimaris Stabiarum Archidiaconus et eiusdem Dioecesis Castrimaris Stabiarum Vicarius generalis. - Visis instantia Procuratoris rev. domini Antonini Di Napoli, qua petit ad executionem demandari Sententiam Sacrae Congregationis Concilii in causa, quam dictus Di Napoli habuit cum Communitate Cleri ecclesiae Iesu et Mariae huiusce Civitatis pro tuendo iure adscriptionis in Albo eiusdem Cleri uti ex actis in Curia existentibus ; nec non pro repetitione expensarum ad honorifìcae mercedis advocato in causa, et pro compensatione damnificationis illatae praefato rev. Di Napoli, Clero praedicto legitime intimata. - Responsione facta a praelaudati Cleri Praeposito die 27 Maii currentis anni 1896 - replicatione Procuratoris rev. domini Di Napoli cum notula expensarum omnium etc. et damnificationis illatae. - Altera responsione praefati Praepositi Cleri die 5 Iunii currentis mensis data. - Perpenso quod licet in Sententia Sacrae Congregationis Concilii de die 25 Maii 1895 conformi cum alia *in decisis et amplius* de die 29 Februarii 1896, nulla fit mentio solutionis faciendae a Clero pro expensis etc. : tamen reiiciendo sententiam in gradu Appellationis Curiae Metropolitanae Surrentinae, Sacra Congregatio confirmat sententiam Curiae Castrimaris Stabiarum in primo gradu definientis ius Presbyteri Di Napoli contra iniustam repulsionem petitionis ab eodem factae pro inscriptione iuxta Statuta Cleri in Albo eiusdem, ac proinde onus Cleri reficiendi expensas omnes, et reparandi damno illato : - Non debet aliquis alterius odio praegravari, Reg. XXII in VI, et - Clerus imputât sibi damnum, quod sua culpa sentit - Reg. XXXVI in VI. - Perpenso quod licet Sacerdos Di Napoli *subtrahendus sit,* uti idem Clerus asserit, a dicto Albo, si fuisset inscriptus, ob promotionem ad Hebdomadariatum ; tamen retineri debet quod fuisset adscriptus. Sententia enim tuetur ius ipsius Di Napoli a die promotionis eiusdem ad Presbyteratum, secus enim frustra vindicatum fuisset ius et lata sententia. Nec officit quominus non fuerit numquam inscri-

pius, et nunc temporis inscribi nequeat: - Etenim inlputari non debet ei per quem non stat, si non faciat quod per eum fuerat faciendum - Reg. XLI in VI. - Perpenso quod rev. Di Napoli die decimatertia Iunii 1892, tertia nempe die a promotione ad Sacerdotium petierit iuxta Statuta Cleri inscriptionem in Albo, uti ex Uteris secretarii rev. Vincentii Criscuoli die 17 eiusdem mensis datis, repellentibus Oratorem ob defectum iuris propter insufficientiam documentorum, et praesertim ob defectum actus nativitatis. Cum vero sententia Sacrae Congregationis, sicut et sententiae Curiae Vestrae hoc ius recognoverit, inscriptio retinenda est, tamquam facta. - Cum non stat per eum ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset. - Reg. LXVI in VI. Sententiae igitur reparaverunt acceptationem faciendam petitioni sacerdotis^ simplicis Antonini Di Napoli ; ac proinde tabella cum nomine eiusdem Di Napoli retineri debet apposita in Albo, et postea *subtracta* ob promotionem ad Hebdomadariatum habitam, a Clero servandam cum ceteris tabellis, quae servantur. - Perpenso quod Statuta Albarani sint distincta a Statutis Cleri, tamen a Clero fuerunt eodem anno 1801 promota, et dictum Clerum respiciunt ; ita tamen, ut data inscriptione in Albo, immediate et iuridice deveniatur ad inscriptionem in Albarano, non ultra octo dies a Sacerdotio, iuxta dicti Albarani Statuta, quod a Di Napoli factum sit, superius dictum est. Quod si admittantur in Albarano etiam ceteri Sacerdotes extra Clerum, eo magis confirmatur ius eorum, qui sunt e gremio Cleri, uti retinendus est Sacerdos Di Napoli. Heic accedit consuetudo, quae semper habita est, adscribendi in Albarano Sacerdotes, postquam eos inscripserunt in Albo Cleri.

« Iam vero Sacerdos Di Napoli non defuit, postquam de Hebdomadariatu fuerit provisus praesentare hodierno Praeposito petitionem, qua efflagitabat inscriptionem in Albarano, at illam Praepositus respuit ac in posterum remisit. Quae petitio cum documentis careat ; tamen a praefato Praeposito

non potest negari, proindeque (ex supra citatis Regulis) Di Napoli fecit quantum potuit pro inscriptione in Albarano et iuridice tanquam si fuisset adscriptus haberi debet. - Perpenso quod Pius V Cap. - Cordi nobis - in Sep. Decr. statuit quod, lite pendente, fructus, reditus, proventus in distributiones, ceteraquae emolumenta, quae vigore constitutionum, consuetudinum, et Statutorum etc., deponantur, restituenda ei, cui de iure restituenda fuerint. - Ita ut Sacerdos Di Napoli habet ius repetendi restitutionem dictorum fructuum etc., saltem pro tempore litis pendentis. Nec obstat quominus aliqua onera requisierint personalem praesentiam, quia ex Regulis Iuris supra citatis non stetit per se fuisse absentem, ac proinde reputari debet uti praesentem, saltem usque ad tempus promotionis eiusdem ad Hebdomadariatum. - Perpenso insuper quod Clerus ipse in responsione data sub die 27 elapsi mensis Maii petiit notulam expensarum, cum clausula *si et in quantum,* ac proinde non potest sibi contradicere, negando qualemcumque solutionem. - Quod semel placuit, amplius displicere non potest. - Reg. XXI in VI. - Cum vero notula ipsa resultat ex actis processus, et retributio petita est minima inter compensationes huius generis, iuridice retinenda est. - Perpensis demum de iure perpendendis, et consideratis de iure et facto considerandis, hac Nostra definitiva sententia, solum Deum et iustitiam eius prae oculis habentes et pro Tribunali sedentes, Christi nomine humillime invocato, decernimus, statuimus, et definitive sententiamus, quod Communitas Sacerdotum simplicium ecclesiae Iesu et Mariae huius Civitatis, praevia canonica convocatione Sacerdotum eiusdem pro recognitione iuris vindicati a rev. Antonino Di Napoli 1. inscribat in Tabellam nomen praedicti Sacerdotis simplicis, signata die 13 Iunii 1892, quae tabella subtrahenda est ob promotionem ad Hebdomadariatum, servanda cum ceteris tabellis ob eamdem rationem subtractis ; 2. inscribat, sive inscribere faciat per seipsum praedictum Sacerdotem Di Napoli in Albarano, ei patefaciendo omnia iura

et onera a tempore suae ordinationis ad Sacerdotium. 3. Solvat eidem distributiones, emolumenta etc., quae ipsi soluta fuissent, si in Albo esset adscriptus usque ad promotionem ad Hebdomadariatum. 4. Solvet insuper eidem Sacerdoti Di Napoli expensas omnes et retributionem Advocato iuxta notulam exhibitam. - Praecipimus insuper et statuimus terminum dierum decem a die sequenti notificationis huius sententiae definitivae pro adimplemento omnium, quae fuerunt statuta et definita, non obstante quacumque appellatione, et cum expressa obligatione docendi hanc Curiam de dicto fideli adimplemento. Quibus diebus decem inutiliter elapsis, Acta omnia ad Sacram Congregationem Concilii transmittemus; ut benigne disponere dignetur, quae ad finem. Et ita dicimus, statuimus, et definitive sententiamus. - Datum ex Episcopali Curia Castrimaris Stabiarum die decimaquinta Iunii 1896.

DEFENSIO CLERI RECEPTITII. Ex adverso clerus Sacerdotum simplicium, *per capita*, reponens intentioni Oratoris, in primis advertit, inscriptionem in Album quod spectat, rem modo versari in conditione non possibilis executionis, cum clerus constet *Sacerdotibus simplicibus;* at Sacerdos Di Napoli iam Hebdomadariae officio honestatus sit. Statutum enim respondet denominationi huius cleri; quum expresse decernat « *Sono ammessi a far parte dell'Albo i preti semplici di Castellamare* ».

Unde nulla irrogatur iniuria sententiae S. C. C. quae statim suum operatur effectum, si Orator, dimisso Hebdomadoriatus officio, in conditionem *simplicis sacerdotis* deveniat et inde in *clerum* adscribi postulet.

Inscriptioni vero in sodalitium nuncupatum « *Albarano* » coetus Sacerdotum se opponit, aiens, praeterlapsum fuisse tempus utile, nempe octo dies ab inito Sacerdotio, quin Sacerdos Di Napoli neque petierit neque obtinuerit huiusmodi cooptationem, ceu iubent statuta Sodalitii *art. 3.* Quare concludit clerus, Sacerdotem Di Napoli aliam debere instantiam Praeposito Sodalitatis offerre, de qua sodales, prouti in more est, deliberabunt.

Sed gravior quaestio est quoad emolumenta quae sibi vindicat Orator pro eo tempore, quo ius habuisset ad inscriptionem in Album. - At contra reponunt *Sacerdotes simplices,* hoc ius hodie vindicari non posse, quia haec *emolumenta* sunt relativa, suapte natura, ad certa *onera,* quibus non satisfactis, redditus non percipiuntur.

Ecclesia enim, cui adscripti sunt Sacerdotes simplices, est Ecclesia receptitia, cuius redditus distribuuntur *inter praesentes,* nempe iis qui sacras peragunt functiones. - Adeo ut si modo Sacerdos Di Napoli indemnis reddi debeat de emolumentis non perceptis, non solum singula sacra functio in certa nummorum summa aestimari et taxari deberet, sed haec emolumentorum summa a singulis participantibus, pro rata, restituenda esset. - Quod sane gravius accideret, quia *bona fide* fruebantur Sacerdotes in his redditibus percipiendis. *Bona fides vero tantundem possidenti praestat quantum veritas; quatenus lex impedimento non est; ex R. I. ff. I. 136;* seu efficit ut fructus bona fide percepti et consumpti in restitutione non veniant ; ita D'Annibale *II, 239. sq.* cum communi.

At Sacerdos Di Napoli, sibi repetens emolumenta, praecipue advertit, sibi nec damno, nec culpae imputandum esse quod in Albo adscriptus non fuerit, neque functionibus interfuerit ; quum sane invitus vehementer, ne hoc praestaret impeditus fuit ob impetitionem sacerdotum simplicium -. Verum huic instantiae opponi potest decisio S. G. C. in una *Imolen. 3 Martii 1736,* in qua Cathedralis canonicus repetebat distributiones, quas lucratus fuisset toto eo tempore quo, ob quaestiones a Capitularibus promotas, impeditus fuit a capessenda sui beneficii possessione, prouti instantissime effiagitabat, - S. C. C. respondit - « *Distributiones quotidianas deberi pro tempore tantum quo intervenerit et amplius* ».

Demum sententia Curiae dioecesanae condemnat clerum ad solvendas expensas litis prioris instantiae, huic simplici argumentationi innixa; nimirum, S. C. C. infirmasse sententiam Curiae metropolitanae et hinc dioecesani Tribunalis

sententiam ratam et firmam habuisse quoad omnem suam partem ; proindeque etiam quoad condemnationem partis victae in litis expensas. Nihil enim excepit S. C. C. - Ex adverso clerus reponit, morem esse S. C. C. in expensas litis victum non condemnare. - Reapse in Regulis praestitutis pro causis iudicialiter expediendis apud S. C. C. in *art. 25,* cavetur, *expensas inter partes semper haberi compensatas,* exceptis quibusdam casibus taxative expressis, nempe causis *matrimoniorum, alimentorum, spolii, attentatorum et contumaciae,* et causis *novae audientiae* concessae, non obstante clausula *et amplius,* quando non receditur *a decisis.* - Hanc praxim S. C. C. adamussim confirmavit in *Terracinen. « per summaria precum » die 27 Iulii 1830.*

Praeterea invocanda sunt principia iuris can. fundamentalia in hoc propositum. - Iamvero in expensas condemnandus est temerarius litigans, ille nempe qui potius dolo et fraude quam bono iure, etsi dubio, fretus in iudicii arenam descendit. Nam in textu *legis* - *Eum quem temere ff. De lud.* - decernitur « *Eum (quem temere adversarium suum in iudicium vocasse constiterit, viatica, litisque sumptus adversario* suo reddere oportet ». Et in Inst. Iustiniani, tit. *De poenis temere litigant.* — edicitur « *Improbus litigator et damnum et impensas litis inferre adversario suo cogatur* ». Haec principia in suam disciplinam invexit Ius Can., *arg. cap. Cum dilecti, De dolo et contumacia,* prouti interpretatur Glossa in *h. cap.* et Abbas *ibidem num. 17.* — Reiffenstuel *(Ius can.* tit. *De sent. et re iud. n. 178)* advertit locum non esse condemnationi in expensas, quando victus iustam causam litigandi habuit ; et dat rationem « quia... refectio expensarum est debita tamquam species poenae, temere litigantibus a iure impositae: atqui probabilis litigandi causa excusat litigantem a temeritate ; ergo etiam excusare debet a poena reficiendarum expensarum », Caetus vero Sacerdotum simplicium instat, sane temerariam hanc litem amplius dicendam non esse, postquam Curia Surrentina rationibus sane non spernendis prioris instantiae

sententiam correxit; eamdemque quaestionem S. C. C. dignam aestimavit quae iterum iterumque ad examen revocantur. — Eo magis dictus clerus se a temeritatis nota purgare arbitratili*, quia notat hic agi de sodalitii lege fundamentali, quam si abusus pervertant aut prave detorqueant iam actum est de eius morali existentia. Et ad omnem abusus labem propulsandam, pro testatur clerus, se egisse.

Quocirca EE. PP. quaestio huc spectat ut deliberandum sit an Curiae *sententia esecutoria* confirmanda vel infirmanda sit. — Ast demum pro meo munere advertam, in dicta sententia citari ex *Libro Septimo Decretalium* Constitutionem Div. Pii V. « *Cordi nobis* » : et haec Const. reperitur in *cap. 2 Hb. II. De sequestris.* — Sane Liber Septimus Decretalium auctoritatem non habet *extrinsecam* uti vocant canonistae, quippe a Summis Pontificibus haec Decretalium collectio nunquam probata fuit ; sed tamen citatae constitutioni, ceteris paribus, non deest *intrinseca* auctoritas quum a Pontifice reapse emanaverit. — Haec lex iubet, ut, lite pendente, fructus et distributiones beneficiorum Ecclesiasticorum sequestro debeant submitti pro iisdem tuto conservandis, et postea reddendis victor!. — Quare intentio Pontificis videtur suffragari Sacerdoti di Napoli qui si hodie non percipit distributiones apud sequestrem depositas, tamen de massa communi ius habet certos reditus percipiendi in suam indemnitatem, quin aliis de perceptis reditibus aliquid detrahat. — Eo magis quod resolutio S. C. C. in *cit. Imolen.* decernit de reditibus vere beneficialibus ; quum hic agatur de emolumentis directius ordinatis et connexis cum ipso *iure* et *honore* inscriptionis in clerum quam cum *honore* sacrarum functionum.

Hisce delibatis, quaesitum fuit quod esset dandum responsum.

RESOLUTIO. S. C. C. re cognita sub die 23 Ianuarii 1897 censuit respondere : *Decretum Curiae Castrimaris diei 15 Iunii 1896 esse confirmandum, demptis expensis factis in iudicio coram S. Congregatione.*

MEDIOLANEN.

NULLITATIS MATRIMONII

Die 12 Decembris 1896.

Sess 24 cap. 5. De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Matrimonium, quod Aloysius et Ernesta legitime coram parocho loci *Gronozzo* Dioecesis Novarien, *die 23 ApriHs 1873* contraxerunt, modo ab ipsis mutuo consensu impugnatur, quia sponsa ex defectuosa muliebrium conformatione semper impar fuit ad officia coniugalia praestanda.

Narrat enim vir, frustra a primis coniugii diebus tentasse cum uxore copulam perficere ; quapropter ipsa consuluit plures in arte medica peritos, qui post diligens examen declararunt, ex organico et incurabili defectu eam ad copulam absolute impotentem esse.

Stante huiusmodi medicorum iudicio Aloysius de dissolsolvendo matrimonio tam coram Ecclesia, quam quoad vinculum civile cogitavit. Ideoque *die 8 Novembris 1885* quum Mediolani domicilium haberet, supplicem obtulit libellum Archiepiscopo, petens declarationem nullitatis sui matrimonii ex capite impotentiae coeundi absolutae, perpetuae antecedentisque matrimonio, ex parte mulieris.

Archiepiscopus, accepto libello, constituit Tribunal et per Iudicem delegatum initium dedit processui, simul a S. C. C. petens dispensationem super quibusdam formis iudicialibus. Cui S. C. sategit respondere : « Archiepiscopus curet testes septimae manus examinari, saltem maiori quo fieri poterit numero, et omisso accessu Iudicis, Defensoris et Cancellarii in locum inspectionis, cetera omnia observare faciat quae inspectionem ipsam aut praecedere, aut Gomitare, aut subsequi debent, adhibitis cautelis et mediis quae experientia et prudentia suggerit; et demum a balneo quoque dispenset, quatenus difficultates occurrant ex parte medicorum, qui tamen et peritia praestent in re de qua agitur et omni exceptione maiores sint ».

Dum autem processus instruebatur coniuges vertente Iunio 1886 certiorem fecerunt Curiam mediolanensem, sese recedere ab actione nullitatis matrimonii, et paratos esse vitam ducere uti frater et soror.

Progressu vero temporis huiusmodi vitae consuetudo intolerabilis evasit Aloysio et sponsae ; qua de causa factum est, ut ipsi *mense Iunio 1895* novum libellum Curiae mediolanen, porrexerint, enixe petentes causae prosecutionem atque nullitatis matrimonii declarationem, iisdem perdurantibus motivis.

Novo constituto Tribunali, processus reassumptus est, sed quae iam acta erant haud renovata fuere, solummodo auditus fuit alter peritus omnium aliorum celeberrimus, et mense Ianuarii volventis anni Iudex delegatus sententiam protulit nullum esse matrimonium ex mulieris impotentia, anteriore et perpetua.

Ex officio praemonitum fuit, in processu conficiendo aliqua praeterita fuisse a quibus S. C. C. non dispensavit. Desunt enim mulieris interrogatio eiusque testes septimae manus atque ex parte viri unus tantum testis examinatus est.

Disceptatio Synoptica

VOTUM CANONISTAE. Ad nostrae sententiae expositionem devenientes , hoc dubium nobis resolvendum proponimus, nempe : *An constet de huiusmodi Matrimonii rati nullitate eso capite impotentiae t* Huic tamen quaesito aliqua iuris principia , nostrae resolutionis fundamenta, praelibabimus et obiectiones aliquas ad pleniorem quaestionis dilucidationem subnectemus.

« Si habita inspectione corporum, appareant signa certa impotentiae (quia v. gr. apparet virum carere utroque testículo, aut habere abscissa virilia, aut *foeminam esse ita arctam, ut absque vitae periculo incidi non possit)* matrimonium illico annullandum est, nec ullum tempus ad probandum concedendum erit, nec requiritur iuramentum pro-

pinquorum, nec coniugum, quod se invicem numquam carnaliter cognoverint. Abbas in c. *Fraternitatis 6 De Frig. et Malef. num. 11;* Sánchez *lib. 7, disp. 107, num. 7,* eoque teste *omnes.* Ratio est, quia quando evidenter constat de impotentia, evidens etiam est matrimonium esse nullum, consequenter putativos coniuges separandos esse ab omni commercio carnali. Nec desideratur iuramentum coniugum aut propinquorum, utpote superfluum in casu, in quo per depositionem iuratam peritorum res manifesta est. Possunt tamen habitare ut frater et soror per dicenda num. 62. — Reiffenstuel *lib. 4, titulo 15 De Frig. et Malef., num. 42.*

« Probatio quae fit per evidentiam facti, seu aspectum ocularem est omnium optima et ceteris validior. . . . est fortior probatio de mundo.... ac quodcumque probationis genus longe superat ». — Reiffenstuel, *lib. 2, titulo 19 De Probation., n. 91 et 166.*

« Inspectio ocularis debet fieri per artis peritos— quibus etiam iuramentum deferri debet. . . . quod ad neutrius partis favorem declinando, sed fideliter prout in sua conscientia deprehenderet, veritatem edicere velint ». Reiffenstuel *lib. 2, titulo 19 De Probat., num. 22.*

Licet in dubio pronunciandum sit pro validitate matrimonii iuxta regulam desumptam ex textu in *cap. Licet ex quadam 47, in fine, De Testibus,* ea tamen procedit in quaestionibus nullitatis, quae non impedit, nec impedire potest finem et effectum matrimonii, sobolis nempe procreationem, prout contingit, quando agitur de probandis aut excludendis gradibus consanguineitatis etc.

Diversimode vero res se habet in quaestione nullitatis ex capite *impotentiae,* per quam matrimonium reipsa est nullum, suumque finem et effectum consequi nequit ; tunc enim quia agitur de inferendo praeiudicio et iniuria eidem Sacramento matrimonii, directe contraria procedit ratio vel regula, nimirum,quod in dubio standum sit pro exclusione matrimonii, ut optime distinguunt Abbas, Felin., Hostiens., Monald., Sanch., Rot. Ea viva ratione, quia in foro ex-

terno, in quo iudicat Ecclesia, tolerabilius et honestius est per canonicas probationes, et iuxta disciplinam Ecclesiae matrimonium dissolvere, quam nomine et iure matrimonii occasionem incontinentiae praebere, et continuum confovere peccatum, ut prosequitur Abbas, Baron., Perez., Hurtad., Sanch., et Gigas. — Cosci, *De separat, tori coni. lib. 3, cap. 2j, num. 386-393.*

Relictis aliis principiis, Consultor ait, certo et evidenter constare de huius matrimonii nullitate ex capite impotentiae mulieris. Quod probatur ex unanimi medicorum testimonio, post corporis mulieris inspectionem ocularem.

Sex fuere periti, ut iam antea diximus, qui hanc inspectionem peregerunt; tres ex -commissione Curiae ecclesiasticae mediolanensis, reliqui vero a tribunali civili deputati fuerunt : qui mulieris impedimentum ad coeundum asserunt.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO.

Aloysius et Ernesta, mutuo ad invicem amore correpti, matrimoniale foedus inierunt anno 1883 Aprilis die 22; deinde labente anno 1885 die 8 Novembris Aloysius matrimonium irritum, vitio mulieris, apud archiepiscopalem mediolan, curiam proclamavit ; sed mense Iunio anni 1886 a iudicio récessif atque cohabitationem cum Ernesta protraxit usque ad Iunium anni 1895, quo coniuges iudicium nullitatis matrimonii ex praedicto capite mutuo consensu instaurarunt.

Reverendissima Mediolani ecclesiastica curia Aloysium eiusque patrem ad iudiciale examen adduxit, atque ut Ernestae corpus recognoscerent commisit quatuor viris in salutari arte peritis ; scilicet Alessandro Cuzzi, Hectori Truzzi, Malachiae De Cristoforis et Eduardo Porro. Quorum primus et ultimus, nempe Alexander Cuzzi et Eduardus Porro Ernestae corpus alias absque ecclesiastici iudicis mandato exploraveruni.

His contentus iudex iudiciali inquisitioni finem imponit, non Ernestam, non *septimae manus* testes excutit ; sed vertente Ianuario exeuntis anni edixit: matrimonium irritum ob mulieris impotentiam anteriorem et perpetuam.

Haec sententia edita absque examine *septimae manus* et altero inaudito coniuge non praeprimis placet, quia, ceu monet Sánchez *de matr. lib. 7, disput. 107, n. 1,* « Semper iudex eo spectare debet, ut potius probationes impotentiae SUPERFLUAS QUAM IN ALIQUO DIMINUTAS exigat : et ut omnem cautelam, quae potest adhiberi PER OMNES PROBATIONIS MODOS adhibeat. Quod quaestio de matrimonii dissolutione sit de re GRAVISSIMA, et in qua de maximo animae periculo agitur, vel dissolvendo matrimonium validum vel approbando irritum ».

Deinde sententia, ut supra prolata, nec altero coniuge, nec utriusque coniugis *septimae manus* excussis testibus, praeterquam quod non est tuta, quia teste experientia, oculi et manus obstetricum saepe falluntur et fallax pariter est medicorum iudicium, Sánchez *De matrim, lib. 7 , disput. 107, n, 7,* manifesto nullitatis vitio tabescit. Sane Honorius III in *cap. fin. de frigid, et male f.* concludit: « Ipsis (coniugibus) cum septima propinquorum manu firmantibus iuramento , se commisceri carnaliter nequivisse, proferatis divortii sententiam inter eos ». Ad rem Sánchez *[loc. cit. 7, disput. 108, n. 9)* ait : « Tradens Pontifex FORMAM dissolvendi matrimonii, ratione impotentiae, ponit tanquam praerequisitum hoc iuramentum. Et cum sit FORMA probationis iure praescripta, eius OMISSIO VITIAT SENTENTIAM ».

Extra chorum autem caneres, si Glossam mihi obiiceres, dum *cap. Fraternitatis,* verb. *matronas, de frigid, et male f.* docet iuramentum *septimae manus* necessarium haud esse, *quando signa necessario et evidenter impotentiam concludunt, sive vi>H sive feminae,* apud Sánchez *loc. cit. disput. 108, n. 3.* Nemo enim sanus serio affirmare potest signa in Ernestae corpore reperta *necessario et evidenter* impotentiam concludere.

Reque vera medicus cognitor Malachias de Cristoforis, ita definit vitium in Ernestae corpore deprehensum : reperii in corpore mulieris id per quod ea impotens est ad coeundum ; nam ultra ostium vaginale, spatio unius cum dimidio

centimetri , adest membrana quae obicem ponit copulae carnali.

At recensitum vitium nec evidenter, nec necessario impotentiam concludit. Audi Zacchiam *quaest, medie, legal. I. 9, tit. 3, q.* 5, *n. 4:* (ibi) « Membrana aut erit tenuis aut crassa et carnosa, aut erit perforata aut non, aut erit posita interius versus internum uteri osculum aut in medio colli uterini aut *prope os externum:* nam hae omnes differentiae *multum faciunt* ad determinandum quaenam occlusio curabilis quae vero incurabilis ; item quae facile, quae difficulter et non sine aliquo vitae discrimine possit curari ».

Prosequitur idem Zacchias *(loc. cit.)*-. « Igitur quo crassior haec membrana est, quo altius posita, quo magis clausa et nullo foramine praedita, eo magis incurabilis, imo nullo modo curabilis. Quo tenuior ergo est, quo inferius posita, quo magis pervia, *eo facilius et minori cum periculo curabilis j, quae vero medio modo se habet,, mediocriter etiam periculo et curationis difficultati est obnoxia* ». Iam vero praesenti in specie membrana inferius « *un centimetro e mezzo al di là dell/ ostia vaginale* » posita est.

Huc accedit ut memoratum vitium non solum impotentiam nec evidenter nec necessario concludat, sed praeterea complura argumenta potentiae in Ernesta deprehensa sint. Profecto antedictus iudicialis peritus Malachias de Cristoforis percontanti iudici: an in transitu puellae ad pubertatem signa reperiit, quibus argui posset ipsam carere organis genitalibus proprii sexus : respondit, puellam adeptam esse pubertatem cum omnibus caracteribus, quibus eadem pubertas praedita esse solet in aliis regularis constitutionis. Quae quidem potentiae signa accurate describit alter iudicialis cognitor medicus, Hector Truzzi.

A iudicialibus his duobus peritis minime dissentire audent medici Eduardus Porro et Alexander Cuzzi, etsi a studio partium immunes iure non censeantur, quia corpus Ernestae absque ecclesiastici iudicis mandato, ut supra innuimus, iam exploraverant.

Neque me movet Eduardus Porro dum dicit certum hunc casum impotentiae; etenim Eduardum, dum ita loquitur, dicendo amplificare liquet vel ex oratoria forma qua iudicium profert. Ceterum, si praesens impotentiae casus est adeo certus et evidens, vix intelligo quamobrem archiater non una tantum vice, sed *quater* vel *quinquies,* ceu suo ipse ore fatetur, corpus Ernestae perlustratus sit. Nam *quando signa necessario et evidenter impotentiam concludunt,* explorationem iterare, praesertim cum res est de femina, medico impermissum est.

Ex huc usque disputatis prono velut alveo ad inscriptum dubium « *An sententia archiepiscopalis curiae mediolanen, sit confirmanda vel infirmanda in casu »,* descendit responsum : « *Sententiam esse infirmandum* ». Asserta namque impotentia evidentia minime fulget : iuramentum autem *septimae manus* una cum iurata confessione coniugum, quae hoc in casu, ceu demonstratum est, testimonio peritorum superaddi debent sub poena nullitatis sententiae , a iudicialibus tabulis exulant. Nec satis : votum etiam theologi desideratur.

Neque e re nata locus esse potest gratiae dispensationis super matrimonio, quod perhibetur inconsummatum. Praeterquam quod enim incivile est confugere ad extraordinaria cum praesto ordinaria sunt remedia, neque *supplex libellus, in quo plena et accurata totius facti species contineatur,* ad hoc Sacratissimo Principi est porrectus, neque video Beatissimum Patrem hac de re disputare mandasse.

Audire praestat Benedictum papam XIV in celebri constitutione « *Dei miseratione»* (§ 15) - ibi -: Et quoniam saepe apud Sedem Apostolicam preces porrigi solent pro dispensatione matrimonii rati et non consummati, quae ut plurimum pro voto consultivo ad Congregationem S. R. E. Cardinalium Concilii Interpretum, vel nonnunquam ad aliliquam Congregationem particularem deputatam a Romanis Pontificibus pro tempore remitti solent, ut huiusmodi instantiae ordine ac rite procedant, volumus ac mandamus ut

supplex libellus Nobis vel Romano Pontifici, pro tempore exhibeatur, in quo plena et accurata totius facti species contineatur, causaeque omnes in eo exprimantur, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur, ut Romanus Pontifex, eo lecto et mature considerato, secum deliberare possit, an petitionem reiiciat, vel eius examen alicui ex dictis Congregationibus committat.

Hisce perpensis una cum voto Canonistae ac Defensoris ex officio animadversionibus, propositum fuit enodandum

Dubium

'An sententia Curiae archiepiscopalis mediolanen, sit confirmanda vel infirmanda in casu,.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re disceptata sub die 13 Decembris 1896, censuit respondere : *Praevia sanatione auctorum, sententiam esse confirmandam, facto verbo cum SSmo.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL

DUBIUM quoad consuetudinem, qua sorores tertiariae etc. adeunt domum parentum ibique manent, eos curandi gratia, in casu infirmitatis.

Die 26 Augusti 1896.

Eminentissimi Patres,

Episcopus Maioricensis, in Hispania, Sacrae Episcoporum et Regularium Congregationi sequens reverenter exponit dubium: An possit tolerari consuetudo adeundi in domo parentum vel fratrum, quam habent Sorores Tertiariae votorum simplicium sine clausura, quarum Constitutiones nondum sancitae fuerunt a Sede Apostolica, in casu gravis infirmitatis *illorum,* ad id ut eos assistant, et ibi *solae* remanere quandiu infirmitas duraverit?

Dum ad hoc responsum praestolor, prospera vobis ex toto corde desidero. Obsequentissimus uti frater *Ep. Maiorieen.* Palmae, 8 Augusti 1896.

Illustriss. atque adm. Rev. Domine uti frater,

Circa dubium quod Amplitudo Tua solvendum proponit huic S. Congregationi Episcoporum et Regularium: « Utrum scilicet tolerari possit consuetudo, quam habent Sorores Tertiariae votorum simplicium sine clausura, quarum Constitutiones nondum sancitae fuerunt a Sede Apostolica, adeundi parentes vel fratres in casu gravis infirmitatis illorum, ad hoc ut eos assistant, et apud illos solae remanere quandiu infirmitas duraverit »; eadem S. Congregatio respondendum censuit prout respondet :

« Cum agatur de Instituto votorum simplicium dioecesano et sine clausura, consuetudo de qua in precibus, dependet a prudenti Ordinarii arbitrio, praescriptis tamen debitis cautelis».

Haec a me significanda erant Amplitudini Tua?, cui omnia fausta feliciaque adprecor a Domino.

Romae, 26 Augusti 1896.

Amplitudinis tuae

Uti frater

I. CARD. VERGA *Praefectus.*

A. TROMBETTA *Pro-Secretarius.*

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

DUBIUM quoad traditionem instrumentorum et manuum impositionem tempore s. Ordinationis.

Die 2 Decembris 1890.

R. P. D. Episcopus N. N. sequentia exposuit:

N. N. Sacerdos dubitat de validitate suae Ordinationis ob sequentes rationes:

I° Episcopus ordinans, dum calicem cum patena, vino et hostia ordinandis traderet et formam Pont. Rom. proferret, *forsan* ipsa instrumenta non tangebat, quanquam ante eum genuflexi, interim candidati tangerent, aliquo modo clerico ea sustentante.

2° Ipse N. N. ordinatus, post primam manuum impositionem ab altari, ut alii sex ordinandi bini et bini accederent impositionem huiusmodi accepturi, secessit, spatio circiter trium

metro-rum, ibi scamno innitens genuflexus institit, *fortassis* seiunctus ab aliis ordinandis, qui erant propius altari, nec ad altare accessit cum Episcopus et Sacerdotes secundam dexterae manus agerent impositionem, quae est de essentia Ordinationis.

Dignetur Em. V. rescribere mihi an sacerdos sic ordinatus rursus ordinationem *sub conditione* suscipere teneatur, vel imponi ei possit, ut conscientiae tranquillitatem résumât, tum quia traditio instrumentorum *probabilius* non est de essentia Ordinationis, tum quia dum Episcopus et Sacerdotes manum extensam tenerent, in secunda impositione, ipse ordinatus moraliter vicinus seu aliis unitus et physice praesens erat, in ipso Presbyterio, seu Sanctis Sanctorum, quanquam, ut supra, ab altari distans.

Quibus dubiis ad examen sedulo vocatis, in Congregatione generali habita feria IV die 2 Decembris Ì896, Emi ac Rmi Dñi Cardinales Inquisitores Generales, praehabito voto DD. Consultorum, respondendum mandarunt:

Ad utrumque: *Adquiescat.*

Sequenti vero feria VI die 4 eiusdem mensis, SSmus D. N. Leo divina Providentia Papa XIII, in solita audientia R. P. D. Assessori impertita, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem benigne approbare et confirmare dignatus est.

I. Can. MANCINI, S. *R. et U. I. Notarius.*

Ex hoc responso noli inferre, si Episcopus instrumenta non tetigerit ordinandis porrecta, ordinationem non esse reiterandam. Siquidem in casu, de quo nunc agitur, merum dubium negativum, seu scrupulum adest, prout ex verbis, *forsan, fortassis* liquido apparet; unde Emi Patres responderunt: *Adquiescat.* Verumtamen, quidquid opineris circa theoreticam quaestionem, apud auctores agitatam, utrum ad validitatem Sacramenti requiratur tactus physicus, an potius sufficiat tactus moralis, sive ex parte Episcopi, (quod potius vi verbi Pontificalis: *tradere* videtur innui), in praxi tamen, quoties deficit tactus physicus ex parte Episcopi, Sacra Congregatio inquisitionis solet iniungere ut reiteretur ordinatio sub conditione prout ex sequenti constat.

« Feria IV die 1 augusti 1697. Sanctissimus, auditis votis Eminentissimorum, approbavit in omnibus votum DD. Consultorum. Votum autem, de quo supra, est prout sequitur: DD. Consultores fuerunt in voto, in casu de quo agitur tutius esse quod

sub conditione reiterentur collationes Sacrorum Ordinum; ideoque rescribendum esse Archiepiscopo B. ut Ordinati ad Ordines Subdiaconatus, Diaconatus et Presbyteratum ab Episcopo A., non porrecta per ipsum materia dictorum ordinum, iterum sub conditione ac singillatim ad dictos ordines, servata forma in Pontificali Romano praescripta ordinentur. Etiam extra tempora, et non servatis interstitiis in tribus diebus Dominicis, vel festivis de praecepto, ac etiam una eademque die quoad curam animarum habentes, prout urgens necessitas arbitrio Ordinantis postulaverit, tribuendo eidem Archiepiscopo facultatem dandi licentiam quoad eos, qui extra sui ac dicti Episcopi A. Dioecesim morantur, ut a quocumque catholico Episcopo, gratiam et communionem S. Sedis Apostolicae habente, iterum sub dicta conditione extra tempora, non servatis interstitiis, ac alias ut supra ordinari possint, concedendo insuper eidem Eminentissimo facultatem convalidandi collationes beneficiorum, etiam curatorum sic ordinatis factas, eisdem fructus ex beneficiis perceptos remittendi, ac quaecumque officia etiam regularía convalidandi, ac gesta quaecumque confirmandi, nec non absolvendi. Quo vero ad dubium facti circa eos, qui ordinati fuerunt ante annum 1688 inclusive, quibus porrexisse per se ipsum materiam credit dictus Episcopus A. et ipsi ordinati adhuc dubitant sibi fuisse ab eodem materiam porrectam, fuerunt in voto, quod sic dubitantes vel expresse negantes absque alio iuramento ad novam ordinationem sub conditione praedicta, ut supra, admittantur; si vero qui fuerunt ordinati ab anno 1688 citra, quibus ex facto praesumitur non fuisse per Episcopum traditam materiam, omnes indistincte iterum sub dicta conditione ordinentur ».

Pariter, si Episcopus manum imponendo, caput ordinandi corporaliter non tetigerit iterari, debet ordinatio sub conditione, secreto et quocumque anni tempore, ut constat ex sequenti responso : « Italus quidam Episcopus Sacrae Congregationi S. Officii humiliter exponit, quod cum annis abhinc circiter quatuor, optimo cuidam suae Dioecesis Subdiacono, Diaconatus ordinem conferre vellet, in illius ordinatione peragenda manum utique dexteram, et ad minimam quidem distantiam, super caput eius suspendit, quin tamen praedictum illius caput corporaliter attigerit. Cumque mox hic defectus haud essentialis praedicto Episcopo, aliisque ecclesiasticis viris ab eodem consultis, visus fuerit, eumdem clericum non ita multo post ad sacerdotalem

-ordinem promovit, quem ipse clericum a tribus iam annis laudabiliter exercet. Verum illius defectus recordatio magnam nunc «idem Episcopo anxietatem, et de praedictae diaconalis ordinationis validitate dubitationem affert. Eapropter ipse Reverendissimus Eminentiis Vestris duo haec dubia reverenter proponit, videlicet :

I. *An ad reparandum praedictae ordinationis defectum ordinatio tota diaconatus in illo sacerdote sub conditione iterari debeat.*

Et quatenus affirmative:

II. *An haec ordinationis iteratio sub conditione fieri possit a, quocumque catholico Episcopo, secreto, quocumque anni tempore, etiam in sacello privato, uti responsum est in quodam Rescripto Congregationis S. Officii die 28 ianuarii anno 1835 ad reparandum quemdam defectum impositionis manuum, qui in ordinationem cuiusdam presbgteri irrepserat.*

Sacra Congregatio, mature examinato casu, in feria vi, 20 ianuarii 1875, rescripsit: *Ad utrumque affirmative, facto verbo cum Sanctissimo.* — Eadem feria ac die Sanctissimus Eminentissimorum Dominorum resolutionem confirmavit, ac facultates omnes necessarias et opportunas impertiri dignatus est ».

DUBIA quoad Baptisma filiorum infidelium.

***Die** 18 Iulii 1892.*

Ab Episcopo Kishnaghurensi die 28 augusti 1886 dubia proposita sunt Sacrae Congregationi de Propaganda Fide : quae, ad S. Officium transmissa die 18 iulii 1892, demum tulerunt responsum a S. Pontifice approbatum:

I. *An possint baptizari filii Infidelium, in periculo, non vero in articulo mortis constituti?*

II. *An iidem possint saltem baptizari, quando non est spes eos denuo revisendi?*

III. *Quid, si valde prudenter dubitetur, quod ex infirmitate, qua actu afficiuntur, non vivant, sed moriantur ante aetatem discretionis?*

IV. *An baptizari possint filii Infidelium in periculo vel articulo mortis constituti, de quibus dubitatur, an attigerint sta-*

tum discretionis, et non adest opportunitas eos docendi in rebus fidei?

Respondetur ad I, II et ad III: *Affirmative;* ad IV: *Conentur missionarii eos instruere eo meliori modo, quo fieri possit; secus baptizentur sub conditione.*

Conceditur privilegium Paulinum mulieri conversae ad Fidem catholicam.

Die 28 Nove nbris 1894.

Beatissime Pater

Archiepiscopus Episcopus Seraievensis et Vhrbornensis ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus exponit:

Maria B., mulier quaedam ex mahumetana religione duobus abhinc annis ad Fidem Catholicam conversa, cupit cum aliquo viro Catholico novum matrimonium inire, relicto iam suo priore marito Iulio B., infideli ac renuente converti. Quamvis enim iste affirmaverit, se velle cum eadem habitare sine contumelia Creatoris prolemque utriusque sexus in Catholica religione educare, mulier tamen e contra persuasa est de mala ac subdola eiusdem intentione, hanc arguens tam ex quibusdam litteris proprii avunculi, qui eam allicit ad mahumetismum iterum amplectendum, forsan non sine consensu ipsius Iulii, tum ex eo quod hic manifestavit desiderium male eam habendi, tum ex eo quod mahumetani maximo odio prosequuntur mulieres ad Christianam Fidem conversas, quae proinde a parentibus et cognatis quandoque occiduntur.

Quapropter Archiepiscopus orator humiliter rogat, ut Sanctitas Tua, vi aut privilegii Paulini aut supremae suae potestatis, vinculum matrimonii inter Mariam et Iulium B., quantocius solvere dignetur.

Feria iv, die 28 novembris 1894.

In Congregatione generali Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis examinato suprascripto supplici libello, ac perpensis omnibus, tum iuris, tum facti momentis, praehabitoque Dominorum Consultorum voto, Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinales Inquisitores Generales in rebus Fidei et morum decreverunt: *supplicandum Sanctissimo pro dispensatione ab ulteriore interpellatione et mulier utatur privilegio Paulino.*

Feria v, die 29 dicti, facta de his omnibus relatione Sanctissimo Domino Nostro Leoni PP. XIII, eadem Sanctitas Sua benigne annuit pro gratia iuxta Eminentissimorum Patrum suffragia.

I. MANCINI *S. R. et U. I. Notarius.*

Dispensatur pars catholica ab interpellandi parte infideli, et Episcopo conceditur facultas dispensandi in casibus ordinariis.

Die 16 Augusti 1895.

Beatissime Pater

Episcopus Vhrbosnensis ad pedes Sanctitatis Tuae humiliter provolutus exponit:

Puella quaedam mahumetana, quae declaravit se velle fieri Catholicam, vi rapta est a mahumetanis et adducta est ad quemdam mahumetanum, cum quo illa contra suam voluntatem longiori tempore vivebat et prolem cum illo genuit. Postea aufugit ab illo simul cum prole ad Catholicos, et imbuta Catholica religione suscepit sacramentum baptismatis.

Interrogata an cum mahumetano inierit matrimonium, respondit se quidem eum interpellasse atque rogasse, ut matrimonio iungerentur, eumque respondisse matrimonium iam initum esse: ast patrio more a mahumetanis servato, matrimonium initum esse minime demonstrari potest. Iudex autem mahumetanus decrevit, matrimonium de quo agitur nequaquam censendum esse initum secundum leges mahumetanas.

Quum autem non multum requiratur, ut matrimonium censeatur ut sit validum, quum mahumetana, licet initio contra propriam voluntatem, postea voluntarie vixerit cum mahumetano; quum mahumetanus affirmaverit se coram competentibus personis inivisse matrimonium cum absente mahumetana, hinc Episcopus orator postulat Sanctitatem Vestram, ut Anna (quod nomen baptizata mahumetana accepit) dispensetur ab officio interpellandi mahumetanum, si revera matrimonium naturale inter eos consistat, utrum cohabitare velit absque contumelia Salvatoris, atque utendi privilegio Paulino.

Insuper Orator postulat pro se facultatem dispensandi cum quolibet mahumetano aut mahumetana, nec non cum iudaeo

aut iudaea, quatenus non interrogata parte, relicta infidelitate^ ut ad alias nuptias parti conversae liceat transire.

Feria vi, die 16 augusti 1895.

Sanctissimus Dnus Noster Leo Divina Providentia PP. XIII, in audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, audita relatione suprascripti supplicis libelli, praehabitoque DD. Consultorum voto nec non Eminentissimorum Patrum suffragio, benigne indulsit, ut R. P. D. Archiepiscopus Vhrsbonensis dispensare possit, quatenus opus est, puellam mahumetanam, de qua in precibus, ab interpellatione.

Insuper eadem Sanctitas Sua benigne concessit eidem Archiepiscopo facultatem dispensandi super interpellatione coniugum, in infidelitate relictorum, pro omnibus casibus ordinariis, dummodo scilicet adhibitis antea omnibus diligentiis, etiam per publicas ephemerides, ad reperiendum locum ubi coniux infidelis habitat, iisque in irritum cessis, constet saltem summarie et extraiudicialiter, coniugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum infra tempus in monitione praefixum suam voluntatem non significasse.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Idque ad quinquennium.

I. MANCINI -
S. *R. et U. L Notarius.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

MEDIOLANEN. Indulgetur facultas celebrandi in liturgia ambrosiana, prouti fit in Romana, festa s. Ioseph sponsi B. M. V. et Annuntiationis ipsius Deiparae diebus 19 et 25 Martii.

Quum iuxta liturgicas constitutiones *)n* Archidioecesi mediolanensi vigentes, Quadragesima decurrente, Sanctorum quorumcumque festivitates celebrari nequeant, et Officium de tempore cum respectiva Missa peragatur, Festum S. Ioseph Sponsi B. M. V. ad diem XII. Decembris et festum Annuntiationis ipsius Deiparae ad Dominicam ante Nativitatem Domini amandata sunt. Haec vero festa solemniora, quae in universa Ecclesia diebus XIX et XXV mensis Martii semper quadragesimalibus sub duplici praecepto recoluntur, nulla speciali ac liturgica

prece, eo tempore, sive in Breviario sive in Missali Ambrosiano donantur. Quin imo si alterutrum incidat in feriam VI alilurgicam, Sacerdotes ab offerendo, fideles ab audiendo sacrum, non sine animi moerore, in Ecclesia Ambrosiana se abstinent.

Quapropter iam ab anno 1886 in votis erat quamplurium e clero et populo mediolanensi Sanctam Sedem adire ad impetrandam pro enunciatis festis ac diebus Apostolicam dispensationem a severioribus, haud tamen primaevis, Liturgiae Ambrosianae praescriptionibus. Quae vota magis in dies aucta, gravibus rationum momentis suffragiisque virorum rei liturgicae apprime peritorum communita, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Andreas Ferrari Archiepiscopus Mediolanensis, praehabito Rmi Capituli Metropolitani consensu, Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII una cum supplici libello humillime porrexit ad supradictam dispensationem obtinendam, ac modum Ecclesiae Romanae omnium Ecclesiarum Matris ac Magistrae, exhibitis quoque Officio et Missa utriusque Festi more solemnitatis dominicae et stylo quadragesimali ipsi Liturgiae Ambrosianae consono exaratis.

Placuit autem eidem Sanctissimo Domino Nostro huius negotii examen Sacrae Rituum Congregationi committere, quae, exquisito voto Commissionis liturgicae et audito R. P. D. Gustavo Persiani Sanctae Fidei Promotoris munere fungente, omnibusque mature perpensis, in Conventu subsignata die ad Vaticanum habito, ad relationem infrascripti Cardinalis Sacrae Rituum Congñis Praefecti, proposito dubio : « Utrum in Liturgia Ambrosiana, prouti fit in Romana, celebrari in posterum valeant Festa S. Ioseph Sponsi B. M. V. et Annuntiationis ipsius Deiparae diebus XIX et XXV Martii, etiam feriis sextis Quadragesimae occurrentibus, adhibitis iisdem Officiis et Missis iam revisis, quae huic praeiacent Decreto, atque servatis rubricis? » Respondendum censuit: *Affirmative in omnibus, si Sanctissimo placuerit.* Die 23 Februarii 1897. Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per ipsum infrascriptum Cardinalem relatis, Sanctitas sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis in omnibus ratam habuit et confirmavit, iisdem die mense et anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, 5. *B. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

DIOMEDES PANICI, S. *R. C. Secretarius.*

PRECES Eminentiss. Archiepiscopi mediolanensis ad id directae ut Clericis in sacris constitutis, qui ambrosianum ritum sequuntur, relaxetur obligatio recitandi integrum officium defunctorum.

Beatissime Pater

Andreas Cardinalis Ferrari Archiepiscopus Mediolanensis, Sanctitati Vestrae humilllime exponit ea quae sequuntur :

In Liturgia Ambrosiana, iuxta morem hucusque vigentem, omnes clerici in sacris Ordinati per totam Quadragesimali! praeter Dominicas et Hebdomadam Maiorem, integrum Officium defunctorum, non paucis vero feriis per annum eiusdem Officii partem tenentur. Quum vero ipse Ordo Breviarii Ambrosiani praesertim feriis in longum se proferat, et Sacerdotes aliis gravibus proprii ordinis vel officii curis distenti, nequeant Breviarium ea qua par est attentione et pietate perlegere; humilis Orator, praehabito sui Capituli metropolitani consensu a Benignitate Sanctitatis Vestrae implorat, ut, servata obligatione recitationis choralis praedicti Officii defunctorum, prouti nunc viget, omnibus de cetero clericis in sacris constitutis obligatio recitandi idem officium de Apostolica venia relaxetur; scilicet ut quadragesimalibus ferialibus et non festivis nec Hebdomadae Maioris iidem Ordinati in sacris recitare valeant tantum Vesperas defunctorum, et nulla alia lege obligentur, quam die secunda Novembris, integrum officium defunctorum persolvere.

MEDIOLANEN.

Sanctissimus Dominus noster Leo Papa XIII hisce precibus ab infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto relatis clementer deferens, exquisito etiam voto Sacrae ipsius Congregationis, indulgere dignatus est ut, hoc anno a die praesentis Rescripti computando, omnes clerici in sacris constituti qui Ambrosianum ritum sequuntur, extra officiaturam choralem, singulis Quadragesimae diebus, exceptis Festivis, et Hebdomadae Maioris, Vesperas tantum defunctorum, et die secunda Novembris integrum Officium pro defunctis recitent, dispensatione eisdem indulta ab onere sive integri sive partialis ipsius officii persolvendi per huius anni decursum : atque servatis rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 23 Februarii 1897.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI, S. *R. C. Secretarias.*

APPENDIX IV.

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST.; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

S. C. S. Officii 27 Ian. 1892 — Vic Ap. Victoriae Nyanzae.
De baptismo conferendo infideli moribundo qui nomen dedit haereticae septae.

Infidelis qui nomen dedit haereticae sectae protestantium, notionem aliquam mysteriorum SS. Trinitatis, Incarnationis et Redemptionis adeptus est: quoad fidem vero catholicam in bona fide versari videtur, vel ex eo quod nihil de ea audivit, vel quod nondum satis discernit veritatem ab errore, quum hinc et inde Christus annuntietur. In articulum vero mortis perventus, ab haereticis non baptizatur, quum de hoc isti minime curent, vel si forte baplizent, invalidam formam adhibere videntur; sic enim in suis libris lingua vernacula baptizare docent: « Te baptizo in nomine *Patris nostri, et Filii, et Spiritus Sancti* (1) ». — Quaeritur :

(1) Unde dubium de validitate huiusmodi formulae? Superior Societatis Missionariorum-Algeriae in suis litteris *15 Martii 1892* haec exponebat : «Trois questions » sont posées à » ce sujet....

» 1. Pourquoi les anglicans ont-ils employé cette expression?

» Parce que dans la langue luganda il n'y a pas de mot pour traduire le mot » *pateo* dans le sens général. Le mot Kita qu'ils emploient, doit toujours être suivi » d'un possessif; Kita-nge, père de moi; Kita-o, père de toi; Kita-we, père de lui; » Kita-fe, père de nous ; Kita-mwe, père de vous; Kila-bwe, père d'eux. — Employé » seul le mot Kita signifie Calebasse (cucurbita) et la formule du Baptême où il se » trouverait sans possessif, devrait se traduire: *Ego te baptizo in nomine Cucurbitae etc.* » Il fallait donc, pour ne pas dire une absurdité, ou inventer un mot (ce que nous » avons fait comme je le dirai plus bas), ou employer le mot Kita déterminé par » un possessif, comme l'ont fait les anglicans.

» 2. Dans quel sens les anglicans entendent ils le mot Kita-fe (Patris nostri) ?

» En employant cette expression les anglicans n'ont pas d'intention hérétique. » Ils ont voulu traduire le mot *Patris* dans le sens ortodoxe, c'est-à-dire en tant » qu'il désigne la première personne de la T. S. Trinité.

» 3. Pourquoi croyons que cette expression rend la formule douteuse?

» Parceque dans la formule: *In nomine Patris et Filii etc.* le mot *Patris* s'ap» plique à la seule personne du Père, tandis que *Pater noster,* appliqué à Dieu de» signe le Dieu créateur sans distinction de personnes

» Nous avons désigné la personne du Père, dans nos catéchismes, par un nom » invariable tiré du mot latin Pater: *Patri.* Nous ne l'employons que pour désigner

1. An talis a catholico fideli possit vel etiam debeat baptizari, quum moribundus de dogmate catholico instrui non possit.

2. An etiam aliquo modo instrui, quatenus in bona fide positus, possit baptizari quin de dogmate catholico instruatur, si tanta timeatur animi perturbatio ut a susceptione baptismi distrahatur, et a bona fide excusat.

R. Ad 1, et 2 partem: Affirmative, dummodo certo constet de voluntate suscipiendi baptismum, et dummodo ipse catechumenus adhaereat, si tempus suppetat, symbolo apostolico quod ante baptismi collationem coram eo recitetur; et detur instructio fer. IV, 1 Aug. 1860 ad R. P. D. Vicarium Apostolicum Tche-Kiang : (1) « Explorata res est etc. » addito quod, si catechumenus invalide baptizatus fuerit, baptizetur absolute; si vero dubie fuerit baptizatus, baptizetur sub conditione.

» cette personne divine. Ce mot une fois expliqué est parfaitement compris, aussi
» bien que nombre de mots de religion que nous avons empruntés à la langue de
» l'Eglise : *Ukaristia* etc. »

(1) En in commodum lectorum cit. instructio:

Instr. S. CS Officii 6 iunii 1860. (ad Vic. Ap. Tche-Kiano)

In foliis ab Exc. Tua ad S. Cong. de Propaganda Fide transmissis exponebatur quemdam missionarium saepius appellari ad conferendum baptismum adultis moribundis, qui licet profiteantur propositum sibi baptismum se libenter recepturos, se vere renuntiare diabolo, credere in Deum, et anteactae vitae poenitere, attamen ex circumstantiis maximum relinquunt dubium circa sinceritatem huiusmodi dispositionum: supradictum vero missionarium consulere volentem ex una parte reverentiae Sacramenti, et ex altera parte saluti aeternae infirmi iam iam morituri, conferre baptismum sub hac conditione, si tu es vere dispositus, expresse intendens, se non baptizare sepositis bonis dispositionibus. Hinc quaerebatur: 1. Utrum talis modus conferendi baptismum licitus sit vel non.

Exponebatur praeterea, nonnullos ex illis infirmis, recepto sub huiusmodi conditione baptismate, postea supervivere, imo et aliquoties e sua infirmitate penitus convalescere, et posse rectius disponi, et quaerebatur ; 2. Utrum ipsi discriminatim omnes rursus baptizari saltem sub hac conditione si non fuisti baptizatus. S. Congregatio Supremae et Universalis Inquisitionis, cuius iudicio haec dubia relata fuerunt, maturo super iisdem adhibito examine, sub feria IV Augusti 1870 respondendum mandavit praesenti instructione.

« Explorata res est tres in adulto requiri dispositiones ad Baptismum rite suscipiendum: fidem nempe, poenitentiam et intentionem illum percipiendi. Fides profecto necessaria est qua adultus debet esse sufficienter, iuxta propriae intelligentiae mensuram, de mysteriis Christianae Religionis et ea firmiter credere; et necessaria eadem est poenitentia qua debet peccata sua dolere, et actum elicere vel contritionis, vel attritionis : ac tertio necessario requiritur intentio, seu voluntas suscipiendi hoc Sacramentum, eaque deficiente, non imprimitur in adulto baptismalis character. At enim vero fides et poenitentia in adulto requiruntur, ut licite sacramentum suscipiat, et fructum sacramenti consequatur : intentio \ero necessaria est ad illud valide con-

S. C. S. Officii 9 iulii 1881
De Oleis sacris et de Sacramento Eucharistiae.

Gli Emi. Inquisitori Generali nella Congregazione di fer. V. loco IV. 7 corr. si sono occupati di un esposto di Mons. Vicario Generale nella diocesi di Orleans con cui richiama l'attenzione della S. Sede sulla quasi generale falsificazione ed adulterazione che suole farsi dell' olio di oliva; ed essendo noto che ciò accade pure del vino, e fin anche del pane azimo, in modo da compromettere la validità di quei Sacramenti che richieggono tali generi per materia; hanno disposto che da cotesta S. C. (di Propag.) nelle risposte che si danno ai Vescovi sulle relazioni dello stato delle chiese, *capto opportunitate,* s'insinui loro che adoperino le maggiori possibili cautele nell' acquisto dei medesimi generi per l'uso dei Sacramenti.

sequendum, adeo ut qui baptizatur adultus sine fide ac poenitentia, illicite quidem at valide baptizatur, et contra qui baptizatur absque voluntate sacramentum suscipiendi nec licite vel valide baptizatur. Hisce praemissis, facile erit dignoscere, missionarium in proposito casu non bene se gessisse, quando baptismum administrans adulto moribundo, eodem calculo habuit dispositiones requisitas ad baptismum licite administrandum, et eas quae ad illum valide percipiendum necessario requiruntur. in dubio enim utrum adultus morti proximus sufficienter instructus sit de fidei mysteriis, et ea sufficienter crediderit atque in dubio utrum ipsum anteactae vitae sincere poeniteat, quum mortis necessitas urgeat ; sacramentum absolute administrare ei debet absque ulla conditione. In dubio vero utrum ipse vere intendat baptismum suscipere, si praevio diligenti examine de hac intentione adhuc dubitetur, baptismum conferri debet sub conditione dummodo sit capax baptismi. Ne tamen norma quaedam desit huiusmodi missionario, hic adnexum A. Tuae trasmutimi* decretum eiusdem Congregationis Supremae et Universalis Inquisitionis latum feria V coram SSmo die 23 Augusti 1703 super quaestione ab Episcopo Quebec proposita. Praeterea nec bene se gessit missionarius quando baptismum conferens sub conditione, intendit se non baptizare sepositis bonis dispositionibus in suscipiente baptismum : nam in casu missionarius debet tantum intendere se baptizare quatenus suscipiens sit capax baptismi, idest illum sincere percipere velit.

Tandem quoad secundum dubium animadvertendum est, baptismum ne sub conditione quidem passim ac temere esse iterandum, et tunc solum conditione uti licere cum prudens et probans subest dubitatio an quis fuerit valide baptizatus, quemadmodum traditur in Catechismo Romano P. 2 de Sacramento Baptismi n. 57. Ceterum si praedicta dubietatibus missionariorum diluendis non sufficiant, eas A. Tua S. Congregationi exponere curabit, ut omnibus perpensis circumstantiis removeantur.

S. C. S. Officii 4 Maii 1887 — Dubia quoad vinum.

Ad vini corruptionis periculum praecavendum duo remedia proponuntur: l.Vino naturali addatur parva quantitas *d'eau-de-vie* — 2. Ebulliatur vinum usque ad sexaginta et quinque altitudinis gradus. — *Quaeritur* :

Utrum haec remedia licita in vino pro sacrificio Missae, et quodnam praeferendum.

R. Praeferendum vinum prout in secundo loco exponitur.

S. C. S. Officii 15 April. 1891 — Archiep. Tarraconen.
Dubia quoad vinum pro Missae sacrificio.

Vinum dulce quod pro Missae sacrificio adhiberi solet in Hispania spiritum ultra proportionem duodecim pro centum naturaliter continet. — *Quaeritur:*

1. Utrum decem partium spiritus pro centum commixtio, ut ex experientia constat, omnino ad vini dulcis conservationem necessaria, continuari possit.

2. Utrum vinum ita confectum adhiberi possit in Missae, sacrificio.

R. Negative in ordine ad Missae sacrificium.

S. C. S. Officii 25 Iunii 1891 — Vic. Ap. Tche-li Meridio-orient.
Dubia quoad vinum pro Missae sacrificio.

Quum difficile sit meracum emere vinum in Europa, et difficilius adhuc illud pretio haud modico comparatum in Sinas transvehere quin in via fraude adulteretur, iam abhinc pluribus annis tutius nec non facilius missionariis huius Vicariatus visum est, vinum pro Missae sacrificio in hac ipsa regione confici. Uvae vero quas in septentrionalibus sinensis imperii partibus reperire est, sacchari quantitatem nimis exiguam continent; ex quo fit ut vinum ex his ad sacrificium Missae expressum alcoolis portionem intimam tantum habeat, et propterea vix incorruptum asservari possit, attentis praesertim diuturnis intensisque aestivi temporis ardoribus corruplioni quam maxime faventibus. Tollitur incommodum obtineturque vinum tuto servabile, nec non oculis, gustui olfactuique haud ingratum, si centum libris uvarum mox contusarum addantur decem librae *sacchari ex canna* (idest ex planta gramínea,

botanice *saccarum oflîcinarum,* gallice vulgo *canne sucre* nuncupata) haecque massa deinde more solito fermentetur. Quae cum deferbuerit,, ex centum libris massae (novem sacchari libras iuxta exposita continentibus) obtinentur sexaginta septem vini librae, quae ut ex calculo chimico coniicere licet, practice ad summum quatuor libras cum dimidia (id est circiter quintam decimam ponderis totalis partem) alcoolis ex saccharo geniti continent. Aliis verbis supradicta operatione obtinetur vinum ex vite verum, cuius centum partes sex vel septem alcoolis heterogenei seu non ex vite producti admixtas habent. Quam praxim eo libentius retinuimus quo maior in dies evadit 'nobis impossibilitas spiritum vini (alcool) ex vite genitum compar-andi. Nunc autem, aliquo exurgente dubio, humiliter quaeritur :

1. An haec praxis ad obtinendum vinum pro Missae sacrificio tuta sit. Si negative:

2. An valida?

3. Quid si huiusmodi vinum adhibitum fuerit in Missis *ex iuslitiat*

R. Vino pro sacrosancto Missae sacrificio addendum potius esse spiritum seu alcool qui extractus fuerit ex genimine vitis, et cuius quantitas una cum ea, quam vinum de quo agitur naturaliter continet, haud excedat proportionem duodecim pro centum. Huiusmodi vero admixtio fiat quando fermentalio sic dicta tumultuosa defervescere inceperit; et ad mentem :

La mente è che non potendo i missionarii procurarsi da loro stessi lo spirito di vino distillandolo dal vino del paese, ne estraggono il vino, oppure mescolino l'uva passa coli'uva del paese, facendola insieme fermentare.

S. C. S. Officii 13 Ian. 1892. — Dubium quoad eleemosynam missarum.

Utrum colligentes eleemosynas maioris pretii pro Missis, si eas celebrari faciunt in eodem loco ubi collegerunt, pro minori pretio, hanc censuram (1) incurrant, nec ne.

R. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.

(1) De hac censura loquitur Const. *Apostolicae Sedis;* quam habes Vol. V, 287 Acta S. Sedis.

S. C S. Officii 29 Iulii 1891 — De absolutione concessa a sacerdote non approbato.

Non sunt inquietandi qui tenent validam esse absolutionem in articulo mortis concessam a sacerdote non approbato, etiam quando facile advocari seu adesse potuisset sacerdos approbatus; et qui tenent validam esse absolutionem in eodem articulo mortis concessam a peccatis reservatis, sive simpliciter sive cum censura, per sacerdotem non habentem iurisdictionem in reservata, etiamsi advocari seu adesse facile potuisset sacerdos habens praedictam iurisdictionem.

S. C. S. Officii 13 Ian. 1892 — Quoad absolventem complicem.

Utrum absolventes complicem in peccato turpi cum ignorantia crassa et supina, hanc excommunicationem (1) incurrant, an non.

R. in casu incurrere.

S. C. S. Officii 17 Iunii 1891 — De casibus reservatis et censuris.

S. Congregatio inquisitionis, sub die 30 Iulii 1886, ad quaesitum: « I. Utrum tuto adhuc teneri possit sententia docens, ad Episcopum aut ad quemlibet sacerdotem approbatum devolvi absolutionem casuum et censurarum, etiam speciali modo Papae reservatorum, quando poenitens versatur in impossibilitate personaliter adeundi S. Sedem? — II. Quatenus negative, utrum recurrendum sit, saltem per litteras, ad Emum Card. Maiorem Poenitentiarium pro omnibus casibus Papae reservatis, nisi Episcopus habeat speciale indultum, praeterquam in articulo mortis ad obtinendum absolvendi facultatem? » Responsum dedit a Papa approbatum et confirmatum: Ad I. Attenta praxi S. Poenitentiariae, praesertim ab edita Const. Apost. sac. mem. Pii PP. IX, quae incipit *Apostolicae Sedis:* Negative. — Ad II. Affirmative; at in casibus urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae, super quo confessariorum conscientia oneratur, dari posse absolutionem, iniunctis de iure iniungendis, a censuris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis, sub poena tamen ^incidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium Confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem ».

(1) De qua in Const. *Apostolicae Sedis* sub tit. *Excommunicationes latae sententiae, speciali modo Romano Pontifici reservatae,* Yol. V, 287, Acta S. Sedis.

Quum vero inter doctores de hisce responsis dubia fuerint exorta, S. Congregationi Inquisitionis sequentia ad resolvendum proponuntur :

1. Utrum responsum ad primum valeat etiam pro casu quando poenitens fuerit *perpetuo* impeditus personaliter Romam proficisci?

2. Utrum responsum ad secundum clausula « sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras etc. », referatur solummodo ad absolutionem a censuris et casibus *speciali modo* S. P. reservatis, an etiam ad absolutionem a censuris et casibus simpliciter Papae reservatis? Quaeritur denique :

3. Utrum auctores moderni post Const. *Apostolicae Sedis* (contra ius commune, cap. *Eos qui,* 22, *De sent. excom.* in VI, v. 11; cap. *Ea noscitur,* 59, X, v. 39; et contra Rituale Romanum, *De Poenit.* tit. III, c. 1, n. 23) recte doceant, ei qui in articulo mortis a quolibet confessario a quibusvis censuris quomodocumque reservatis absolutus fuerit, tunc solummodo imponendam esse obligationem se sistendi Superiori recuperata valetudine, si agatur de absolutione a censuris *speciali modo* Papae reservatis; an huiusmodi recursus ad Superiorem etiam necessarius sit in absolutione a censuris simpliciter Summo Pontifici reservatis?

Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam partem.

Ad 3. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam partem, iuxta resolutionem fer. IV. 28 Iunii 1882. — SSmus approbavit.

S. C. S. Officii 13 Ianuarii 1892

Quaenam sunt acta ab Apostolica Sede profecta?

1. Utrum per *acta a S. Sede Apostolica profecta* (1) designentur tantum acta quae immediate a Summo Pontifice proficiscuntur, an etiam quae mediate a SS. RR. Congregationibus proveniunt.

2. Quoad absolutionem censurarum specialiter reservatarum in articulo mortis, dubitatur utrum infirmus, si convalescit, et onus non adimplet se praesentandi superiori, in eamdem excommunicationem reincidat, an non.

R. Ad 1. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

(1) De quibus in Const. *Apostolicae Sedis* sub tit. *Excomm. latae sententiae Rom. Pontifici speciali modo reservatae.* Recole Vol V. 287.

Ad 2. **Detur decretum fer. IV.** 19 **Augusti** 1891 **super dubiis quae sequuntur : « I. An obligatio standi mandatis Ecclesiae a Bulla *Apostolicae Sedis* imposita sit sub poena reincidentiae, vel non. — II. An obligatio standi mandatis Ecclesiae in sensu Bullae *Apostolicae Sedis* idem sonet ac obligatio se sistendi coram Summo Pontifice, vel an ab illa debeat distingui. Responsum: — Ad L Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. — Ad II. *Standi mandatis Ecclesiae* (obligationem) importare onus sive per se, sive per confessarium ad Summum Pontificem recurrendi ».**

S. C. S. Officii 15 Maii 1878 - De Extrema Unctione.
De oleo a presbytero benedicto.

Oleum a presbytero benedictum est materia prorsus inepta Sacramento Extremae Unctionis conficiendo: et ne in extrema quidem necessitate valide potest adhiberi.

S. C. S. Officii 26 Augusti 1891 — De impedimento affinitatis.
Dubium quoad affinitatem.

Cum subiectus casus, qui inter neophytos mei Vicariatus locum aliquando habet, et circa cuius solutionem mei missionarii non eiusdem sunt sententiae, mihi propositus fuisset, censui... a S. Sede humiliter eius solutionem implorare.

Caius adhuc in infidelitate vivens fornicarium commercium habet cum femina; deinde facti poenitens, et idololatriae renuntians, rite instructus baptizatur. Accepto baptismo, Caius potestne sibi in legitimam uxorem ducere sororem germanam illius feminae cum qua in infidelitate vivens peccavit?

R. Affinitatem quae infidelitate naturaliter contrahitur ex copula tum licita, tum illicita non esse impedimentum pro matrimoniis quae in infidelitate ineuntur; evadere tamen impedimentum pro matrimoniis quae ineuntur post baptismum, quo suscepto, infideles fiunt subditi Ecclesiae, eiusque proinde legibus subiecti.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

De Consistorio habito die 19 Aprilis 1897.

SSmus Pater, praemissa Allocutione, publicavit Cardinales S. R. Ecclesiae: ex ordine Presbyterorum, R. P. D. Iosephum Mariam Martin de Herrera y de la Iglesia, natum Aldeadavilae, Dioecesis Salamantin. die 26 Augusti 1835, Archiepiscopum Compostellae; — R. P. D. Petrum Herculem Coullié, natum Parisiis die 14 Martii 1829, Archiepiscopum Lugdunen; — R. P. D. Iosephum Gubernium Labouré, natum in Achiet le Petit, Dioecesis Atrebatensis die 27 Octobris 1841, Archiepiscopum Rhemen.; — R. P. D. Gulielmum Mariam Romanum Sourrieu, natum in Aspet, Archidioecesis Tolosan. die 27 Februarii 1825, Archiepiscopum Rothomagen.

Postea SSmus Pater sequentes proposuit Ecclesias:

Cathedralem Ecclesiam Praenestin. **vacan, per obitum clar. me. Angeli S. R. E. Card. Bianchi, ultimi illius Episcopi apud romanam curiam defuncti; quam optare intendit Emus ac Rñius Dominus Camillus, titulo S. Mariae Transpontinae eiusdem S. R. E. Presbyter Cardinalis Mazzella, praedicto titulo Presbyterali dimisso.**

Archiepiscopalem Ecclesiam **titularem** *Nisiben..* **vacan, per obitum bo. me. Iosephi Giusti, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Friderici Pizza, Archiepiscopi Sypontini et Administratoris Vestani.**

Metropolitanam Ecclesiam Neapolitan. **vacan, per obitum cl. me. Gulielmi dum viveret S. R. E. Presbyteri Cardinalis Sanfelice, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Vincentii Mariae Sarnelli, Episcopi Stabian. seu Castri Maris.**

Archiepiscopalem Ecclesiam **titularem** *Chalcidensem,* **vacan, per obitum bo. me. Aloisii Antonii Dos Santos, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Petri Facciotti, Episcopi Ferentini.**

Archiepiscopalem Ecclesiam **titularem** *Nicomedien.,* **vacan, per promotionem R. P. D. Francisci Cassetta ad titularem Ecclesiam Patriarchalem Antiochen. Latinorum, favore R. P. D. Caroli Caputo, Episcopi Aversani.**

Metropolitanam Ecclesiam Bituricen. **vacan, per obitum clar. me. Ioannis Petri S. R. E. dum viveret Presb. Card. Boyer, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Petri Pauli Servonnet, Episcopi Diniensis, ad nominationem perillustris viri Felicis Faure Gallicae Reipublicae Praesidis.**

Archiepiscopalem Ecclesiam Sypontin. **cum administratione Vestanae Sedis, vacan, per translationem R. P. D. Friderici Pizza ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Nisibenam, favore R. D. Paschalis Gagliardi, presbyteri dioeceseos**

Tricaricensis. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in dioecesi Tricaricensi progenitus et in trigesimo octavo aetatis suae anno constitutus, doctorali laurea in philosophia et in sacra theologia donatus, Examinator synodalis, professor theologiae dogmaticae in maiori seminario ac Magister pietatis in minori seminario hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Giennen. vacan, per obitum bo. me. Emmanuelis Mariae Gonzalez Sánchez, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Victoriani Guisasola et Menendez, Episcopi Oxomensis, ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae Regentis.

Cathedralem Ecclesiam Sacien, vacan, per obitum bo. me. Francisci Mariae Trégaro, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Claudii Bardel, Episcopi Pariggensis, ad nominationem perillustris Viri Felicis Faure Gallicae Reipublicae Praesidis.

Cathedralem Ecclesiam Ferentin. vacan, per promotionem R. P. D. Petri Facciotti ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Chalcidensem, favore R. D. Dominici Bianconi, Presbyteri Privernensis. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus Priverni progenitus et in quadragesimo quinto aetatis suae anno constitutus, Priverai Examinator pro-Synodalis, seminarii Deputatus, plurium piarum Societatum Director spiritualis, atque Cathedralis Ecclesiae Canonicus Poenitentiarius renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Triventin. vacan, per promotionem R. P. D. Iulii Vaccaro ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Ancyranam et Coadiutoriam cum futura successione Metropolitanarum Ecclesiarum Tranen, ac Barolen., favore R. D. Caroli Pietropaoli, Presbyteri archidioeceseos Aquilanae. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in loco vulgo *Roccadicambio* nuncupato archidioeceseos Aquilanae progenitus et in quadragesimo aetatis suae anno constitutus, sacrae theologiae lauream Romae assequutus est.

Cathedralem Ecclesiam Aversan. vacan, per promotionem R. P. D. Caroli Caputo ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Nicomedien., favore R. D. Francisci Vento, Presbyteri Neapolitani. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus Neapoli progenitus et in quadragesimo nono aetatis suae anno consti, tutus, Cleri examinatur atque archidioeceseos convisitator renunciatus est.

Ecclesias S. Angeli Lombardorum et Bisaciensem, invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per obitum bo. me. Nicolai Lorusso, ultimi illarum Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Iulii Tommasi, presbyteri dioecesis Marsorum. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in terra vulgo *Sconzano,* nuncupata dioecesis Marsorum progenitus et in quadragesimo secundo aetatis suae anno constitutus, Ecclesiae Cathedralis Marsorum Canonicus Parochus, Seminarii pro-rector, examinatur pro-Synodalis, et piarum Unionum Filiarum Mariae ac Tertii Ordinis S. Francisci director hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Boianen, vacan, per obitum bo. mem. Francisci Macarone, favore R. D. Felicis Gianfelice, Presbyteri Aquilanae archidioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in Archidioecesi Aquilana progenitus et in quinquagesimo sexto aetatis suae anno constitutus, pluribus ab annis munus Archipresbyteri Parochi in maiori Ecclesia loci vulgo *Cittaducale* nuncupati, archidioeceseos Aquilanae exercuit.

Cathedralem Ecclesiam Conversanen. vacan, per promotionem R. P. D. Casimiri Gennari, S, R. et U. Inquisitionis Assessoris, ad Archiepiscopalem Eccie-

Siam Naupactensem, favore R. D. Antonii Lamberti, presbyteri Barensis archidioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis nobilibusque parentibus Barensi in archidioecesi progenitus et in quadragesimo aetatis suae anno constitutus, doctoralem lauream in philosophia, in sacra theologia et in iure canonico adeptus, Metropolitanae Ecclesiae Canonicus Poenitentiarius ac deinde Canonicus Theologus renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Guastallen. adhuc ut prius vacan, per promotionem ad Archiepiscopalem Sedem Ferrariensem R. P. D. Petri Respighi (nam R. P. D. Henricus Grazioli ad ipsam assumptus, nondum possessionem adeptus, eidem valedixit); favore R. D. Andreae Sarti, presbyteri Massensis dioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in dioecesi Massensi progenitus et quadragesimum septimum aetatis suae annum supergressus, doctorali laurea in sacra theologia donatus in Massensi dioecesi Professor sacrae theologiae penes clericorum seminarium, examinatur pro-synodalis, Cathedralis Ecclesiae Archipresbyter-Parochus, ac Vicarius in spiritualibus generalis hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Montis Vici seu *Montis Regalis,* Provinciae Pedemontanae vacan, per obitum bo. me. Placidi Pozzi, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Ioannis Baptistae Ressia, Presbyteri archidioeceseos Taurinensis. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in oppido *Tigone* archidioeceseos Taurinensis progenitus et in quadragesimo nono aetatis suae anno constitutus, aliquot per annos paroeciam loci vulgo *Briche' rasio* nuncupati gubernandam suscepit, donec Cathedralis Ecclesiae Pineroliensis Canonicus Parochus renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Alexandrin, provinciae Pedemontanae vacan, per obitum bo. me. Petri lucundi Salvai, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. Iosephi Capecci, ex Ordine eremitarum s. Augustini, Presbyteri dioeceseos Auximanae. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in loco vulgo *Castelfidardo* nuncupato, Auximanae dioeceseos progenitus et in quinquagesimo octavo aetatis suae anno constitutus; Prior Provincialis in Liguria electus, Ianuensi in urbe examinatur pro-synodalis, Praeses Academiae S. Thomae, Parochus ad S. Mariae de Consolatione ac etiam Decanus Collegii parochorum eiusdem urbis, hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Oxomen. vacan, per translationem R. P. D. Victoriam Guisasola et Menendez ad Sedem Cathedralem Giennensem, favore R. D. Iosephi Mariae Garcia Escudero et Ubago, Presbyteri dioecesis Calaguritan., ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae Regentis. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in loco *Badaren.* nuncupato, dioeceseos Calaguritanae progenitus et in quinquagesimo primo aetatis suae anno constitutus, sacra in theologia doctoratus gradu donatus, in civitate Lucroniensi penes clericorum seminarium philosophiae ac sacrae theologiae Professoris munere perfunctus; atque ibidem Collegiatae Ecclesiae Abbas ad praesens usque est renunciatus.

Ecclesiam de Socorro in Columbiana Republica Americae Meridionalis, per Decretum S. Congregationis Consistorialis *Iamdudum ad Apostolicam Sedem* datum die 20 Martii 1895 ad cathedralis honorem evectam, a primaeva sua erectione vacantem, favore R. D. Evaristi Blanco, presbyteri dioeceseos Neo-Pampilonen. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in loco vulgo *San Miguel* nuncupato, dioeceseos Neo-Pàmpilonensis progenitus et in quadragesimo

secundo aetatis suae anno constitutus, Parochi munus aliquot per annos in locis vulgo *Tequia* et *San Andres* nuncupatis exercuit, atque etiam directionem suscepit Collegii Leonini in civitate *Bucaramanga.* Malacitanae vero Ecclesiae in dioecesi Neo-Pampilonensi Parochus et Vicarius foraneus hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Macaonen. vacan, per obitum bo. me. Antonii Ioachimi de Medeiros, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Iosephi Emmanuelis de Carvalho, presbyteri dioeceseos Visensis, ad praesentationem Sermi Portugalliae et Algarbiorum Regis fidelissimi. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in loco vulgo *Tourigo* nuncupato, dioecesis Visensis et in quinquagesimo tertio aetatis suae anno constitutus, scientiarum ecclesiasticarum Professor in seminario Visensi atque in illa episcopali Curia promotor renunciatus, inter Sanctitatis Suae Cubicularios honoris cooptatus est.

Episcopalem Ecclesiam titularem *Gazen,* sub Archiepiscopo Caesariensi, vacan, per promotionem R. P. D. Henrici Vande Wetering ad Metropolitanam Ecclesiam Ultraiectensem, favore R. D. Pauli Schinosi, Presbyteri archidioeceseos Beneventanae. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in archidioecesi Beneventana ortus et in septuagesimo aetatis suae anno constitutus, inter intimos Sanctitatis Suae Cubicularios cooptatus, et Metropolitanae Ecclesiae Beneventanae Canonicus Archipresbyter est renunciatus.

Episcopalem Ecclesiam titularem *Marcianen.* sub Archiepiscopo Myrensi, vacan, per obitum bo. me. Henrici Alphonsi Mariae Joosten, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Ernesti Kutrovatz, Presbyteri dioeceseos Iauriensis, qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R. P. D. Ioannis Zalka, Episcopi Iauriensis. R. D. Ernestus Kutrovatz, ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in pago vulgo *Siglos* nuncupato, dioeceseos Iauriensis ortus et quinquagesimum sextum aetatis suae annum supergressus, plures per annos Parochi munere perfunctus, deinde Ecclesiae Cathedralis Iauriensis Canonicus hucusque est renunciatus.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Theodosiopolitan. sub Archiepiscopo Caesariensi, vacan, per promotionem R. P. D. Ioannis Glavina ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Pelusianam, favore R. D. Vincentii Di Giovanni, Presbyteri dioecesis Mazariensis.

Episcopalem Ecclesiam titularem *Samosaten.* sub Archiepiscopo Hierapolitan. vacan, per translationem R. P. D. Henrici Grazioli ad Cathedralem Ecclesiam Guastallensem, favore R. D. Caroli Gustavi Walravens, Presbyteri dioeceseos Tornacensis; qui etiam deputatus fuit in auxiliarem R. P. D. Isidori Iosephi du Rousseaux, Episcopi Tornacensis. Rev. D. Carolus Gustavus Walravens ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in civitate vulgo *Enghien* nuncupata, dioeceseos Tornacensis ortus et quinquagesimum quintum aetatis suae annum supergressus, per annos quatuordecim Theologiae moralis in maiori Seminario Tornacensi Lector fuit. Praeses deinde eiusdem Seminarii Tornacensis atque Ecclesiae Cathedralis Canonicus ornamentarius est renunciatus.

Episcopalem Ecclesiam titularem *Martyropolitan.* sub Archiepiscopo Anuden, vacat, per promotionem R. P. D. Ioachimi Larrian Gandarillas ad titularem Archiepiscopalem Ecclesiam Anazarben., favore R. D. Gustavi Caroli Majláth Presbyteri Dioeceseos Quinquecclesien. qui etiam deputatus fuit in Coadiutorem

cum futura successione R. P. D. Francisci Lönhart Episcopi Transilvanien. R. D. Gustavus Carolus Majláth, ex legitimis, catholicis nobilibusque parentibus in oppido, cui nomen vulgo *Bàkocza,* dioeceseos Quinquecclesien. progenitus et trigesimum tertium aetatis suae annum agens, doctorali laurea in sacra theologia donatus, per sex circiter annos studiorum Praefectus in seminario Strigoniensi et hucusque fere a biennio Paroeciae civitatis Comaroniensis Administrator renunciatus fuit.

Cathedralem Ecclesiam Civitatis Victoriae seu *Tamaulipan.* in ditione Mexicana Americae Septemptrionalis, certo modo vacat., favore R. D. Philemonis Fierro, presbyteri archidioeceseos de Durango. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in civitate Durangi progenitus et trigesimum septimum aetatis suae annum supergressus, Professoris tum philosophiae, tum sacrae theologiae, tum iuris canonici in seminario archiepiscopali, atque etiam Parochi muneribus, plures per annos perfunctus, demum Metropolitanae Ecclesiae Canonicus est renunciatus.

Archiepiscopalem Ecclesiam titularem *Damascen.* vacan, per assignationem tituli S. Mariae supra Minervam, factam Emo ac Rmo Domino Seraphino S. R. E. Presb. Card. Cretoni, favore R. P. D. Ioannis Iosephi Keane, Episcopi titularis Iassensis.

Archiepiscopalem Ecclesiam titularem *Naupacten.* vacan, per assignationem tituli S. Mariae de Aracoeli, factam Emo ac Riho Domino Francisco S. R. E. Presb. Card. Satolli, favore R. P. D. Casimiri Gennari, Episcopi conversanensis.

Post haec SSmus Dnus Noster nuntiavit, se per litteras in forma Brevis, sequentes nuperrime renunciasse Antistites:

Sebastopolitanum, Ioannem Butt.
Salopiensem, Samuelem Webster.
Rossensem, Dionysium Kelley.
Buffolensem, Iacobum Quigley.
Cheylunensem, Thomam Lenihan.
Wilmingtoniensem, Ioannem Monaghan.
Mobiliensem, Eduardum Allen.
Allahabadensem, Carolum Iosephum Gentili.
Germanicopolitanum, Augustum Dontenville.
Zoarenum, Patritium Dusser.
Poglensem, Iosephum Légal.
Tabracensem, Henricum Streicher.
Tuburbitanum, Franciscum Gerboin.
Tumitanum, Ioannem Adam.
Ticeliensem, Aemilium Allgeyer.
Tenchirensem, Ambrosium Van Baors.
Thibonitanum, Iosephum Dupont.
Tiniadensem, Petrum Giraudean.
Theodosiopolitanum, Vincentium Di Giovanni.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

STRIGONIEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 12 Septembris 1896.

Sess. 12, cap. 5, De reform, matr.

COMPENDIUM FACTI. Die 25 Novembris 1889, praemissis bannorum promulgationibus, Theresia 22 annos nata, coram proprio parocho pagi *Bath,* Archidioecesis Strigonien, denupsit Stephano in 32 aetatis anno constituto.

Nuptiae, quae infaustis initiis contractae fuere, infelicissimum habuerunt exitum. En quomodo Theresia ipsa res enarrat in supplici libello ad Emum Strigoniensem Ordinarium :

« Contractui matrimoniali brevis, vix sex hebdomadarum, notitia praecessit inter me et Stanyo, qui tunc temporis in Bath custos fuit securitatis publicae. Ego, quae Iosephum Radza amavi et cum quo etiam sponsalia inivi eiusque annulum sponsalitium portavi, nulla prorsus inclinatione ferebar erga Sthephanum, parentum meorum e contra vehemens desiderium fuit, ut eodem ipso tempore quo frater meus ducet, ego quoque nubam, ut nostra copulatio et nuptiae una eademque die asserventur. Ratio et motivum, quod parentes meos in eo desiderio movebant, fuit, ut ego nubens et domum paternam relinquens, locum faciam uxori fratris mei ad domum parentum meorum venienti ». Atque subiungit continuis parentum exhortationibus resistere non valuisse, pluries autem ipsis manifestasse, se absque voluntate cum Sthephano matrimonium contracturam.

Initis nuptiis, coniuges per duos tantum dies simul commorati sunt, et cum primam noctem transegerint insomnes inter nuptialia convivia, una solummodo nocte eodem in cubili dormierunt, sed separatim, uti asseritur; Stephanus

enim in uno lecto, sponsae mater in altero et Theresia in *canapa* recubuerunt. Primo mane sequentis diei Stephanus e Bath discessit, animo, ut videtur, uxorem deserendi, sed asserens se iturum ad instruendam domum in loco *Vóg-Selye*, quo ipse intendebat stabilem ponere sedem.

Post discessum Stephanus ad uxorem haud amplius rediit, sed, praeterlapsis quatuor mensibus, eidem chartulam postalem apertam misit, significans se in Americam discessurum.

Cum autem Theresia nulla alia notitia de viro in posterum haberet, suae miserandae conditionis pertaesa, decursu anni 1893, consilio et opera cuiusdam advocati, citavit Stephanum ad comparendum coram iudice nobilium in Bath, ea ducta opinione, quod si non compararei, ceu mortuus iudicari potuisset, atque ita illa ad alias nuptias convolaret.

Comparuit Stephanus ante iudicem invisitque etiam familiae Valach popinam, sed uxorem nequidem alloquutus est; et iterum absque mora Bath dereliquit, quin amplius aliquod inditium de se dederit.

Infelix mulier videns se tam turpiter decepta, fere in desperationem prolapsa est, et, uti Emus Archiep. Strigonien, refert, « consilia impiorum hominum sequens iam apostasiam a fide meditabatur, ut ita per tribunal civile soluta declarata, ad nova matrimonialia, quae intendit vota, trans volare possit. Tale propositum priusquam exsequeretur, ad proprium parochum semel convertit, quid factura exponens; hic pro sua prudentia ac zelo viam mulieri ostendit, fuitque consilii auctor, ut gratiam apostolicam super matrimonio rato, non consummato, dispensationis efflagitare! ».

Tunc Theresia recursum habuit ad Archiep. Strigonien., ut eidem a Summo Pontifice concederetur dispensatio super matrimonio rato et non consummato. Consistorium Strigoniense illico ad probandam non consummationem processum inchoavit, excutiens oratricem, nonnullos septimae manus testes et duos medicos, qui de Theresiae virginitate praevio diligenti examine, ex Iudicis iussu peracto, affirmativum reddiderunt testimonium.

Processu ad finem perducto, rescivit Emus Archiepiscopus ex recenti decisione S. C C. in *Varsavien. Matrimonii diei 16 Iulii 1894* tales processus ab Ordinariis instrui non posse absque Pontificis delegatione (1); quapropter acta *transmittens petiit sanationem super delegationis defectu; atque insuper fatetur in praesenti adesse omnes illas causas, « quae dispensationem a matrimonio rato suadent, imo vehementer urgent » et concludit, « infelicem mulierem gratiae S. Tuae vehementius, vehementissime commendo: agitur etenim de salvanda anima mulieris, continuo periculo incontinentiae et apostasiae expositae ».

S. C. C. defectum delegationis sanavit et, attenta oratricis indigentia, indulsit, ut causa oeconomice proponeretur.

Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Nonnullis circa factorum historiam et postea secutum processum compendiose praemissis, ratus est consultor, quod petita dispensatio concedi possit, seu melius quod S. C. Congregatio votum consultivum emittere valeat pro eius concessione a SSmo. Hoc ait duobus praestabo, ut de more in huiusmodi gratiosis iudiciis, nempe probando inconsummationem matrimonii, et causarum existentiam pro eius dissolutione.

Interim nonnulla adnotare pretium duco circa processum probatorium. Equidem ipse, ut taceam de defectu delegationis Apostolicae, qui iam sanatus est, dici nequit apprime in reliquis concinnatus ad tramites Benedictinae Constitutionis *Dei Miseratione* et Instructionis S. C. Congregationis an. 1840 *Cum moneat glossa:* in eo siquidem plures adinveniuntur irregularitates. In inspectione corporis mulieris non sunt adhibitae obstetrices cum honesta matrona et balneum aquae tepentis: non intervenit formalis interrogatio actricis, sed tantum elicita fuit ab ipsa *fassio benevola* cum

(1) Recole Vol. XXVII, 141.

nonnullis quaesitis informibus positis a defensore matrimonii: haec *fassio benevola* non illico fuit roborata iuramento fatentis, sed tantum post mensem seu sub die 8 Novembris 1894, dum confessio locum habuit die 8 Octobris praecedentis: non sunt acciti testes septimae manus ex parte viri: demum interrogationes pro testibus positae fuere non a vinculi defensore, sed ab ipsa actrice.

Verum haec tanti non sunt ut me removere valeant a pandita sententia I°. quia in huiusmodi summariis et gratiosis iudiciis non servatur ille rigor qui attendi solet in iudiciis super nullitate matrimonii: in causis dispensationis super matrimonio rato et non consummato sufficit, ut habeatur ex actis processualibus moralis certitudo de inconsummatione et de causis ad dispensandum, quam in casu proposito adesse evincam: audiatur Cosci *de separat, tori coniung. lib. 3 cap. 2 n. 126:* « In summario et gratioso dispensationis iudicio sufficiunt probationes mere coniecturae suppletivae et adminiculativae per iudicem ponderandae et coniungendae. » Consonat Gonzalez *de conver. coniung. n. 7* et alii passim, sed clarius Ursaya *Discep. eccl. tom. 3 dis. 21.* « Quando non insistitur apud iudicem pro resolutione matrimonii per viam iustitiae, sed petitur a principe illius sola dispensatio per viam gratiae, non debet concurrere rigor ille probationum, qui de iure requiritur in primo casu, sed princeps potest etiam moveri ab extraiudicialibus demonstrationibus.... et ad inclinandum animum S. Pont. pro dispensatione in matrimonio rato sufficit nullam urgere suspicionem consummationis eiusdem matrimonii ». Confer etiam resolutionem S. Cong. C. *Nicosien. Matrimonii 19 Ian. 1889.* 2°. Quia superius recensitae irregularitates vel non sunt substantiales, vel tales, in quibus facile soleat dispensari: sic millenae habentur resolutiones, in quibus indulta est dispensatio, quamvis ad inspiciendum mulieris corpus vocati fuissent tantum physici seu medici et non obstetrices cum honesta matrona : ita admissa fuit depositio testium roborata ex iuramento post aliquod tempus

dato uti videre est in *Strigonien. Matrimonii 16 Decembris 1893* et in *Florentina 28 Ianuarii 1877:* quin imo in memorata *Strigonien,* dispensatio concessa fuit, etiamsi desideraretur depositio testium septimae manus ex utraque parte, et adessent tantum iurata confessio utriusque coniugis et peritia medica. Demum hic abs re non erit adnotare quod quamvis processus non sit institutus ad probandam nullitatem matrimonii ex capite vis et metus, tamen super hoc gravia habentur indicia ex nonnullorum testium depositionibus, et circumstantiis in facti specie delibatis; et via gratiae forsan inita est, utpote in casu facilior*.'

Hisce praestitutis ad omnem difficultatem ex adverso diluendam, et ad clariorem quaestionis intellectum, dico quod de inconsummatione matrimonii constat ex duplici argumento, nempe morali et physico.

Exordiar ab argumento morali: actrix Theresia, in sua *fassione benevola,* postea iuramento firmata, ita declarat « matrimonium quod cum Stephano contraxi . . . consummatum non est » et re enarrata de dormitione separata, uti in specie dictum est, subdit « maritus non venit ad me et ego non ivi ad illum etiam mater audivit quando maritus dixit: ergo non venis ad me? mater mea mortua est. Primam diem nuptiarum, nimirum noctem a feria secunda ad feriam tertiam insomnes transegimus et neque decubuimus, ideo proprie una nocte fuimus simul » ; et inferius « istis (testibus) dixi maritum me non tetigisse » ; de Theresiae vero religiositate, veracitate, et probitate testes adducti et rite examinati praeconium reddunt uno ore.

Ex relatis itaque inconsummatio matrimonii liquet ex assertione iurata actricis Theresiae, roborata testimonio saltem quintae manus, quod *eos cap. 8 de purgai, canon,* eamdem vim habet ac testimonium septimae manus, nil relevante quod adducti testes sint tantum de credulitate, cum hi praecise exigantur ex praescripto Instructionis S. C. Congregationis an. 1840. Iam vero iuratam unius coniugis confessionem, coniunctam cum depositione propinquo-

rum vel vicinorum bonae famae sufficere ad probandam matrimonii inconsummationem, quando altera pars est contumax aut negans, plures iuris textus edocent ut *cap. Proposuisti nobis, De probationibus; cap. Quod autem 29, quaest. 2 can. 1; cap. Continebatur De dispensatione impub.,* et signanter S. C. C. in una *S. Iacobi de Chile. Dispens, matrim. 12 Maii 1894.*

Quid plura? adducti testes nedum fidem faciunt de honestate et veracitate actricis Theresiae, sed etiam cum ista concordant in enarrandis circumstantiis cum quibus matrimonium locum habuit.

Scio hic duo opponi posse I° cohabitationem coniugum etsi per breve tempus duorum dierum, ex qua oritur praesumptio matrimonium fuisse consummmatum; 2° absentiam viri in processu. Ad 1um breviter respondeo, quod etsi obiecta praesumptio sit iuris et de iure, tamen contra eam recipi solent probationes uti S. C. C. edocet inter alias in una *Versavien. Dispensationis matrim. 24 Feb. 1894,* in qua, quamvis coniuges insimul cohabitassent per mensem fere integrum, et non constaret de integritate mulieris, quia violata fuit ab alio viro, tamen concessa fuit dispensatio (1).

Deinde in casu nostro, praeter argumentum physicum integritatis, de quo inferius, concurrit circumstantia quod Theresia in sponsum nullo amore ferebatur, sed potius odio, quia eius amor sacratus erat alteri iuveni, iam sibi desponsato et quem ex corde deperibat: iam vero honestae puellae non tam facile praesumuntur facere copiam corporis sui viro, quem detestantur.

Ad 2um nempe quoad absentiam Stephani respondeo, quod ipse rite citatus fuit per edictum affixum ad valvas Ecclesiae parochialis Bathensis, ad comparendum infra duos menses, uti constat ex documento in actis: et hanc formam citationis servari, quando unus ex coniugibus latet et locus eius commorationis ignoratur, testis est S. Congregatio

(i) Confer Vol. XXVII, 18.

Concilii in *Wormatien. Matrimonii 7 Iulii 1731* et in *Mediolanen. Matrimonii 20 Novemb. 1734;* aliunde non desunt exempla, in quibus una ex partibus, contumace vel invita existente, dispensatio data fuit: et ratio est quia, quando constat de matrimonii inconsummatione et de iusta causa ad dispensandum, repugnantia vel contumacia unius ex coniugibus non potest impedire Pontificis potestatem, et aequum non est quod ex ipsius resistentia alter coniux praegrave tur. Haec de argumento morali, nunc ad argumentum physicum seu anathomicum, desumptum ab inspectione corporali actricis Teresiae peracta a peritis in arte.

Vix recolendum puto quanti hac in re peritorum praesertim iudicialium auctoritas sit facienda cum hi, teste Card. De Luca *de iudiciis disc. 33, n. 20* « potius ad iudicandum quam ad testificandum assumantur » et Abbas in *cap. 2 de Probationibus* tradat quod « iudex secundum eorum testimonium sententiam proferet » haec enim est nimis vulgata et trita doctrina.

Age vero nunc expendatur quale et quantum sit peritorum testimonium. Duo medici honestate, religione et scientia praestantes, seorsim peracta inspectione corporis Teresiae, iurati de integritate hymenis et de aliis virginitatis notis in femina repertis deponentes, in conclusionem deveniunt, Teresiam virginem esse, integro permanente hymene. Haec integritas hymenis a medicis reperta in themate per se sufficeret ad asserendam inconsummationem matrimonii, quia iurisprudentia S. C. C. retinet, matrimonium, hymene integro, non esse consummatum, nisi ex medicorum examine et attestatione aliud constet, Gasparri *Tract, can. de matr. n. 1065:* sed ulterius in instante Teresia omnes aliae "virginitatis notae concurrunt. Quare si in huiusmodi quaestionibus iudex peritorum testimonio stare debet, iuxta superius tradita , necessaria conclusio fluit, matrimonium Teresiae inconsummatum mansisse; nihil in contrarium faciente defectu usus balnei aquae tepentis et non interventu obstetricum cum honesta matrona, quia haec in praxi fere ab

aula recesserunt, ut pluribus decisionibus S. O. C. probari posset.

De causis dispensationis loquendo Consultor ait : I[a] Causa est maxima aversio et odium quo Theresia afficitur erga Stephanum, siquidem ipsa primo coacta fuit ipsi nubere contra suam voluntatem : et reconciliatio Teresiae cum suo sponso est prorsus impossibilis ob odium implacabile, quo fertur erga ipsum, ut omnes testes deponunt ad 14 quaestionem.

2[a] Causa est periculum incontinentiae. Theresia est in pleno vigore suae aetatis, trigesimum annum iam numerans, et testantibus medicis, est sana et robusta, proinde obnoxia aestuantis libidinis motibus. Iam vero has duas causas sufficere ad dispensationem tradit supra citatus Cosci *De sep. tori lib. h n. 250., 259.* Sed et adest in casu 3[a], eaque gravissima et specialis causa, nempe periculum apostasiae.

VOTUM CANONISTAE. Matrimonii inconsummatio, ait Consultor, triplici argumentorum genere probari solet: I[o] testimonio iurato ipsorum coniugum ex septimae manus testimonio corroborato ; 2° praesumptionibus ; 3° corporis mulieris inspectione.

Atqui hoc triplex argumentorum genus hic concurrit ad probandam matrimonii inconsummationem.

Ac I[o] attestatio iurata unius coniugis, seu mulieris, cum maritus contumax sit.

Mulier, sub iuramento, iudici fassa est: paratam esse sese subiicere corporis inspectioni, cum virum non cognoverit.

Quanti autem fieri debeat huiusmodi mulieris confessio probatur non solum ex adnexo iuramento *cap. ex litteris 32 Iureiurando,* sed potissimum ex testimonio septimae manus.

Mulieris attestatio confirmatur praeterea variis adminiculis et praesumptionibus. Et sane unica nocte in uno cubili, sed lectis separatis neo-sponsi dormiere et quidem praesente matre, quae in alio lecto dormiebat.

Tandem, quod omnem dubitationem de non consummatione matrimonii adimit, est iuratum duorum medicorum iudicium de mulieris integritate, post factam inspectionem.

Probationibus collectis a consultore adversantur observationes defensoris ex officio; quas tamen diluere studet idem consultor.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Quod anno 1889 die £5 Novembris, annos 24 nata, Teresia cum Stephano in aetate annorum 32 constituto, matrimonium contraxit, opere imperfectum mansisse contendit.

Si Teresiam audias, neoconiuges unquam fuerunt *solus cum sola.* Scilicet nuptiarum diem atque insequentem noctem inter convivía transegerunt; neque cubitum ivere: altera nocte uno eodemque in cubiculo Teresia, mater atque Stephanus distinctis dormierunt in lectulis : tertia autem die Stephanus discessit, evasit, erupit.

Incivile haud est infìciari Teresiam et Stephanum prima post nuptias nocte lectum non conscendisse, altera autem diversis cubasse in lectulis. Id enim UNUS tantum, Teresiae pater, de scientia propria, testatur. Sed impune illud dare possum: non statim namque exinde consequitur matrimonium inconsummatum.

Reque vera nemo auctor est Teresiae matrem noctem duxisse vigilem. Quid igitur prohibuit quominus coniuges sive nocte ista temporis intervallo, quo mater somno operam dabat, sive prima nocte et duobus illis diebus, remotis arbitris, convenerint? Idque contigisse suadent omnia; quia Stephanus, vir militiae addictus, palaestrae geniali assuetus erat.

Nec me movent Catharina Szumèrck et Maria Gajdos, quae testantur se inconsummationem matrimonii accepisse a Teresia ALIQUOT POST NUPTIAS DIEBUS. Tempore nam suspecto id accidit. Porro Teresia fatetur ingenue : « Istis (Catharinae Szumèrck et Mariae Gajdos) dixi, maritum me non tetigisse, quia existimabant EUNDEM ME TANTUM IDEO DUXISSE UT MECUM COPULAM CARNALEM PERFICIAT ».

Neque Teresia in hoc mentitur. Etenim Maria Gajdos rotunde narrat: « Quaestionem hanc consummati matrimonii ideo illi, Teresiae, posui, quia in civitate rumor ferebatur,

quod Stephanus NISI CARNALITER VOLUERIT ILLAM, Teresiam, COGNOSCERE ET DEINDE DESERERE ».

Inaniter autem *septimam manum* et physicum seu anathomicum argumentum obiiceres. *Septima* enim *manus,* imperfecta incompletaque est quemadmodum sapienter advertit eximius consultor theologus. Anathomicum vero argumentum parvipendo, quia mulieris inspectio ceu notat idem consultor, praetermissis praecipuis, quae ad praecavendas fraudes atque deceptiones invectae sunt, circumspectionibus, peracta est.

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra O. C. re disceptata sub die 12 septembris 1896 censuit respondere : *Attentis peculiaribus circumstantiis, praevia sanatione actorum, affirmative.*

MELE VITAN A

EMPHYTEUSIS

Die 12> Septembris 1896.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. In Dioecesi melitensi moniales Benedictinae a Sancto Petro nuncupatae in oppido — *Notabile* — institutae, *die 4 Novembris 1894* in emphyteusim quaedam sua bona concesserunt, ad 99 annos valituram corniti Carolo Strichland, ea sub conditione, ut tempus constitutum decurreret a die obtentae veniae a Sede Apostolica. — Illud etiam adiecerunt pactum, Emphyteutae nimirum integrum esse contractum resolvere post decem annos a capta possessione, si interim experientia docuerit, canonem emphyteuticum libellarum 3125 *(lire sterline 125)*

imparem esse fundi reditibus. — Tempore enim quo contractus fuit initus conditiones rei agrariae in peius iam vertebantur, neque spes affulgebat, has cito in melius cedere, imo aderat timor ne peiores efBcerentur. Quare ad faciles praecavendas lites, determinatum fuit 10 annorum tempus, quo elapso, emphyteutae, experientia edocto, fieret locus poenitentiae.

Die 17 Ianuarii 1895 moniales supplicem dederunt libellum pro obtinenda venia apostolica quoad hunc contractum. — Sed ne haec concederetur, se opposuit emphyteuta, asserens, res agrarias brevi temporis decursu eo devenisse, ut canon constitutus anno 1894 iam sit nimis gravis, et minime aequus.

Ordinarius rogatus de informatione et voto, retulit ex peritorum iudicio contractum emphyteuticum esse Monialibus utile, quum his in adiunctis canonem annuum in libellis 3125, nunc ex libellis 2500 satis esse posset. Qua de re Moniales orant, ut contractus iste ratus habeatur a Sede Apostolica : et nullimode intelligunt pretium conventum diminuere. Emphyteuta e contra orat ne beneplacitus apostolicus accedat huic conventioni, adversus quam aequitas clamat post agrariam crisim ; et precatur canonis pretium redigatur ad libellas 2100.

Disceptatio Synoptica

IURA EMPHYTEUTAE. Emphyteutae intentioni haec videntur favere argumenta. Nimirum hic non agitur de emphyteusi *proprie* dicta, sed de *impropria* emphyteusi res est. Nam canon constitutus non eo tantum spectat, ut domini recognoscatur ius, et proprietas in fundo, prouti exigit canon vere emphyteuticus ; sed in themate canon illius est quantitatis, pene correspondentis ordinariis fundi reditibus, seu potius habetur *locatio conductio.* — Verum quia aliae conditiones initi contractus reapse non respondent naturae *locationis* et *conductionis,* hic habetur contractus sui generis seu *innominatis,* cuius intentio est « *do ut des, do ut fa-*

das, facio ut des, » et ita porro: *Naturalis ff. De praes. verbis.* — Sed in contractu innominato fit locus *poenitentiae;* quod ita explicat Reiffenstuel *tit. De peccatis n. 192* «... in contractibus nominatis non *licet poenitere ;* id est a contractu resilire, altera parte non consentiente; ut patet ex *I. sicut 5 C. De act. et obi.* E contra in contractibus innominatis quantum est de iure civili non solum licitum est cuilibet parti, *re integra, poenitere...* sed etiam is, qui ex sua parte contractum implevit antequam alter eum impleat, potest adhuc poenitere et si quid idcirco solvit, datam pecuniam repetere; dummodo alter servetur indemnis etc.

IURA MONIALIUM. Sed ex adverso non attendenda videtur emphyteutae instantia, quia quidquid sit de subtilitatibus iuris civilis, iure can., *arg. c. 1 De pactis,* pacta religiose custodienda sunt. Hinc Reiffenstuel *I. c. n. 114* citatis pluribus auctoritatibus, ait: «Nam., spectato *iure canonico* in contractibus innominatis poenitere non licet, si adversarius paratus sit fidem servare et contractum adimplere, neque in mora est hunc adimplendi... ». Quocirca sive nominatus, sive innominatus habendus sit praesens contractus, non videtur locus esse *poenitentiae,* seu emphyteutae instantiae. •— Eo magis vero repellenda est huius intentio si duo considerentur. *Primum* quod in contractu ineundo expresse cauta est conditio immutati reditus fundi et exinde, facta est emphyteutae facultas resiliendi ab obligatione contractus post experimentum 10 annorum. *Secundo,* in themate de monasterio monialium agitur, nempe de persona morali in iure aequiparata *minoribus,* qui maximo fruuntur favore; arg. *cap. 1 et seq. in tit. De r est. in integrum.* Hinc eorum acta usque sustineri debent, neque permitti ut rescindantur quando inde aliis oriretur emolumentum et ipsis damnum, etsi huiusmodi acta a maioribus posita ordinarie sustineri non soleant, iuxta celebre effatum *I. Non eo minus C. De procuratoribus « Minoribus enim aetas in damnis subvenire, non in rebus prospere gestis obesèe consuevit ».*

Quibus animadversis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita sub die 23 Ianuarii 1897, censuit respondere : *Non esse locum deminutione canonis, et concedendum Monialibus apostolicum indultum pro confirmatione contractus diei 4 Nov. 1894.*

NEAPOLITANA

NULLITATIS MATRIMONII

Die 12 Decembris 1896.

Sess. 24, Cap. 1 et 5, De reform, matr.

COMPENDIUM FACTI. Mathildes ignotis orta parentibus recepta Neapoli in hospitio *expositorum,* B. M. Virgini ab Angelo salutatae dicato, cum expleverit nonum annum in filiam adoptata fuit a coniugibus Alphonso et Rosa civitate *Torre Annunziata.* Sed post tres annos ob Rosae mortem redire debuit ad praedictum hospitium, in quo vero brevissime mansit, unde eam apud se receperunt coniuges Paduano loci *Boscotrecase.*

Quum autem a familia Paduano paulo post calumniata fuerit, publice per medicorum examen probata sua innocentia, deseruit calumniatorum domum rediens ad hospitium. Dum Mathildes penes familiam Paduano morabatur obviam habuit iuvenem Angelum 24 annorum, et ipse illegitime procreata eodemque in hospitio expositus, qui eam deperire cepit atque in sponsam postulavit. Quapropter Angelus frequenter eam in hospitio visitabat et de contrahendo cum ipsa ma.-trimonio allocutus est Moniales, quae ibi puellarum educationi praesunt. Ut autem nuptiae brevi conciliaren tur, videntur Moniales consuluisse Angelo, quod Mathildes iterum excepta esset in domo Alphonsi Manzo.

Puella rediit apud familiam Alphonsi et quantocius, cum explevisset 14 aetatis annum, matrimonium constitutum fuit

atque celebratum *die 12 Martii 1877* coram parocho Ecclesiae S. Annae oppidi *Boscotrecase,* ubi et Angelus domicilium habebat.

Tales nuptiae, quae asseruntur conciliatae absque Mathildis consensu, imo ipsa reluctante, prorsus infelicem sorti tae sunt exitum. Nondum enim sponsi duos menses in vita coniugali transegerant et iam, ut ipsi narrant, dissidia inter eos exorta erant, quae statim continuas rixas, iurgia, conviciaque pepererunt. Uxor pluries deseruit virum, aufugiens cum amasiis, ac tandem post unum annum cum dimidio a matrimonio, vita coniugalis definitive dissociata fuit, utroque in adulteria proruente.

Postea vero miserentis Dei auxilio Mathildes sua peccata deflens ad piam Domum sub titulo *Boni Pastoris* Neapoli confugit, ubi et in praesens moratur. Edocta decursu temporis, sicuti refert, de nullitate sui matrimonii ob consensus defectum, supplex neapolitanam Curiam adivit, expostulat, ut matrimonium ab ipsa cum Angelo initum, nullum atque irritum declararetur ex deficientia consensus ob metum reverentialem coniunctum cum minis.

Curia Neapolitana, accepta actricis instantia, canonicum processum initiavit, omnibusque de iure servandis servatis, sub die *4 ianuarii 1893* hanc protulit sententiam : « Matrimonium initum die 12 Martii 1877 inter dominum Angelum et Mathildem fuisse irritum, cassum et nullum ex defectu consensus dominae Mathildis, quippe certo a domina ipsa contractum ex coactione et metu gravi a causa libera iniuste illato ad consensum ad matrimonium extorquendum ».

Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. Voluntarium, uti notum est, duplici elemento constat, sc. intellectus cognitione et voluntatis inclinatione, ita ut quidquid unum vel alterum ex his elementis tollit vel minuit, tollit vel minuit voluntarium.

Iamvero, quamvis aliquot testes videantur negare in

Mathilde intellectus cognitionem, tamen ceteri hanc absque ulla haesitatione admittunt.

Relate vero ad testes qui huiusmodi cognitionem negare videntur, advertendum est, aliud esse, quod contrahens « rationis usu ita polleat, ut matrimonii contrahendi vim et naturam intelligat », Benedictus XIV Const. *Magnae nobis* 29 Iunii 1748, quod necessarium est et sufficit ad matrimonii validitatem, aliud vero quod tali consilio et prudentia polleat, ut matrimonium non solum valide contrahere possit, sed etiam cum spe felicis eventus ; atqui testes hoc alterum negare videntur, *spectata characteris levitate,* non vero primum.

Ceterum Mathildes, quando matrimonium contraxit, 12 aetatis annum iamdiu expleverat. Atqui in iure canonico statutum est, *tit. IV Dec. tit. 11 de dispens. Impub.*, matrimonium completa utriusque partis pubertate, seu completo 14 aetatis anno in viro et 12 in femina, uti validum habendum esse, nisi malitia suppleverit aetatem, quod quidem in casu nostro haud verificari patet ex sententia Curiae Arch. Neapolitanae, in qua, ad definiendam matrimonii invaliditatem, nullimode appellatum est ad cognitionis defectum et ad corporis inhabilitatem, quae duo malitiam important. Quare inutile est magis insistere in probando quod non defuerit voluntarium ex parte cognitionis defectus.

Sed quid de voluntatis inclinatione ? Porro ex universo processu satis probatum esse videtur, puellam sub aliquo metus influxu consensum in matrimonium dedisse.

Cum vero non quilibet metus matrimonium dirimat, sed tantummodo metus gravis, iniuste incussus et ad extorquendum consensum directus, (communiter Iuristae et Moralistae) : investigandum nunc est an revera metus sub cuius influxu Mathildes suum consensum dedit omnes has proprietates habuerit.

Atqui mihi saltem videtur haud certo probari posse ex actis et probatis, metum fuisse gravem, iniustum et ad extorquendum matrimonium directum.

Porro quoad gravitatem metus, ita in sententia Curiae archiepiscopalis neapolitanae describuntur mala, sub quorum influxu matrimonium contraxisse asseritur. « Alphonsus *minabatur eiectionem e sua domo,* et consequenter totalem disertionem, si puella renueret nubere eidem Angelo. Timor sub eiusdem expulsionis comminatione, si est in se gravis uti tradunt doctores, et propter circumstantias est magis vel minus: in casu censendus est perquam gravis. Agitur de puella quae nondum tertium lustrum aetatis attigerat, prompto ingenio praedita, animi hilaritate et voluptate perfusa, cuius phantasia equidem perquam fervida esse debebat. Omnimoda undequaque derelictio expulsionem illam comitabatur. Quo poterat se recipere? Parentes eam latent, nemini mortalium res eius cordi sunt, destituta est enim auxilio. *Minatur quoque Alphonsus illam iterum ducere Neapolim apud piam domum, Ave gratia plena ;* sed haec prae oculis dicta adiuncta habentes, minus malum non erat. Tertio enim Mathildes illuc redibat : quod quidem eius nomini labem inferret, eique dedecus pareret et solitudinem illius loci abhorrebat ».

Itaque duo sunt mala quae ut causa metus in animo Mathildis afferuntur, idest timor reverentialis una cum minis et in specie electione e domo Stephani, ac regressus ad piam Domum Annuntiatae.

Iam vero, ut ab hoc altero incipiam non videtur Mathildes illud tanti fecisse ut assignari possit tanquam causa timoris gravis : nam in opinione Mathildis regressus in piam Domum Annuntiatae tanti non fiebat, ut assignari possit tanquam causa gravis metus; ipsa enim praeferebat hunc regressum ipsi matrimonio : quod mirum esse non debet cum permanentia in eadem domo haud tetris coloribus a Mathilde describatur.

Sed neque timor reverentialis una cum minis ac praesertim electione e domo familiae Alphonsi considerari posse videtur ut causa timoris gravis in Mathilde.

Etsi Mathildes filia non esset, nec per proprie dictam

adoptionem Stephani, tamen cum sub eiusdem cura esset, a quo in familiam suscepta fuerat, optime admitti potest in ipsa puella timor aliquis reverentialis, qui iuxta Sánchez *De Matr. lib. IV disp. VI n. 25* « datur in eo qui iure aliquo subiectionis alteri subest ». Conveniunt tamen DD. hunc timorem non irritare matrimonium, nisi coniunctus sit cum minis, S. Alph. *De matr. n. 1056,* seu saltem « timeatur gravis et diuturna indignatio illius personae, a quo hominis vita et fortuna, spectatis omnibus circumstantiis, dependet » Ballerini, *Opus theol. mor. De matr. n. 1126.* Atqui in praesenti relictis aliis minis, ut puta mortis, quae, evidenter in casu nostro ut vanae habendae sunt et tantum oretenus prolatae, Sánchez */. c. n. 23,* quoad *electionem* ea non videtur tanti facienda ut considerari possit tanquam causa gravis timoris ; nam hic non agitur de filia respectu patris, sed potius de famula respectu heri ; quare *a)* non verificatur in Mathilde ille amor ac reverentia quam habet filia erga patrem suum ; *b)* nullum ius habebat Mathildes ad haereditatem ac bona Stephani; c) exhibetur Stephanus ut homo avarus a quo proinde parum vel nihil sperare poterat Mathildes.

Tandem, quod potissimum est, ad hoc, ut metus tanquam gravis habeatur docent DD. cum Sánchez *De matr. lib. Il, disp. 1, n. 23:* « ne possit timens facile occurrere malis quae timentur : si enim posset alia ratione occurrere malis quae timeantur, ut implorando alicuius auxilium, consulendo superiorem, ita non esset timor cadens in virum constantem ». Atqui Mathildi semper praesto erat, ad evitandas minas Stephani, recursus ad Superiores piae Domus Annuntiatae ac reditus ad eamdem domum, ita ut nulla comparatio fieri possit inter casum hunc et casum puellae cui minitatur suus pater eiectionem e paterna domo.

Tandem Consultor ait, neque probatur *certo* metum fuisse iniustum atque ad consensum extorquendum directum.

Ac in primis conveniunt DD., metum non esse iniustum si quis cogatur etiam a iudice per censuras ad contrahen-

dum matrimonium, ad quod tenetur vi sponsalium, Ballerini *Matr. n. 1128.* Atqui in casu *probabile videtur* sponsalia intercessisse inter Angelum et Mathildem, antequam mulier iterum in familiam Manzo reciperetur; et quin imo, nonnisi ad facilius matrimonium contrahendum a Stephano susceptam fuisse satis constat ; non potest ergo, saltem certo, iniustitiae damnari Manzo si huius matrimonii celebrationem urgeat.

Quomodo autem dici potest ad contrahendum directus metus, si Manzo, ut ex factorum narratione resultat, anxius ne quid grave accideret Mathildi ob sui characteris levitatem eius electioni obtulit vel matrimonium contrahere cum Angelo, quod quidem ipse mulieri perutile fore credebat, vel iterum ad Piam domum Annuntiatae redire, quo se exhonerare intendebat a cura levissimae puellae, quam ex charitate susceperat et libertatem relinquere Mathildi sese in matrimonium coniungendi cui magis placeret?

Ex iis quae huc usque discussa sunt, satis mihi probasse videtur haud certo probari ex actis et probatis metum fuisse gravem, iniustum et ad extorquendum consensum directum; atqui iuxta Inst. S. Inquis. 20 Iunii 1883 *(art. 3, n. 39)* « matrimonium... semper validum censeri debet, *nisi evidentes rationes* eiusdem nullitatem demonstraverint ». Quare ad Dubium : « *An sententia Curiae Archiepiscopalis Neapolitanae confirmanda sit in casu* », mihi videtur respondendum esse : *Non constare de nullitate matrimonii* ».

VOTUM CANONISTAE. Alexander III docuit confessiones coniugum non esse satis ad probandum, quia possunt contra indissolubile ligamen conspirare; si tamen ab eorum ore labitur aliquid, quod contra eorum instantiam sit et matrimoniali contractui faveat, illud sane oportet colligere, atque evolvere, ut veritas enucleata lucescat. Sponsi non potuerunt ad invicem convenire in mutuis confessionibus explicandis, quia sponsa morabatur et adhuc moratur in claustro, nec aliquis extat qui testificatus est Mathildem in pago

Boscitriumdomorum nec una hora fuisse a die qua a dòmo viri sui discessit, nec Angelum Neapolim visitasse.

Confessio mulieris non est circumdata circumstantiis aequivocis; patefacit rationes, quibus nitebatur sua repugnantia ad nubendum Angelo; scilicet quod ipse erat pauper agricola ; lucrum laborum suorum erat libella una singulis diebus quando colebat agrum alicuius; erat deformis et non allicièbat, moribus rusticanis conversabatur, et iracundus. Aperit cor suum sicut puella nondum malitiae fascinatione irretita. Identicus suus sermo, nec se excusat, nec sponsum accusat. Non viro suo imputât causam nullitatis matrimonii sed sibi. Narrat enim praeter alios iuvenes, qui manum eius quaerebant, amasse ipsam, iuvenem cognomento Izzo civilibus moribus, et urbana conversatione et pulchritudine amabilem. Cum ipsa esset venusta et alacri ingenio donata a Deo, et in hospitio instructa eleganterque educata, naturaliter agricolam rudemque respuebat. Quando loquitur de consummatione matrimonii confitetur cogitasse sicut puellae cogitant, et ipsa tunc erat annorum tredecim. De impedimentis et conditionibus matrimonii nulla ei aderat cognitio, ut ipsa affirmat ; et huiusmodi sunt puellae eiusdem aetatis. Sed sinceritas confessionis eius patefit magis magisque ex eo quod ipsa noluit adducere testes, ex sua parte, ab ea electos, sed proprio parocho hoc omnino commisit. Erat ergo de sua confessione ita secura ut minime timeret ne per testes fuerit arguta de mendacio. Qui amat et loquitur veritatem non odit lucem.

Sponsus pariter in sua confessione sincerus apparet. Revera ipse contradicit puellae cum loquitur de prima sua allocutione cum ea. Ait enim, quod interrogata, an acciperet eum in maritum, respondit iuvenes esse volubiles; huiusmodi conceptus non invenitur in confessione mulieris, et fortasse ita locuta sit, sed alia quae Mathildes narrat se dixisse, bene possunt cum huiusmodi coniungi conceptu, idque non destruit argumentum supplicantis eiusque sinceritatem.

Simplex erat Angelus et in simplicitate cordis narrat ea quae antecesserunt matrimonium. Mathildes vero, quamvis puellula, erat sagax nimis, et ut rediret ad Boscumtriumdomorum ubi amatores eius erant, affectabat amorem et studium redeundi ad parentes eius adoptivos.

Mathildes ait quod in domo Stephani obstitit parentibus adoptivis et renuit matrimonium inire cum Angelo ; qui quasi eandem rem confessus est : et alia enarravit, quae contra ipsum valebant, dum ipse desiderabat ut Mathildes reverteret post tot annos in domum suam. Sinceritatem confessionum sponsorum quoad substantiam testimoniis confirmari paulo post videbimus evidenter.

Angelicus doctor divus Thomas ait, sicut ad diligendum ea, quae nos delectant, in quantum ex hoc ipso accipiuntur ratione boni : ita movemur ad odium adversus ea, quae nos contristant, in quantum ex hoc ipso accipiuntur sub ratione mali. Non poterat puella ita diligere Angelum ut in supremo gradu affectus, quo sistit confugium, animus eius quiesceret. Quid enim alliciens in Angelo reperiebatur? Non venustas, non patrimonium, non ingenium, non urbanitas, sed opposita. Quomodo poterat Mathildes quae pulcra erat, diligere Angelum? Simile appétit sibi simile. Huiusmodi defectus in Angelo erant contristantes animum Mathildis in quantum sub ratione mali concipiebantur. Et revera si, perfectiones sunt bona, defectus mala sunt, quia malum est negatio, et privatio boni, ex qua privatione oritur odium.

Praeterea ut ipsamet confessa est, Mathildes conversabatur cum iuvene cognomento Izzo, vulgo Perrelli, quem magno amore prosequebatur ; quomodo poterat insimul amare Angelum ? Iuvenis Izzo erat pulcher, urbanus, et civilis conditionis, cum quo ipsa familiari et continua relatione utebatur; non poterat cor unum venustum et deformem rudern et civilem uno tempore insimul diligere. Verum in mutuo amore sponsorum nititur et in extrema amoris tendentia quae unionem requirit, matrimonium consistit praestito mutuo consensu. Si deest amor non potest haberi con-

sensus sincerus, ac proinde matrimonium nullatenus haberi potest.

Testes unanimiter deponunt, Mathildem non modo non dilexisse Angelum, verum etiam odisse. Qui amat non irridet, non obiurgationibus afficit amatum, non eius mortem desiderat. Sed Mathildes confitetur cupi visse mortem Angeli, et testis deponit eam derisionibus Angelum tractasse eumque continuis conviciis oppressisse: quomodo opinari potest dilexisse Angelum eius amantem ?

Ex dictis manifeste apparet Mathildem nunquam adhaesisse adoptivorum suorum parentum voluntati, qui eam matrimonio coniungi cum Angelo desiderabant. Repugnantia habitualis inerat in Mathilde relate ad istud matrimonium ac proinde habitualis dissensus. Quomodo potest inferri consensus ex habituali dissensu ? Quomodo a negationibus continuis potest deduci affirmatio? Illogica methodus est, ac innaturalis illatio ; sed matrimonium in consensu consistit, ut ex crebris definitionibus Pontificum et ex conciliis habetur. Matrimonium igitur Angeli cum Mathilde si antecedentem habitualem dissensum habuit, profecto non potuit consisti in consensu.

Omnes testes conveniunt in hoc, quod Mathildes odivit Angelum, Mathildes cum Angelo matrimonium nolebat inire. Praecedentibus huiusmodi non poterat deduci veritatem consensus ex parte Mathildis. Consensus non esse debet unius, sed mutuus. Ex parte Angeli aderat, sed minime sufficiebat. Deficiente causa sacramenti deficit ipsum sacramentum. Causa sacramenti matrimonii est mutuus consensus, non sufficit unius. Et ad rem valet hic doctrinam omnium canonistarum a P. Sánchez in compendium redactam.

« Dupliciter potest intelligi, ut consensus sit causa matrimonii. Primo quia est sacramentum et sic dicitur causa in quantum consensus est causa externi contractus matrimonii, in quo consistit ratio sacramenti ; et secundum hoc non solum est causa efficiens extrinseca, sed etiam causa formalis et intrinseca, quia verba contractus in quantum in se ipsis involvunt mutuos con-

sensus et illos exprimunt, sunt materia et forma huius sacramenti. Et confirmatur quia intentio ministri et recipientis sacramentum est de illius essentia ; et contrahentes ipsi sunt ministri huius sacramenti et recipientes. Ergo eorum consensus et intentio est de eius sacramenti essentia. Secundo modo intelligi potest consensum ipsum esse matrimonii causam in quantum matrimonium est coniunctio quaedam maritalis viri et feminae, et hoc modo consensus, in quantum exprimitur per verba, est causa efficiens et extrinseca matrimonii ; et quamvis non sit de eius essentia, est tamen ita necessarius, ut numquam possit matrimonium absque illo consistere >. Sánchez. Consensus est consequentia et applicatio amoris. Si coniuges mutuo amore non prosequebantur^ vel una pars minime diligebat alteram, quomodo dicitur fuisse verum consensum?

Testes adducti retulerunt, Mathildem numquam dixisse amare Angelum aut cum eo inire velle matrimonium, a parentibus adoptivis sibi propositum.

Ad confirmandam veritatem, quae a testibus unanimiter prolata est, tam ex parte actricis, quam Angeli oportet considerare quod non solum coram Vicario foraneo, sed etiam coram publico magistratu declararunt, actricem esse analphabetam, et pro eius subscriptione signum crucis adhibuere dum Mathildes bene fuit in uteris humanis instructa usque ad quartam elementarem classem. Huiusmodi substitutionis ratio sufficiens, ignorante actrice, erat dolus qui a dissensu eius procedebat.

Libertas plena requiritur in matrimonio ut validum dicatur, quae non debet esse limitibus et angustiis debilitata, sed plena ; non affecta metu, non insecura periculis, esse debet vera electionis libertas; praesertim si sponsa adhuc in adolescentiae stadio sistit.

Fletus continuus Mathildis non solum manifestabat repugnantiam ad illud matrimonium cum deformi et rustico viro contrahendum, dum alius iuvenis decorus eam amabat et in sponsam ducere eam desiderabat, sed etiam exprime-

bat amissionem omnimodam libertatis, et metum gravem quod cor suum agitabat. Nulla dies erat vacua persecutionibus unde erat afflicta, quando agebatur de matrimonio ineundo cum Angelo. Huiusmodi antecedentia producere poterant verum consensum? In iure statutum est quod sponsi vera libertate et securitate debent omnino gaudere.

In iure legimus cap. 14 *Cum locum* de Sponsal.: « Cum locum non habeat consensus, ubi metus et coactio intercedat, necesse est, ut ubi assensus cuiusque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur, et ubi de ipso quaeritur, plena debet securitate ille gaudere, cuius est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere quod odit ». Divus Thomas quaest. 47 art. 2 huiusmodi verba explicat scribens : « Cadere metum in aliquem est ipsum cogi metu. Cogitur autem aliquis metu quando aliquid facit quod alias vellet, ad evitandum illud quod timet ».

Mathildes puella quatuordecim annorum, plenam de matrimonio cognitionem non habebat. Omnes fere testes hoc deponunt. Cum esset suapte natura distracta et levis et volubilis dicere solebat, ad vitanda mala, scilicet vexationes adoptivorum parentum et ingressum hospitii Annuntiatae, dicam *volo* et recedam ab Angeli domo, quod notorium est in pago Boscitriumdomorum.

Hisce verbis manifestabat se non habere notionem veram matrimonii.

Verum consensus fuit revera coactus a metu cadente in virum constantem. Metus utpote passio cordis librandus videtur eo modo quo iudicia mentis evolvuntur. Quod leve malum est viro adulto et forti animo, est grave malum in adolescenti, gravissimum in puero qui tremore afficitur quocumque phantasmate. Quod in viro adulto et experto timorem non excitat, in muliere concitationem tremoris producit.

In puella quatuordecim annorum verba adoptivorum parentum minantia expulsionem e domo , restitutionem eius

ad hospitium, pondus magnum in corde puellae erant. Nam ipsa erat proiecta, quo poterat abire ? In hospitio eam expectabant sociarum irrisiones, temeraria iudicia, vexationes monialium, quae facile ipsam fuisse recalcitrantem et inhonestam essent suspicatae. In puella haec omnia erant gravia mala. Sed et testes deponunt coactam fuisse Mathildem probabiliter percussionibus.

Eminentissimi Patres fere omnes testes deponunt, Mathildem puellam quatuordecim annorum nescivisse effectum matrimonii quo ad consensum. Si consummavit illud, animus maritalis non aderat in ea, sed concupiscentia hoc patravit, et ut ipsa confessa est curiositate, ad experiendum quod ei dixerant aliae puellae in hospitio. Ipse Angelus confessus est quod in copula non commovebatur unquam Mathildes; puella verberationibus coacta, metu futuri tristis agitata, parentibus, consanguinibus affinibus orbata, nesciens quo ire, sub maxima indignatione coniugum qui eam non legaliter, sed verbo adoptarunt, et quamvis redire consentiisset, iuxta leges temporis, quae adhuc perdurant, ab hospitio egredi debebat anno XXI et ubi degeret ignorans, non est fortasse malum gravissimum incussum iniustissime ? Non dicam metum huiusmodi cadere in virum constantem ? Stante adoptivo patre in ecclesia, quando matrimonium celebrabatur, ipsa puella pro certo habebat ab illo rudi et crudeli homine non solum verbera, sed et expulsionem aliaque mala respectu sexus et aetatis eius gravissima fore perpessura. Fictum igitur consensum dedit, et iure matrimonium nullum fuit.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. In causa matrimonii Mathildem inter et Angelum, ex ignotis ambos ortos parentibus, anno 1877 Martii die 12 initi, non est cur ego multa loquar, post ea quae sapienter ac docte disseruit eximius consultor theologus. Unum tamen vel alterum purgatissimis EE. W. oculis supponam factum, quibus lance aequa perpensis, assertum metum nedum inter fabulas facile quisque amandat, verum etiam Mathildem An-

gelo vehementi voluntatis impetu compulsam nupsisse extemplo percipit.

Praeprimis audiendus est Angelus, qui in iudiciali examine narrat: quando Mathildes manebat apud coniuges Paduano, proposui eidem si vellet mecum matrimonium inire. Illis diebus moerore angebatur, eo quod iidem coniuges Paduano constituerant remittere Mathildem apud religiosas SSmae Annuntiationis. Puella ita gaudens excepit propositionem, ut quasi dubitaret de veritate. Elapsis duobus mensibus vere puella restituta fuit apud Religiosas, quae per septem menses permissum dederunt, ut coram eisdem loqueretur de matrimonio quamcitius ineundo.

Longe aliter rem narrat Mathildes : at facta inconcussa ipsam iugulant. Praeterquam quod enim non facile Angelus una cum matre molestiam Mathildi in gynaeceo attulisset, sanctimonialis gynaecei praeses dubio procul haud sivisset, Angelum per septem circiter menses ad invitam Mathildem, pluries quolibet mense, accedere et eam alioqui: nec sanctimonialis aliique pii loci moderatores Angelo in Mathildem amore aestuanti suasissent eam e gynaeceo educere, ut invitam citius uxorem duceret. Heic obiter adverto consultorem theologum iure optimo merito mirari, quod nec moniales nec alii pii instituti moderatores ad examen a reverendissima Neapolis curia adducti sint.

Sed veri, inquis, simile minime est puellam venustate praeditam ac civili vitae cultu, hominem agrestem atque deformem amore prosequi. Responsio est in medio: nec ego credo, Angelum Mathildis, cor captivum fecisse. At non ea erat Mathildes ut non nisi ei nuberet ac sui copiam faceret qui suum cor captivasset, nubere, cito nubere illa percupiebat, ceu ipsa ore fatetur et testes referunt.

Ipsamet actrix refert: quod in aetate 12 annorum reducta fuit apud pium educationis locum ; et dein tradita coniugibus Paduano, apud quos lacessita maiorum hominum calumnia, pati etiam debuit medicorum visitationem, a qua integritas eius probata fuit. Non inficior medicos cognitores

agnovisse physicam Mathildis virginitatem, at coniuges Paduano minime gentium peritis commisissent, ut Mathildis corpus recognoscerent, nisi suspecta eius cum viris consuetudo coniuges anxios reddidisset de puellae, etsi tantillae, virginitate.

Igitur puella ista optime potuit Angeli inhiare nuptiis, quamvis nec unum, nec prae omnibus viris Angelum amaret. Puellae etenim animo ita dispositae illum inter omnes virum eligere solent, qui citius matrimonium celebrare paratus est.

Immerito autem nuptias coactas argueres ex irridentium illam, quando sponsa domum ab Angelo traducta est, ad sponsorum fores, nocturna symphonia. Nocturna etenim illa cantilena adscribenda omnino est non paucis adolescentibus, quibus puella exhibuerat amoris signa spem matrimonii perperam fovens. Iam vero illi iuvenes non nocturnam coniugibus cecinissent cantionem, sed Mathildis in infortunio miserationem potius adhibuissent, si comperissent eam nupsisse invi tam. At irrisionis cantibus amatores illi, de re instructissimi, sponsos sunt prosecuti, quia Mathildis agendi rationem improbaban t.

Nec omine meliori quidquam adversus matrimonium coniectares ex adulteriis subinde a Mathilde admissis atque ex arrepta fuga. Haec enim omnia aliena minime sunt a puella quae vix pueritiam ingressa sinistras, ut vidimus, suspiciones excitaverat. Reque vera quando dimisit Angelum, Salvatori Mathildes adhaesit, et certo certius sponte huic adhaesit : at nihilo tamen minus haud diu cum hoc permansit.

Concludo : si conscientiae suae consulere actrix cupit ex animo, ad virum suum revertatur, memor divini praecepti *« quod Deus coniunxit homo non separet».* Quod si cum Angelo, qui eam excipere paratus est degens, et superno munita praesidio, adulterare non desinet, multo minus cuicumque alii viro, divino destituta auxilio, fidem servabit.

Quibus adductis, suppositum fuit diluendum

Dubium

An sententia Curiae Archiepiscopalis Neapolitanae sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 12 Decembris 1896, censuit respondere : *Eoo deductis non constare de nullitate matrimonii.*

ROMANA

RESIDENTIAE

Die 23 Ianuarii 1897.

Sess. 21 c. 3 De Ref.

COMPENDIUM FACTI. In Ecclesia Collegiali a S. Hieronymo Illyricorum nuncupata, in urbe a Sixto V erecta, beneficium obtinuit canonicale anno 1886 Nicolaus Givanovich Dalmata, quem postea inter suos cubicularios *ad honorem* Leo XIII recensere dignatus est. — Iste, malo fato, quum *die 9 martii 1892,* non longe a sua Ecclesia per publicam viam deambularet, obviam habuit quemdam mendicum petentem a se arroganter stipem, qua denegata, in eum subito irruit mendicus, cultri geminato ictu, at, feliciter, uno tantum vulnere, neque gravi, ad collum Sacerdotis illato. Re quidem vera paucis post diebus convaluit canonicus, et sua munera statim explere prosecutus est ; sed non ita facile se recepit a commotione animi, quae potius videtur in dies percrebuisse, adeo ut Romam sub mense *Maio* deserere constituerit.

Quare supplex petiit ut a residentiae lege dispensaretur et sub *die 25 maii 1892* S. C. C. respondit: « *Pro gratia dispensationis ad seoo menses, a die recessus a residentia sub lege deputandi substitutum pro altaris servitio ; arbitrio et conscientia Episcopi* ». Per aliud rescriptum *diei 4 mar. 1893* prorogatum fuit indultum a S. C. C. quae ita decrevit « *Praevia sanatione a die expirati indulti, pro gratia prorogationis ad biennium, ad formam praecedentis* ».

Hoc termino elapso, iterum institit orator, ut dispensatio indulgeretur ulterior ob perdurantem adversam valetudinem ; et *die 22 aprilis 1895* S. C. C. rescribere censuit : « *Attentis peculiaribus circumstantiis, pro gratia usque ad exitum proximi mensis maii, ad formam, praecedentium, absque spe ulterioris prorogationis »*.

At hoc etiam dilapsum est tempus quin tamen a morali vulnere videatur consanuisse infelix canonicus ; siquidem hucusque renuit Romam se restituere, asserens, ex medicorum attestatione, loca sui infortunii se non posse contueri absque vehementissima animi nervorumque perturbatione.

Verum huiusmodi rationes non admodum permovent confratres capitulares, qui iampridem parum persuasi de gravi Nicolai morbo, postquam concessum legitimae absentiae tempus excidit, omnes praebendae fructus canonico absenti denegarunt ; et modo autumant, nullam amplius dispensationem a residentia concedendam esse, quum canonico via pateat necessaria renunciationis, si ea afficiatur, non corporis, sed *animi* aegritudine, ut sua munia explere non valeat.

Gravior vero est concertatio, quia arbitrantur capitulares, canonicum absentem non tantum amittere distributiones quotidianas, sed omnes omnino praebendae fructus quum in erectione Constitutio Sixti V decreverit, «... *fructus, reditus, proventus, iura, obventiones,* et *emolumenta quaecumque percipere_____ac in distributionum quotidianarum inter praesentes et divinis officiis interessentes dumtaxat iuxta providam ordinationem desuper faciendam dividendarum* etc.

Quamobrem a canonici procuratore, in litis contestationem, *die statuta,* haec rogata sunt dubia quae accepta habita sunt, quamvis capitulum, legitime citatum, nullimode comparuerit. — En dubia — 1° *An constet de perduratane infirmitatis Can. Nicolai Givanovich ad legitimam absentiae causam, in casu.*— Et quatenus affirmative: — 2" *An Capitulum teneatur solvere canonico Givanovich omnes fructus canonicatus in casu.* — Et quatenus negative ad primum dubium: — 3° *An Capitulum teneatur solvere cano-*

nico Givanovich fructus canonicatus a die 1 Iunii 1895, demptis distributionibus quotidianis in tertia parte omnium fructuum canonicatus in casu.

Disceptatio Syaoptica

DEFENSIO CANONICI G. — Canonici procurator haec praecipue advertit: — Praeprimis notat comperti exploratique iuris esse, legitimas extare causas, quibus aliquis chorali servitio mancipatus a residentia queat excusari, et inter eas aegritudinem corporis adnumerari. *Can. Communiter* 13 dist. Cap. *Significatum* 11 de Praeb. Sane, si iure civili infirmitas ab officio et munere semper excusat, magis excusabit iure canonico, quod ab Ecclesia procedit, quae, viscera pientissimae matris semper induens, neminem cum gravi incommodo aut periculo ad propria munia exequenda compellens, eos ab ecclesiastico servitio abesse posse recognovit, ac permisit, quibus adversa valetudo interesse impediret.

In themate vero, instat orator, nedum de adversa valetudine, sed de impotentia constat redeundi ad residentiam et chorale servitium. Quoad gravitatem infirmitatis canonici Givanovich usque ad annum 1895 indubitanter constare dicit, per exhibitam attestationem clarissimi F. Herardt medici I. et R. Legati Austro-Ungarici.

Praeterea orator, clientis infirmitatem adhuc perdurare et deteriorem effectam fuisse comprobare nititur, adductis medicorum attestationibus.

Advertit vero patronus, has attestationes infirmari non posse, quippe destituías quacumque iudiciali solemnitate, siquidem notat diversimode vim attestationum pensandam esse, prouti ait De Luca *disc. 33 n. 3 de iudic.* « Vel scilicet ex qualitate personarum, quae attestationes faciant, quia nempe agatur de Principibus vel Magnatibus aliisque conspicuis personis ecclesiastici vel saecularis ordinis, quibus pro regionum moribus, incongruum vel indecorum sit ut formali examini iudiciario____se exponant, unde propterea eorum consuetudo sit veritatem attestari per literas, vel per privatas

schedulas ab eis subscriptas. Vel agatur de attestationibus quae habeant sufficiens fomentum adminiculorum, ex quorum coniunctione ista imperfecta probatio perfecta fiat ».

Instat denique, omni exceptione maiorem esse attestationem Episcopi Ragusini sub *die 23 Feb. 1895,* quae roboratur attestatione Ordinarii diei 27 Maii 1895.

Notat patronus non posse morbum negari eo quia exterius non pateat. Etenim S. C. C. his similibus de causis recognoscere solet infirmitatem, infirmi conscientiam onerando ; uti colligitur ex Troiana *15 Nov. 1710;* et in Tranen. *12 Sept. 1750,* qua proposito dubio « *An costei de legitimo impedimento abessendi a choro, ita ut debeantur distributiones quotidianae in casu* » responsum fuit « *Affirmative, onerata conscientia oratoris ».*

Dein gradum faciens patronus ad secundum declarandum dubium, contendit teneri capitulares S. Hieronymi solvere infirmo canonico omnes fructus canonicatus, quos a *die 1 Iunii 1895* detinuerunt et detinent. Legitima enim absentiae probata causa, instat orator, liquido fluit competere absenti omnes fructus beneficii quod possidet. Sane Pontifex Grogorius IX cap. *Quum percurs. de der. aeg.,* Candido Episcopo Urbevetano rescripsit « Fraternitatem tuam hortamur, quatenus latorem praesentium ad percipienda, quae consueta sunt ab Ecclesia tua, aegritudo sua non debet impedire : quia si alii eius essent exemplo deterriti, forte non posset qui militaret Ecclesiae inveniri, sed secundum eius ordinem quaecumque si sanus esset poterant .ministrari, de ipsa exiguitate, quae Ecclesiae potest accedere, Fraternitas tua praebeat aegrotanti ». Unde Glossa notat, quod infirmus inservire intelligitur, et omnia percipere debet ac si sanus esset ; satis enim affligitur ipsa infirmitate.

Infert Fagnanus, *in comm. ad die. Cap. n. 11,* canonico infirmitatis causa absenti, deberi non solum fructus, sed etiam distributiones quotidianas, dummodo tamen infirmitas sit principalis causa non serviendi.

Quod confirmatum est per S. C. C. In Reatina *5 Mar-*

tii 1667 qua censuit dandam esse declarationem, alias editam, sequentis tenoi'is, « *Canonico infirmo, durante eius infirmitate quamvis choro non intersit, deberi fructus omnes sui canonicatus* ***neG*** *non distributionem, dummodo ante infirmitatem fuerit solitus suae Ecclesiae inservire* ».

Ceterum pergit patronus, ad effectum abessendi ac lucrandi distributiones in absentia, haud illud exigitur infirmitatis genus, quod aegrotum lecto aut domi necessario detineat, sed satis est quod ex chorali servitio morbi etiam levis incrementum timeatur. Ita Reiffenstuel *lib. 3 dec. de Cler. non resid.* §7 *n. 193.* Schmalzgrueber *tom. 1 tit. 4 § 4 n. 86.* Pignatel. *Consult. 115 n. 67 tom. 9.*

Praeterea advertit orator, canonico obesse non debere defectum indulti a *die 1 Iunii 1895 ;* siquidem ipse enixius idem efflagitant, sufficienter docens gravem sui morbi vim, quum indulti prorogationem obtinere non potuerit ob resistentiam capitularium. Imo dolet patronus, postulationi a canonico datae ad S.C.C, aliam fuisse a capitularibus suffectam, falso confictam. Unde arguit orator, iure meritoque S. C. C. indultum prorogasse tantum ad exitum *mensis Maii 1895* quum ulterius se non potuerint protrahere morae itineris. — Quare concludit, non iure sed iniuria, expirato prorogati indulti termino, capitulares omnibus fructibus canonicum, ex comprobata infirmitate absentem, privasse.

Demum orator, ad tertium dubium veniens, asserit ad summum distributiones tantum quotidianas suo clienti denegandas esse, nempe tertiam partem fructuum praebendalium, *dato sed non concesso,* legitimam non adesse infirmitatis causam.

Quum capitulares autument, quod Constitutione « *Sapientiam Sanctorum* » Sixti V, lex facta sit, proventus et fructus omnes in distributiones quotidianas repartiendos esse, reponit patronus, utique Constitutionem cavere « proventus reditus...... distributionum quotidianarum inter praesentes dividendarum et repartiendarum » sed item praebendas assignare « *totidem praebendas pro sex canonicis* ». Praeterea

taxative valor vel reditus annuus praescribitur quoad massam et quoad singulos, nimirum « *saltem ad summam et valorem annuum 640 scutorum auri similium insimul adscendent ; Archipresbyter 120 et singuli Canonici 60, singuli vero beneficiati praedicti 40* ». Assignatis praebendis, ac valore annuo earum, instat orator, dici non potest omnes fructus in distributiones quotidianas, stricte sumptas, esse repartiendos, prouti vellent adversarii.

Fructus vero praebendarum, in themate, non omnes assignatos esse in quotidianas distributiones, primo deducere nititur patronus, *ex mente Pontificis constituentis.* Pontifex enim non praeter ius commune dotationem assignare videtur, cum expresse in corpore Constitutionis dicat, « *quaecumque statuta, ordinationes, et decreta ad eiusdem Ecclesiae S. Hieronymi, illiusque personarum, rerum et bonorum spiritualium et temporalium, curam, regimen, gubernium, directionem, et administrationem pertinentia, licita tamen et honesta, ac ss. Canonibus et •— Concilio Tridentino non contraria — a Vicario dictae Vrbis examinanda... immutare, corrigere, moderari, reformare etc.*

Dein arguit orator, ex *reformatione posterioris temporis.* Cum Sixtina dotatio plenum non habuisset effectum, anno 1782 dotationis augmentum accessit, liberalitate Sodalium Confraternitatis Venerabilis Hospitalis Illyricorum, quibus ius patronatus per instrumentum transactionis reservatum fuit, auctoritate pontificia recognitum, quo, inter alias, constitutum reperitur « quatenus vero contingat, quod iustis de causis, et debita cum venia et permissu aliquis absit a Choro, vel ab Urbe, servetur Decretum S. C. Concilii et conditiones ab eadem impositae semper tamen cum ea lege quod Capitulum teneatur deputare alium sacerdotem sumptibus e Choro vel ab Urbe absentis ».

Item argumentatur ex *subsequutis supradotationibus.* Constat alias fuisse supradotationes, quibus, ullo habito respectu ad distributiones quotidianas, ait patronus, fructus praebendarum canonicalium in summam 200 libellarum men-

sualium assignantur. Et cum supradotationes quinque vel sex numerentur, aliae pro aliquibus tantum canonicatibus, aliae cum constituta partitione,, absurdum videtur oratori, haec omnia augmenta consuluisse tantum distributionibus quotidianis.

Ex actuali statu Ecclesiae Collegialis, notat patronus,. Constitutionem Sixtinam non habuisse effectum, neque quoad chorale servitium. Nam capitulares diebus tantum festis de praecepto divinas laudes persolvunt, ait orator. Quapropter, hic notat, eum deficere fundamentum, quo distributiones quotidiànae iure censeantur.

Demum invocat patronus *immemorialem observantiam.* Commemorat enim orator pluries absentes ex legitima causa in hac Ecclesia, fructus suae praebendae lucratos fuisse, et nuper Archipresbyterum, mox defunctum, ob indultum iubilationis redditus suae praebendae percepisse. Quod S. C. C. infirmo clienti concedere non potuisset si de distributionibus inter vere praesentes lucrandis ageretur.

Quod si, arguit orator, fructus omnes consistèrent in quotidianis distributionibus, tamen attendenda esset iurisprudentia S. C. C. statuens quod ubi omnes fructus consistant in distributionibus quotidianis, duae partes habendae sunt loco praebendae, quae in absentia acquiruntur etiam canonicis, privilegiata causa absentibus, et tertia pars cedit loco distributionum, accrescens interessentibus — In Venusina 4 Die. 1762 — Vaivén, seu Sulmonen. 31 Martii 1860.

DEFENSIO CAPITULI. Capitulum suum non constituit procuratorem, neque appositas dedit animadversiones, quae tamen officio factae fuerunt.

Card. Visitator Apost. Ecclesiae II ly r i eorum , rite percontatus de *informatione et voto* reponebat, *die 12 Novembris 1896,* sese in responsione data sub die 18 Iunii 1896, adhaerendo sententiae Capituli, innuisse, Capitulo sibique visum esse nullimode excipi posse supplicem libellum, quo petiit Canonicus Givanovich, valetudinis causa, degere Ragusae, et servitio chorali facere satis Romae per alium Sa-

cerdotem. A qua sententia nolens recedere Capitulum defensionem non parat ; sed tantum innixum scientiae et prudentiae Emorum Patrum S. Congregationis, excipiet quidquid ipsa decernat.

Haec, huius capituli, sententia fulcitur rescripto S. C. Congregationis diei 22 Aprilis 1895 quo expressis verbis omnis adimitur spes eidem Canonico ulterioris prorogationis. En rescripti verba « S. Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, attentis peculiaribus circumstantiis, petitam prorogationem usque ad exitum proximi mensis Maii, absque spe ulterioris prorogationis, servata forma praecedentis indulti, Oratori benigne impertita est ».

Neque S. C. Concilii aliter egit cum alio canonico eiusdem Capituli Anno 1884. Canonicus Karabaic petiit idem indultum ; quod obtinuit ad quatuor menses, valetudinis causa, ast expetita prorogatio omnino denegata fuit, hoc dato responso : *gaudeat impetratis* et *consulat conscientiae suae.*

Ut Card. Visitatoris Apost. — intimius perspiciatur mens, scitu necessarium est, huic canonico absenti, efflagitant! apud S. C. C. veniam constituendi substitutum in munere canonicali, mediam proposuisse viam conciliationis, nempe ut concederetur Canonico praestatio mensilis 60 libellarum, donec ad munus proprium rediret. Hoc propositum S. C. C. displicere non poterat, quare rescriptum fuit, exquirendum esse consensum canonici, ut expresse consentiret in propositam concordiam.

Hanc autem acceptandam non esse censuit Nicolaus, qui ratus sibi integros deberi praebendae fructus, etiam institit, pro obtinenda dispensatione a residentiae lege in tempus indeterminatum. Capitulares, ex adverso, usque contradixerunt et, expirato indulto, ad biennium concesso, percontati de suo voto quoad ulterioris prorogationis instantiam , in conventu *diei 5 Aprilis 1895*, hanc amplexi sunt sententiam, quam Archipresbyter ita refert Card. Visit. Apost. :

« Vulnus, quod Nicolao Givanovich Canonico, huius Ee-

clesiae S. Hieronymi Illyriorum a quodam incognito mendico *P etroni,* appellato, die 9 mensis Martii anno 1892 inflictum est, quodque nos iam tertio perpendere cogimur, ita fuit, Deo sint grates, parvi momenti, ut ille etiam postea exceptis primis paucis diebus, potuerit sine ulla difficultate frequentare chorum, diurnum officium persolvere , et suis vicibus Missam cantare. Post duos demum menses , quum eius vulneratur iam esset in carcere, venit illi in mentem petere facultatem discedendi. Et S. Congregatio Concilii, licet nostrum Capitulum, uno Canonico Ioanne Vi tic excepto, dissentirei, tamen suo rescripto dato die 25 Maii concessit ei facultatem discedendi ad sex menses. Qui tamen pergens sine ullo, sive physico, sive morali incommodo fungi suo munere canonicali, non discessit ante diem 16 mensis Iulii.

« Suspicio, quam Capitulum, excepto uno Canonico Ioanne Vitic, iam tunc habebat, quod in mente Canonici Givanovich esset absentia perpetua, corroborata est, quum ille, expirante indulto sex mensium prorogationem eiusdem indulti ad tempus indeterminatum a SSmo Dno Nostro Papa petiit, praetexens exempla Capituli nostri, quae non erant vera, et monens, vulneratorem suum , ad carcerem unius anni condemnatum, brevi liberatum iri, et libere per Romam ambulaturum, ideoque se, si Romam rediret, maximo periculo expositum iri.

« His precibus eius Capitulum , excepto uno Canonico Ioanne Vitic, contradixit in sessione capitulari habita die 2 Februarii anno sequenti 1893. Attamen S. Congregatio Concilii concessit ei prorogationem eiusdem indulti ad biennium suo rescripto dato die 4 Martii eiusdem anni, quod Eminentia Vestra mandavit executioni die 9 eiusdem mensis, cuique mutuum Capitulum nostrum, ut debuit, obtemperavit.

« Sed ille, quum etiam haec longissima prorogatio expiraverit, novam petere audet adiunctis precibus suis , quas Eminentia Vestra die 3 huius mensis misit Capitulo nostro, ut libere manifestet sententiam suam. Quare ego humillime

infrascriptus, ac duo Canonici Carolus Parcic et Andreas Fris in sacrario Ecclesiae nostrae matutino tempore diei 5 Aprilis currentis, quum Canonicus Ioannes Vi tic, etsi invitatus, non intervenisset, *negative* respondimus. Rationes huius resolutionis Capitularis sunt multae, sed praecipuae sunt hae:

« 1. Qui Canonicum Nicolaum Givanovich vulneravit, mortuus est in carcere; ergo ante duos annos. Et hoc illi significatum est per literas. Quod ipse confirmat, quum iam non commemoret suum aggressorem, neque occursum eiusdem;

« 2. Capitulum, post suppressionem duorum Canonicatuum et unius Beneficii a Duce Francisco Cesarini factam, reductum est ad pusillum numerum quinque personarum, quarum duae, videlicet ego infrascriptus et Carolus Parcic iam deficimus viribus ob senectutem : Parcic ita laborat calculis hepaticis, ut saepissime impediatur venire in Ecclesiam. Beneficiati vero non creantur a multis annis , sed eorum servitium suppletur per sacerdotes, ad nutum amovibiles, qui saepissime desunt, neque hi, quum in aliis Ecclesiis missam celebrare debeant, possunt supplere vices alicuius Canonici nostri absentis, ita ut etiam Missam pro eo cantent ;

« 3. Orator Givanovich adhuc est virili aetate, constitutione vero physica excellit, et idoneitate praestat, ideoque, si horret habitare Romae, potest in Dalmatia adipisci aliquod beneficium, fortasse etiam Canonicatum. Non est putandum, quod gubernium Austriacum esset contrarium, quum hoc modo illius aerarium posset sibi retinere pensionem ducentorum florenorum et amplius, quam illi quotannis solvit.

« Est igitur, cur Capitulum speret fore, ut Orator non exaudiatur.

« Quod autem Canonicum Ioannem Vitic attinet, ille postridie mihi interroganti respondit, se ideo non intervenisse, quod nesciverit horam sessionis habendae, favere autem precibus Canonici Givanovich, nempe ut ei concedatur petita prorogatio indulti.

Hoc non obstante capituli voto S. C C . censuit oratori

aliud brevius concedere indultum uti iam relatum fuit, *absque spe ulterioris prorogationis.*

Neque arbitrantur ulteriore indulto succurendum esse valetudini oratoris, quia tempus iam concessum satis superque eidem consuluit, adeo ut hodie non agatur de morbo physico, sed de quadam reluctantia voluntatis, quae nimis indulget phantasiae motibus. — Canones vero loquuntur de corporis infirmitatibus, quae voluntatis imperio vinci non possunt.

Item advertunt canonici, medicorum attestationes non esse *iur atas* prout exigit negotii gravitas et S. C C . praxis. — Notant etiam amplius timendam non esse aggressoris vindictam, quum constet hunc in vinculis mortuum esse. — Quod factum antea negavit Givanovich, at hodie amplius non videtur contradicere.

Quoad aliam quaestionis partem, nempe canonicum absentem omnibus privatum fuisse reditibus, advertunt capitulares id consonum esse transactioni in qua dicitur :

« Ast si ab Urbe quispiam abfuerit *sine legitima licentia, is omnes distributiones amittat,* et a portione distributionum, quae absenti deberetur, deducatur emolumentum praestandum sacerdoti per *Capitulum* subrogando, in reliquis servetur solitum iuxta leges, constitutiones, et consuetudines eiusdem capituli.

Ipse Card. Visitator in hanc quaestionem protulit appositas animadversiones, de quibus mentionem facit in litteris suae informationis.

Omnes vero capitulares, uno tantum excepto, nempe canonico Vitich, in una et altera quaestione, conclusiones intentioni oratoris adversas amplectuntur.

Re quidem vera praesens quaestio potius *facti* quam *iuris* est. Quaeritur enim an reapse tali afficiatur morbo canonicus Givanovich, ut indultum mereatur a residentia, concessum a ss. canonibus pro corpore aegrotis aut aegrotantibus. Item quum lex permittat, omnes fructus praebendarum haberi per distributiones quotidianas ; *facti* inquisitio est an hoc iubeatur per tabulas fundationis, in themate.

Quibus animadversis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An constet de perduratione infirmitatis canonici Nicolai Givanovich ad legitimam absentiae causam, in casu.*

Et quatenus affirmative,

II. *An Capitulum teneatur solvere canonico Givanovich omnes fructus canonicatus in casu.*

Et quatenus negative ad primum dubium,

III. *An Capitulum teneatur solvere canonico Givanovich omnes fructus canonicatus a die 1 Iunii 1895, demptis distributionibus quotidianis in tertia parte omnium fructuum canonicatus in casu.*

RESOLUTIO. Sacra O.C. re disceptata sub die 23 Ianuarii 1897, censuit respondere : *Placere de concordia et ad Emum Card, Praefectum cum Emo Visitatore.*

TUNQUEN.

IURIUM

Die 23 Ianuarii 1897.

Sess. 24 Cap. 12 De Ref.

COMPENDIUM FACTI. In Dioecesi Tunquensi, Reipublicae Colombiensis nuper erecta, Ecclesiae Cathedralis capitulum duabus pulsatur quaestionibus circa rationem interpretandi tabulas suae fundationis, earumque rectam executionem.— Quocirca utramque quaestionem putatum fuit in unum cogere, quia fere eodem tempore exortae hae sunt, et de iisdem simul Ordinarius percontatus fuit et respondit.

Primam instantiam promovit Rudesindus Arenas, Parochus Ecclesiae Cathedralis. Hic, legitima institutione, curam suscepit animarum anno 1884, unaque praebendam obtinuit canonicalem, quia in Constitutionibus capitularibus cavetur « *Parochus autem ipsius Ecclesiae Cathedralis, ipso facto quod Parochus est, iisdem canonicis accenseatur* ».

Quum praebendae canonicalis reditus non distincti et

seiuncti habeantur, sed e *mensa quadam decimarum* canonicis suppeditentur, Parochus vi beneficii canonicalis hos reditus non secus ac alii capitulares participare aggresus est.

Res ita pacifico in statu versata est usque ad annum 1887, quum Delegatus Apostolicus, ad instantiam capitularium, decrevit, Parochum frui non posse praebenda canonicali, quippe non *compatibili* cum benefìcio parochiali, proindeque Parochum habendum esse canonicum tantum *ad honorem.* - En verba decreti editi:

« In Bulla erectionis Tunquensis Dioecesis cap. XI legitur: - Interest omnino, ut in nova Cathedrali Ecclesia condecens instituatur Capitulum, quod tum Canonicos, tum mansionarios seu Capellanos complectatur, scilicet: huiusmodi Capitulum constare debeat duabus dignitatibus, nempe Decano et Thesaurario, duobus canonicis de officio, nempe Poenitentiario et Theologali, duobus canonicis, uti aiunt de mercede, ac demum quatuor Capellanis. Parochus autem ipsius Ecclesiae Cathedralis ipso facto quod Parochus est, iisdem canonicis accenseatur.

« Idcirco animadvertentes : 1. Sex tantum praebendas existere in Capitulo Cathedrali Tunquen., easque respondere singulis duabus dignitatibus, duobus canonicis de officio, et duobus de mercede, planum est deesse septimam praebendam, quae Parocho Ecclesiae Cathedralis attribuatur:

« Animadvertentes 2. beneficium parochiale suos habere reditus, quorum nulla ratio reddenda est Capitulo Cathedrali et propterea incompatibilia esse beneficia curae animarum et canonicatus:

« Declaramus et decernimus:

« Salvo tamen oraculo Summi Pontificis, eumdem Parochum non indigere quidem ulla nominatione, ut Canonicis accenseatur, non alio tamen titulo nisi Canonici honorarii. Praesens vero decretum pro futuro tantum tempore valere, nec ad praeteritum ullo modo pertrahi debere statuimus.

« Dat. S. Fidei Neograten. dioec, die 9 Iunii anni 1887.

« I. B. Agnozzi, Dei. Ap. »

Contra hoc decretum Parochus Arenas Sacratissimum Principem hoc supplici adiit libello : sese, ait, postquam paroeciam obtinuerit, investitum quoque fuisse praebenda canonicali, et iuxta Bullam erectionis cap. XI reditus percepisse; attamen R. P. D. Agnozzi, delegatum apostolicum, arbitraria interpretatione legis pontificiae, decrevisse quod etsi Parochus fiat etiam canonicus, statim ac investitus fuerit de paroecia, tamen titulus hic haud confert eidem ius ad suos faciendos redditus talium praebendarum, sed tantum ut fiat *Canonicus honorarius.*

Bullam erectionis nullam fecisse distinctionem aut reservationem damno Parochi canonici, colligere est ex verbis ipsis citatis in Decreto R. P. Domini Agnozzi Cap. XI. - *Interest omnino ut in nova Cathedrali Ecclesia (Tunquensi) condecens instituatur Capitulum, quod tum Canonicos, tum Mansionarios, seu Carelianos complectatur; scilicet huiusmodi Capitulum constare debeat duobus Canonicis dignitatibus, nempe Decano et Thesaurario; duobus Canonicis de officio, nempe Poenitentiario et Theologali ; duobus Canonicis ut aiunt de mercede. . . . . . . Parochus autem ipsius Ecclesiae Cathedralis, ipso facto quod Parochus est, iisdem Canonicis accenseatur ».*

Bulla pontificia, septem constituit canonicos inter se distinctos, eisdem tribuendo par ius ad praebendas; et quoad redituum perceptionem nullam fecit distinctionem inter canonicos de speciali nominatione et Parochum implicitae nominationis. Hinc absonam videri restrictionem ad id tantum peractam, ut Parochus renuntietur canonicus honorarius, absque iure percipiendi reditus, a Bulla ipsa assignatos, dum simpliciter dixerit : « *Parochus autem ipsius Ecclesiae, ipso facto quod Parochus est, iisdem canonicis accenseatur »* cum omnibus iuribus, quum nulla fiat distinctio. *Nihil* enim *excipitur, ubi non distinguitur nihil.*

Delegatus apostolicus, ut cohonestare! operam suam, asserere coactus fuit, Bullam sex , non septem instituisse praebendas, ceu colligitur ex praemissis Decreto, de quo

agitur : « *Sex tantum prebendas existere in Cathedrali Tunquen, easque respondere singulis duabus Dignitatibus, duobus Canonicis de officio, et duobus de mercede; planum est deesse septimam prebendam, quae Parocho Ecclesiae Cathedralis attribuatur* ».

Verum Parochus respondit : Bullam taxative non constituisse praebendarum numerum, sed designatis duabus dignitatibus, duobus canonicis de officio et duobus de mercede, adiecisse Parochum, vix ac talis effectus, cooptari inter canonicos, *iisdem canonicis accenseatur.*

Praeterea consequentia quam Delegatus apostolicus trahit haec est : declaramus atque decernimus (salvo tamen oraculo Summi Pontificis) eumdem parochum, non indigere quidem ulla nominatione, ut canonicis accenseatur, non alio tamen titulo, nisi canonici honorarii. Quum tamen decretum hoc adversetur tum litterae et spiritui Bullae pontificiae, tum praxi constanti, qua decretum illud interpretatum fuit, ista in Cathedrali, orator enixe adprecatur ut nullum declaretur decretum idem utpote iustitiae laesivum.

Altera quaestio respicit canonicum Thesaurarium, *secundam* eiusdem Capituli dignitatem. Hic capitularis, nomine Arias, queritur sibi onera sui beneficii fuisse mutata; quum ipse praebendam acceperit cum obligatione, iuramento firmata, canendi missas in solemnioribus festis, vulgo dictis *di classe,* exinde immunis evadens ab onere missas canendi per *hebdomadas* quod competit canonicis nuncupatis *de mercede (de merced.).* Per quoddam vero decretum Delegati Apostolici, Domini Agnozzi, eidem Thesaurario onus impositum fuit missas canendi etiam per hebdomadas, ipsi recognito privilegio solemnia sacra faciendi in festis appellatis *di classe.* - Contra hoc decretum hodie protestate canonicus Thesaurarius. - Adverti debet, ex actis non constare, quonam anno Arias beneficium obtinuerit, et quando . contestatum decretum , editum sit, cuius etiam exemplar in actis desideratur.

Episcopus de more percontatus, quoad utramque quae-

stionem *sub die 27 Aprilis 1890* respondit: quoad canonicum Arias, seu quoad secundam quaestionem, iam pandidisse suam sententiam Vicario Apostolico anteriori, qui nihil resolvit, sed rem distulit iudicio Sedis Apostolicae.

Quoad Curatum canonicum, ait, sese favere eidem iustam iugem interpretationem, datam Bullae Apostolicae usque ab initio.

Hanc tamen sententiam haud firmavit quando iterum rogatus fuit de suo voto circa parochum canonicum. Quoad vero Thesaurarium censuit, iuxta loci consuetudinem, eximendum esse a servitio hebdomadae.

Disceptatio Synoptica

Primo deliberandum est, an parochus Ecclesiae Cathedralis sit etiam, vi Bullae erectionis, canonicus praebendati. - Haud omissum fuit etiam Capituli mentem explorare, eiusque votum *in acta* relatum fuit. - Conventui capitulari habito *die 17 Aug. 1892,* ad instantiam canonicorum, adfuit etiam Episcopus. - Hic quum iam haberet capituli mentem exploratam, approbantis nimirum Delegati Apostolici Decretum, parum sibi consentiens circa ea quae retulerat in suis litteris, fassus est sese non adversare opinioni canonicorum. Dein capitularibus hoc proposuit votum quod *unanimes* exceperunt : exposcendum esse a Sede Apostolica ut cura animarum separetur a canonicatu ; quum haec, facta per Bullam erectionis Episcopatus, multas pariat in praesenti, pariatque in futuro difficultates ; quin tamen praesens parochus cesset esse canonicus ad honorem.

Qua in petitione illud dignum est animadversione, nempe Episcopum et Canonicos *fateri* hanc inductam, vi Bullae erectionis , unionem canonicatus cum animarum cura ; et ita manifestant intimam et universalem persuasionem; hunc nempe fuisse sensum Bullae erectionis. - Aliunde animarum cura nullum patitur impedimentum ab unione canonicatus *ad honorem:,* cui nullum officium et onus incumbit -.

At canonicum impedimentum, ad unionem curae parochialis cum canonicatu conservandam, designatum fuit a Decreto Delegati Apostolici, quum supponit reapse parochum Ecclesiae Cathedralis canonicali potiri praebenda. - Ad hanc quaestionem enucleandam, ab Ordinario non semel exquisivi an revera cura animarum Eccl. Cathedralis beneficio esset adnexa, at huic quaestioni adhuc satisfactum non fuit. Si verba attendantur petitionis Oratoris parochi, aientis « *non* « *potendo V Oratore fare assegnamento sulle eventuali* « *e scarse rendite della parrocchia* », concludi deberet non haberi beneficium, quum *certa* dos requiratur in erigendo beneficio. - Exinde facilis patet explicatio quare erectionis Bulla, absque ulla dispensatione, decernit parochum inter canonicos Eccl. Cathedralis recenseri.

Aliunde, omni procul dubio, reditus parocho comparati sunt admodum tenues et insufficientes congruae sustentationi ; adeo ut, demptis fructibus praebendae canonicalis, paulo post debuerint canonico *60 menstrua scutata* assignare capitulares, prouti decreverunt in conventu capitulari *diei 19 Martii 1890.*

In mensuranda vero beneficiorum *incompatibilitate*, iuxta decreta Concilii Trid. *Sess. 7, cap. 2, De Ref. ;* et *cap. 17, Sess. 24, De Ref.,* adverti debet, ea beneficia esse incompatibilia, quae sunt *sufficientia;* nec non illa quae *residentiam* expostulant ; quamobrem si beneficium clerico sufficientes reditus, pro congrua sustentatione, non subministrat, permittit Concilium, aliud conferri beneficium simplex, dummodo non requirat personalem residentiam. - Ex quibus patet, sane beneficium parochiale et canonicatum esse inter se incompossibilia quippe non sunt beneficia *simplicia* et *personalem* exquirunt *residentiam.* - Nihilominus quando alterutrum sufficienti careat dote, iam necessaria subest dispensationis ratio, *ut possint* copulari, quum clericus ex suo ministerio congruam sustentationem repetendi ius habeat.

Praeterea munus canonici et parochi Ecclesiae Cathe-

dralis, suapte natura, non sunt incompossibilia, quippe exercentur *sub eodem tecto,* ut loquuntur canonistae et passim sub una tantum praebenda inveniuntur copulata. Quocirca decernent EE. PP. an, quatenus opus sit, debeat consuli SSmo super dispensatione a lege Tridentina, hac de re. - Equidem in themate agi videtur, ut Summus Pontifex dignetur interpretari Bullam erectionis, cuius verba vel dispensationem legis iam continent, vel expressam dispensationis mentionem desiderant vel intelligenda sunt iuxta decretum apostolici Delegati.

Modo transeundum ad *alteram* quaestionem, an nempe canonicus Thesaurarius obligatus ad Missam conventualem canendam quibusdam solemnioribus diebus, eamdem *etiam per turnum* hebdomadarium canere debeat.

Hoc ab ipso expostulat decretum apostolici Delegati, cuius verba quum in actis non prostent, non valet desumi cuinam fundamento iuris *communis* vel *particularis* innitatur. - *Ius commune* hac de re constituit celebris Const. Bened. XIV « *Cum semper oblatas* », unde omnibus canonicis indiscriminatim obligatio inest canendi, per alternas vices, Missam conventualem. - De *iure particulari* Ordinarius testatur, nihil contineri in Bulla erectionis ; consuetudines vero inibi vigere ut eximatur ob onere hebdomadae qui missas solemniores canit per annum. Quamobrem in praesentiarum tantum delibanda est intentio iuris communis, ut concilietur cum iure particulari.

Iam vero ex una parte certum est omnes Capitulares *per turnum* missas conventuales celebrare debere; nam S. C. C. *in Ariminen. Missae conventualis diei 18 Sept. 1851,* II Dubio « *An Archipresbyter teneatur per turnum cum canonicis celebrare et applicare missam conventualem, ut supra; et quomodo turnus sit servandus in casu* » respondit: « *Affirmative per turnum, incipiendo ab Archipresbytero.* - Item *in Faventina Missae conventualis ;* quoad onera Eccl. Collegiatae Terrae Cotiniolae, ad I Dubium « *An ad celebrationem et applicationem Missarum teneantur*

tum Archipresbyter et canonici antiqui, tum canonici et mansionarii novae erectionis Zarabinae in casu » Sacra Congr. Concil, *die 3 Iunii 1780* respondit: « *Affirmative quoad omnes, teneri per turnum et amplius* ». Hoc docent et explicant Pignatelli *tom. I Consult. 321 num. 1 seq.* - Ursaya *tom. 2 part. 1 disput. 32 n. 7 seq.* et Rota *in Firmana, Eleemosynae missae Conventualis 12 Feb. 1751 § 5 cor. Amedeo.* - Haec omnia confirmat Pallottini, *Collectio omnium decisionum etc. V. Dignitates % 11 n. 58 seq.*

At praeterea inquirendum quomodo constitui debeat *turnus*, qui ita observari potest, per aequales alternas vices a canonicis, ut nulla habeatur ratio dierum solemniorum et dignitatum capitularium. - Sed, ex adverso, videtur, in diebus solemnioribus, Missam conventualem canendam esse a Dignitatibus. - Nam haec refert Barbosa in op. *De Canonicis et dignit. Eccles, cap. 6 n. 10:* « Missas distribuit (Archipresbyter) inter Canonicos et Dignitates, non semper uni, sed successive per ordinem, nempe solemniores inter Canonicos, servata eorum praerogativa, ut omnes honorentur, prout censet *Sacra Rituum Congregat, in Tarentina Cryptaliarum 27 Februarii 1610; et in eadem Tarentina Cryptaliarum 24 Oct. 1609,* fuit resolutum, Archipresbytero competere ius distribuendi Missas, ipso impedito secundae dignitati et deficientibus Dignitatibus primo canonico et sic per ordinem successive: unde si non potuerit vel noluerit celebrare, non potest suo arbitrio Missas alteri delegare, sed Dignitates et Canonici subintrant per ordinem ». Quandoquidem maxime convenit *in turno* ordinando rationem habere et dierum solemniorum et Dignitatum. Ita tamen ut qui canit in diebus solemnioribus se eximat ab onere canendi in festis minus solemnibus.

Modo Vestrum est, utramque dirimere quaestionem deliberando an Decreta Deleg. Apost, e quibus exortae sunt controversiae, debeant infirmari aut potius confirmari; et decernere an Vobis placeat ut antea fiant verba cum SSmo,

cuius Supremi Principis voluntas interpretanda aut deroganda sit in Bulla erectionis, secundum infrascripta

Dubia

I. *An decretum Delegati apostolici quoad parochum Eccl. Cathedralis sustineatur in casu.*

II. *An decretum Delegati apost, quoad canonicum Thesaurarium Eccl. Cathedralis sustineatur in casu.*

RESOLUTIO. Sacra O. O. re disceptata sub die 23 Ianuarii 1897, censuit respondere: Ad I. *Negative.* Ad II. *Dilata et ad mentem.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL.

SALERNITANA

TERTII ORDINIS S. FRANCISCI PRAECEDENTIAE

Die 26 Martii 1897.

COMPENDIUM FACTI. In ecclesia Fratrum Minorum Reformatorum, loci Sermo, archidioecesis Salernitanae, a pluribus annis erecta existit mulierum associatio, Tertiariae Franciscanae nuncupatae. Hae in associationibus funebribus saeculari vestitu indutae, ut ut cum aliquo distinctivo et sub vexillo S. Francisci incedentes, praecedentiam supra laicas Confraternitates, sacco indutas, praetendebant.

Contra hanc Tertiariarum agendi rationem parochus localis recursum obtulit S. Congni EE. et RR. et supra hoc Archiepiscopus Salernitanus pro informatione rogatus, retulit iam conventum fuisse cum P. Provinciali, quod praefatae Tertiariae in funeribus incedere deberent post feretrum et in processionibus post ss. imagines: Procurator vero G-ñlis

Reformatorum in suis uteris 9 Augusti 1896, praefatas mulieres defendit, tum quia ipsae incedunt sub proprio vexillo et cum habitu distinctivo Ordinis, nempe scapulari magno et cingulo supra vestes, tum quia ipsae solum associant consorores defunctas.

Disceptatio Synoptica

CONTRA TERTIARIIS FRANCISCALES. Parochus localis observat quod ratio procedendi harum mulierum, quae vario ritu saeculari vestitae, ostentationem et pompam in processionibus quaeritant, omnino adversatur tum spiritui et fini intento a S. Francisco in instituendo Tertio Ordine, quem propterea Tertium Ordinem Poenitentiae vocavit, tum variis Pontificum Constitutionibus, quae, in moderandis Tertiariorum regulis semper intenderunt fideles ad christianas virtutes colendas excitare, quod profecto, notat parochus, obtineri non potest ex agglomeratione praefatarum mulierum.

Sed, pergit parochus, praetentio Tertiariarum est etiam contra canonicam iurisprudentiam. Sane ex declaratione S. Congreg. RR. diei 31 Maii 1642 habetur : *Rituale requirit, ut in processionibus, post Clerum, viri separatim a feminis incedant;* et synodus Neapolitana celebrata an. 1882 comminatur suspensionem a celebratione missae parochis vel aliis ecclesiarum rectoribus, et est inter casus reservatos, permittentibus, ut mulieres cuiuscumque sint aetatis, *clerum aut confratres in processionibus antecedant aut sequantur, etiamsi processiones in ambitu ecclesiae fiant.* Idipsum demum erui dicit ex resolutione huius S. Congñis in *Sypontina* an. 1893 (1) quae Tertiariis permittit associationem funerum, sed *cum proprio vexillo idest Cruce, brachiis cancellatis et habitu Tertii Ordinis, pro adscriptis tantum, dummodo societas vocata fuerit ex dispositione defuncti, vel ab eius haerede;* quibus conditionibus Tertiariae loci Serino non parent, iuxta parochum.

(1) Relata fuit in Vol. XXVI pag. 258.

PRO TERTIARIIS FRANCISCALIBUS. EX alia parte observatur quod nulla esse potest quaestio in iure quod Tertio Ordini, etiamsi ex solis mulieribus conflato, supra laicas confraternitates competat praecedentia, eo quia ipse non est simplex sodalitium, sed *verus et proprius Ordo, a quacumque Confraternitate distinctus* uti ex Const. *Paternae Sedis* Benedicti XIII § 4, et *Misericors Dei Filius* diei 30 Maii 1883 Leonis XIII. Unde iisdem privilegiis ac iuribus fruuntur ac alii Ordines religiosi.

In hunc sensum etiam prodiere resolutiones SS. Cong. Romanarum. Ita S. R. Congregatio die 28 Maii 1838 sequens edidit responsum : *Ad tramitem Apostolicarum Constitutionum nec non declarationis S. Congreg. EE. et RR. die 20 Sept. 1748 Tertiariis Franciscalibus coetum constituentibus, nempe proprio habitu indutis et sub cruce incedentibus ius inest praecedentiae supra quascunque laicas Confraternitates.* Consonat etiam relata resolutio in *Sypontina,* in responso ad secundum dubium.

In facto vero Procurator Gñlis Reformatorum sustinet, Tertiarias loci Scrino in ea versari conditione, ut merito sibi. vindicare queant praecedentiam supra alias laicas sodalitates locales. Siquidem I° harum mulierum associatio canonice fuit erecta in Tertium Ordinem, in ecclesia PP. Reformatorum a P. Antonio a Contrada. 2° Ipsae collegialiter incedunt sub vexillo S. Francisci et cum distinctivo signo Ordinis, nempe scapulari magno et cingulo supra vestes. 3° Demum earum publica associatio tantum se extendit ' ad funebrem comitatum cadaverum demortuarum consororum.

Hisce utrinque libratis, suppositum fuit enodationi sequens

Dubium

An Congregationi Tertii Ordinis Franciscani, erectae Serino in ecclesia PP. Minorum Reformatorum, spectet praecedentia supra alias laicas sodalitates in casu?

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Episc, et Reg., re mature discussa, sub die 26 Martii 1896, respondit prout sequitur : — *Reformato dubio - An mulieribus Tertiariis Franciscanis loci Serino competat praecedentia supra alias laicas Confraternitates in casu ? — Negative, et mulieres Tertiariae sequi debere, non autem praecedere Feretrum.*

Ex his colliges: I. Quod de iuribus et privilegiis Regularium nedum participat Tertius Ordo saecularis virorum, sed etiam mulierum. Verum ad hoc obtinendum requiruntur nonnullae conditiones, quarum prima est canonica Tertii Ordinis saecularis erectio.

II. Unum ex his privilegiis est praecedentia, utrique Tertio Ordini competens in processionibus funebribus eorum adscriptorum supra alias laicas Confraternitates : in casu autem hoc privilegium invocari non poterat, eo quod obstabat conventio inter P. Provincialem Reformatorum et Archiepiscopum Salernitanum, vi cuius Tertiariae Mulieres Franciscanae loci Serino in funereis associationibus feretrum, et in processionibus SS. imagines sequi debebant.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

—v—

SPOLETANA seu NURSINA. Canonizationis Beatae Ritae a Cassia. Monialis professae Ordinis Eremitarum s. Augustini.

Beatae Ritae a Cassia cultus ab immemorabili tempore praestitus et decreto fel. rec. Clementis Papae XII die 13 Aug. 1737 rite approbatus, non modo in universa Europa, sed etiam in utraque America mirabiliter propagatus fuit. Id obtigit potissimum, quia muliebris sexus pro variis in societate catholica officiis, egregiam illam feminam in quolibet vitae statu et virginis, et matrisfamilias, et viduae, et sanctimonialis, uti praesidium atque exemplum spectavit. Hinc a sa. me. Pio Papa IX die 29 Maii 1856 confirmata sententia de validitate Processus Apostolica Auctoritate

primitus in dioecesi Spoletana, dein in dioecesi Nursina constructi super virtutibus et miraculis in specie Beatae Ritae, Sanctissimus Dominus Noster LEO PAPA XIII, decreto Sacrae Rituum Congregationis die 8 Iunii 1896 edito, potestatem fecit, ut Processus Ordinarius anno 1625 confectus super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum ipsius Beatae et super cultu immemoriali eidem exhibito, in causae prosecutione admitti ac recipi possit in linea aequalis probationis cum Processu Apostolico, perinde ac si in ipsum compulsatus fuisset. Hoc autem postulat ordo iudicii servandus in Causa Canonizationis Servorum Dei, qui ob cultum immemorialem a Sancta Sede approbatum inter Beatos relati sunt, ut etiam eorum virtutes expendendae sint. Quare, praevia Apostolica dispensatione, in nonnullis similibus Causis concessa, et ad hanc, attentis peculiaribus adiunctis, extensa, discutiendi dubium de virtutibus Beatae Ritae a Cassia in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria, absque interventu et voto Consultorum, infrascriptus Cardinalis Sacrae ipsi Congregationi praefectus et causae relator, instante R. P. Augustino Zampini ex Ordine Eremitarum S. Augustini et eiusdem causae Postulatore, in Ordinariis Comitiis, subsignata die, ad Vaticanum habitis, sequens Dubium discutiendum proposuit ; nimirum : *«An ita constet de virtutibus Beatae Ritae a Cassia, ut pro~cedi possit ad discussionem miraculorum ?* » Atque post relationem ipsius Cardinalis Ponentis, dubio de more discusso, omnibusque in eadem causa deductis rite expensis, audito prius voce et scripto R. P. D. Gustavo Persiani, S. Rom. Rotae Auditore, in Fidei Promotorem Deputato, Emi et Rmi Patres Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: *«Affirmative* seu *constare* ». Die 6 Aprilis 1897.

Facta postmodum de his omnibus Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII per ipsum infrascriptum Cardinalem relatione, Sanctitas Sua benigne annuens, sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit, die nona iisdem mense et anno.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA, *-S. R. C. Praefectus.*

L. « S.

DIOMEDES PANICI, & *R. C. Secretarius.*

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

PRECATIO ad rite explendum saeculum XIX indulgentia 100 dierum d¡Tatúr.

Brno Padre,

Il Comitato Internazionale, promotore per un omaggio a Gesù Cristo Redentore al chiudersi del secolo presente ed al sorgere del futuro, per iniziare il suo lavoro a tale scopo e proseguirlo sotto la protezione della Vergine Immacolata, supplica la Santità Vostra a benignamente concedere una qualche indulgenza alla qui riferita preghiera a favore di tutti i fedeli che divotamente la reciteranno.

PRECATIO

Concede nobis, Clementissime Deus, Beata Virgine Im maculata intercedente, ut nostrae poenitentiae lacrimis, noxas expiemus huius saeculi occidentis, atque exorientis initia ita paremus, ut totum sit deditum gloriae tui nominis et Regno Iesu Christi Filii tui, cui gentes omnes serviant in una fide et perfecta caritate. Amen.

S. Cong. Indulg. Sacrisque Rei. praeposita, utendo facultatibus a SSrfio Dno Nostro Leone PP. XIII sibi specialiter tributis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contrito ac devote praedictam precem recitaverint, indulgentiam centum dierum, semel in die lucrandam, benigne concessit, defunctis quoque applicabilem.

Praesenti valituro usque ad exitum anni 1901 absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumsque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 7 Februarii 1897.

FR. HIERONYMUS M.[a] CARD. GOTTI, *Praefectus.*

L. ffi S.

ALEXANDER ARCHIEP. NICOP. *Secretarius.*

ORATIO ad s. Margaritam Cortonen. 100 dierum indulgentia donatur.

Brno Padre,

Il sacerdote Gennaro Perrella, Rettore della Chiesa dei Ss. Raf fa eie e Margherita da Cortona in Napoli, in ricorrenza del centenario della morte della medesima Santa, umilmente supplica la S. V. degnarsi di concedere l'indulgenza di 100 giorni, una volta al giorno, a tutti i fedeli che con cuore contrito e devotamente reciteranno la seguente

PREGHIERA

O gloriosissima Margherita, vera gemma che Dio ritolse con tanto amore dalle mani del ladrone infernale che vi possedeva, per dare a tutti i peccatori nella mirabile vostra conversione, santa vita e morte preziosissima, un efficace impulso a lasciare la colpa praticando il bene e schivando il male, ad ogni sua prossima occasione; deh! ottenete a noi vostri divoti dall'alto seggio di gloria ove vi levarono le vostre lagrime e penitenze, la grazia della sincera conversione del cuore, del vero dolore di nostre colpe, e dopo una vita santa, spesa a somiglianza vostra nell'amore di Gesù per noi Crocifisso, una buona morte e nel grembo dell'eterna beatitudine, la corona di gloria. Così sia.

Un *Pater, Ave, Gloria.*

Che della grazia ecc.

S. Cong. Indulg. Sacrisque Rei. praeposita, utendo facultatibus a SSrîio Dno Nostro Leone PP. XIII, sibi specialiter tributis, omnibus utriusque sexus fidelibus, qui supra relatam orationem corde saltem contrito ac devote recitaverint, Indulgentiam 100 dierum, semel in die lucrandam, et defunctis quoque applicabilem benigne concessit.

Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 21 Ian. 1897.

Fr. HIERONYMUS M. CARD. GOTTI, *Praefectus.*

A. ARCHIEP. NICOP., *Secretarius.*

EX S. CONG. DE PROPAGANDA FIDE

Dubitatur an Baptisma conferri queat adultis infidelibus, quatenus adsit timor quod ipsi malam ducere possint vitam.

Rme Pater,

Ad hanc S. Congregationem nuper referebas, te in ratione agendi tui sacri ministerii aliqua experiri dubia, supra quibus responsum petebas.

Primum dubium erat utrum expediret baptismum administrare illis puellis, rite dispositis, quando moralis existeret certitudo fore ut ipsae invitae, a propriis parentibus traderentur viris europaeis, ut viverent cum istis tamquam concubinae. Cui dubium sufficienter respondetur per decisionem Supremae Congregationis Sancti Officii, quae ad te anno 1892 transmissa fuit, quae similem respiciebat casum. Verba autem huiusmodi decisionis sunt sequentia :

« Praefectum Apostolicum laudabiliter se gessisse miseras puellas, de quibus agitur redimendo, ne nuptui traderentur viris irretitis impedimento ligaminis, aut etiam disparis cultus, quoties cautiones obtineri non possent. Puellis vero quae redimi nequeant, et baptizari instanter petant, haud facile baptismi sacramentum esse denegandum, si debita instructione sint praeditae, aliasque necessarias dispositiones congruo experimento comprobatas se habere ostendant, una cum firmo proposito, ita ut paratae sint potius mori quam foedari ».

Aliud proponebas dubium; utrum scilicet esset expediens baptizare pueros sufficienter instructos et sacramentum illud petentes, qui adulti facti, et scholis Missionis egressi, religionis catholicae praecepta essent oblituri, et in vitia gentilium labituri.

Dubitationi vero huic respondendum videtur, praevisionem praefatam haud prohibere posse administrationem baptismi pueris huismodi, bene instructis et dispositis. Imo ipsa ratio suadet, illos magis christianae religionis doctrinis et Sacramentis esse firmandos, qui durius aggressuri sunt pro salute animae certamen. Quapropter diligenter cura, ut isti iuvenes qui miseratione divina ad fidem et christianorum mores sunt vocati,

baptizentur et strenue et fideliter usque ad mortem in bono perseverent.

Ego vero Deum precor, ut Te diu adiuvet ac sospitet.

Romae die 8 Iulii 1895.

Tuus, Rme Pater, addictissimus servus:

CARD. LEDOCHOWSKI *Praef.*

Loco Sigilli.

A. ARCHIEP. LARISSEN, *Praef.*

DUBIUM quoad anniversarium Episcopi.

Rme ac Illme Domine,

Quoddam dubium proponebatur ab Amplitudine Tua circa diem, in qua debet Episcopus celebrare anniversarium suae electionis, cui per praesentes litteras respondere aggredior.

Iuxta regulam generalem debet Episcopus Ordinarius celebrare anniversarium diei in quo eius electio in Consistorio secreto proclamata fuit. Ita saepius declaravit S. Rituum Congregatio. Idque intelligendum est etiam in casu quo Episcopus habuerit Breve pontificium, consecratus fuerit et Dioeceseos possessionem acceperit antecedenter ad celebrationem Consistorii. Nam eadem S. Congregatio interrogata : « Utrum decretum in *Alifaxien.*, iuxta quod dies electionis Episcopi, quoad anniversarium in Dioecesi celebrandum, non ea est, qua Bullae datae fuerunt, sed illa qua fuit in Consistorio proclamatus, spectet etiam ad Episcopos per Sacram Congregationem de Propaganda Fide institutos, qui frequenter Bullas receperunt, Dioecesis possessionem acceperunt, imo consecrati fuerunt aliquo tempore ante Consistorium in quo proclamantur ? » Respondit : « Affirmative » die 13 Decem. 1895. Decret. VIII, *Quebecen.* Quod si electio *nunquam* fuit in Consistorio proclamata, tunc celebrandum erit anniversarium diei in quo datum est Breve Pontificium. Hoc enim est unicum documentum solemne, quod manet in substitutione non habitae proclamationis in Consistorio.

Romae, 1896.

M. Card. LEDOCHOWSKI, *Praef*

L. & S.

Illmo ac Rmo

DD. N. Archiep. in statibus Foed. Amer.

EX SECRETARIA BREVIUM

BREVE quo conceditur indulgentia plenaria occasione exeuntis anni quinti et vigesima quo R. Pontifex Leo XIU adscitus est in tertio ordine s. Francisci.

LEO PP. XIII

Ad futurum rei memoriam.

Die trigesimo proximi mensis Maii, exeunte feliciter anno et quinto vigesimo ex quo Nos in tertium Ordinem Sancti Francisci adsciti fuimus, Catholici universi singulari pietatis studio permoti, praeeunte Moderatore summo Fratrum Franciscanum Aloisio a Parma, statuerunt publicas agere Deo gratiarum actiones, quod munere concessuque suo Nos ad hanc aetatem provexerit, atque incolumes sospitesque servaverit. Nos vero grati Deo quam qui maxime, et Christianorum pietati respondentes, iis pro Nobis ^rationibus gratesque agentibus aperiendi coelestes thesauros tali fausto eventu censuimus. Quapropter ad augendam fidelium religionem, animarumque salutem procurandam intenti, omnibus et singulis Christifidelibus in tertium Franciscanum Ordinem inscriptis, qui novendiales supplicationes publicas, si fieri possit, sin minus privatas a die duo et vigesimo ad diem trigesimum mensis Maii inclusive habuerint, ac vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti uno ex novem diebus, cuiusque eorum arbitrio sibi eligendo, aliquod publicum Templum vel Oratorium devote visitantes, pias ad Deum pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione et S. Matris Ecclesiae exaltatione preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migra verini, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus hoc anno tantum valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides

adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIII Februarii MDCCGXGVII Pontificatus Nostri Anno Decimonono.

Pro Dno Card. MACCHI
N. MARINI *Substitutus.*

EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

De authenticitate textus s. ioannis epist. I, c. 5, vers. 7.

Feria IV, die 12 Ian. 1897.

In Congregatione Generali S. R. et U. I. habita coram Emis ac RR. DD. Cardinalibus, contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, proposito dubio:

« Utrum tuto negari, aut saltem in dubium revocari possit « esse authenticum textum S. Ioannis, in epistola prima, capo V, « vers. 7, quod sic se habet: Quoniam tres sunt, qui testimonium « dant in coelo: Pater, Verbum et Spiritus Sanctus: et hi tres « unum sunt? »

Omnibus diligentissimo examine perpensis, praehabito que DD. Consultorum voto, iidem Emi Cardinales respondendum mandarunt: « Negative ».

Feria vero VI, die 15 eiusdem mensis et anni, in solita audientia r. p. d. Assessori S. O. impertita, facta de suprascriptis accurata relatione SSmo D. N. Leoni PP. XIII, Sanctitas Sua resolutionem Emorum Patrum approbavit et confirmavit.

I. Can. MANCINI, *S. R. et U. I. Notarius.*

APPENDIX V.

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST.; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

S. C. SS. Rituum 15 Nov. 1890 — Compostellana.
Dubium quoad SS. Eucharistiam asservandam.

Quum in pastorali visitatione Archiepiscopus deprehenderit in. multis filialibus ecclesiis seu oratoriis alicuius paroeciae SS. Eucharistiam asservari, ubi Missa celebratur tantummodo vel Dominicis, vel quando sacrum Viaticum ad aegrotos ferendum desumitur; reliquum vero temporis spatium nemo illuc accedit, praeter sacristam ad alendam lampadem, ianuis clausis ceteroquin manentibus: hinc quaeritur:

An SS. Eucharistiae Sacramentum in iisdem ecclesiis servandum permitti possit.

R. Negative, nisi per aliquot diei horas aditus pateat fidelibus SS. Eucharistiam visitare cupientibus.

S. C. 8. Officii 18 Martii 1891 — Archiep. Leopolien. (rit. graec.)
Dubium quoad impedimentum disparitatis cultus.

Relate ad facultates Episcopis a Sanctitate sua concessas (quae etiam parochis subdelegari possunt) dispensandi in articulo mortis in impedimentis matrimonium dirimentibus, rogo quoad impedimenta mixtae religionis et disparitatis cultus benignissimam declarationem, an in istis etiam in articulo mortis non aliter dispensari possit nisi 1. ambo contrahentes promittant educationem omnis prolis in religione catholica; et quidem 2. non solum prolis forte adhuc suscipiendae, sed etiam antea (in concubinatu vel civili matrimonio) iam susceptae, in quantum scilicet hoc a parentibus adhuc dependet; atque nisi etiam 3. pars catholica (licet privatim tantum) promittat quod, in quantum poterit, conversionem partis non catholicae procurator sataget.

R. Cautiones etiam in articulo mortis esse exigendas; disparitatem cultus utpote impedimentum dirimens in encyclica S. Officii 20 Februarii 1888 comprehendi: mixtam vero religionem, uti impedimentum impediens, non comprehendi.

Ex Litt. S. C. S. Officii 7 Aug. 1891.
Decretum quoad cohabitationes coniugis infidelis etc.

Nella Congr. di fer. IV. **5** corr. preso in esame l'esposto di Mons. Vescovo di Kishnagore nell'India **(1)** in cui quel Prelato domanda istruzioni sulla maniera di contenersi circa l'interpellanza del coniuge infedele, attese le difficoltà che le circostanze della sua diocesi oppongono all'adempimento nei dovuti modi delle prescrizioni esistenti in proposito : gli Emi Sigg. Cardd. Inquisitori Generali hanno emanato il seguente decreto, approvato nell'Udienza del giorno appresso dal Santo Padre:

« Licet infidelis, facta interpellatione, sine Creatoris contumelia se cohabitaturum polliceatur, pertinere ad Episcopum, ipsius onerata conscientia, ut omni adhibita diligentia et perpensis singulorum casuum circumstantiis et moribus regionum, iudicet utram parti ad fidem conversae permittenda sit cohabitatio iuxta ea quae traduntur a sa. me. Bened. XIV. *De Syn. dioec. lib. XIII, cap. XXI, n. 1* (2).

(1) In litteris ad Emum Praef. S. C. de Prop. Fide (25 Febr. 1890) haec, quae sequuntur, exposuerat Episcopus Kishnaguren. ; «. . . . Passo adesso a pregare V. E. a volermi benignamente chiarire sopra un dubio risguardante il secondo punto dell'interpellanza, cioè sulla dichiarazione della parte infedele che consente di coabitare colla parte fedele *sine contumelia Creatoris.* Tale promessa è in pratica moralmente nulla e non degna di fede, in questa diocesi, qualora fosse fatta. — Ecco il fatto. Secondo gli usi del paese, un infedele che mangia con un cristiano è considerato come cristiano dagl' infedeli, e perciò espulso dalla casta. Persino i suoi genitori non vogliono seco lui mangiare insieme: Se perciò la parte infedele acconsente di coabitare colla parte fedele *sine Contumelia Creatoris,* è moralmente impossibile prestarle fede, poiché nè sarebbe considerata cristiana dai cristiani, nè infedele dagl'infedeli. Se tale persona fosse sinceramente pronta a romperla cogi' infedeli, essa pure si farebbe cristiana. Il credere perciò nel caso a tale promessa sarebbe un esporre (a parte neofita all'apostasia. La parte infedele, dopo ricevuto il consorte fedele, pagherebbe la sua multa, ed egli o ella sarebbe nuovamente ricevuta nella casta, seco trascinando il consorte cattolico ».

(2) Haec ibi : « Superiori ecclesiastico onus incumbit adhibendi vigilem curam ne, infideli coniuge in societatem tori consentiente, id mali sequatur ut neophytus ad vomitum redeat, et in pristinas infidelitatis tenebras prolabalur. Cohabitatio cum infideli coniuge, eliam remota Creatoris contumelia, videtur vetita a Concilio Toletano IV. in Can. *Iudae qui christianas 28 quaest. I.* Eadem tamen expresse permittitur Cap. *Quanto,* et Cap. *Gaudemus, de divortiis,* quae multo tempore post Toletanum canonem edita fuisse constat. Non desunt tamen theologi dari nominis qui, gravi spectato periculo, cui ex societate cum infideli coniux fidelis exponitur, etiamsi ille sine Creatoris contumelia se cohabitaturum polliceatur, adhuc tamen societatem huiusmodi illicitam esse contendant. Videri hac de re possunt Pontius *de Matrim, lib. 7 cap. 48 n. 8 et seq. ;* a Breno *in Manual, missionarior. oriental, tom. 2*

S. C. S. Officii 18 Maii 1892 — Vic. Ap. Zanguebaren.
Dubia quoad matrimoniorum legitimitatem.

Utrum habenda sint uti vera et legitima:

1. Matrimonia contracta ab infidelibus sub servitute dominorum constitutis, licet vir et uxor seorsim venumdari queant, licet unus sine alio emancipan possit, licet vir vel emancipatus vel alteri venditus, relictis, uxore et liberis, siquos habuit, aufugiat ab hero, vel sit paratus animo arripiendi fugam quum primum sese obtulerit occasio.

2. Matrimonium alienigenae, qui se alicui hero servitio tradit, absque tamen obligatione manendi penes eum in perpetuum, et ab eodem petit et obtinet mulierem quae ei adsistentiam praestet, ob quam simul convivendo procul dubio actus coniugales gignuntur, licet hae maritales relationes facile abrumpantur, sive vir abscedat, sive herus praestitam mulierem sibi revocet.

3. Matrimonia ab infidelibus, sive liberis, sive servis, etiam dote intercedente, contracta, hac tamen persuasione quod sint solubilia si divortium vel polygamia locum habeat.

R. Ad 1. In decisis fer. IY, 29 Iulii 1885, nempe cum praeslitui non possit generalis regula, ex qua matrimonia infidelium illius regionis haberi debeant veluti mera contubernia, instituendum est in singulis casibus particularibus examen circumstantiarum et modi quo coniugium primitus initum fuerit, tum eius diuturnitatis aliorumque adiunctorum quae accesserint. Si una ex duabus partibus convertatur!, altera remanente in infidelitate, supplicandum SSmo pro facultate qua R. P. D. Vicarius Ap. illam ab interpellatione dispensare valeat. Si vero pars una convertatur post conversionem alterius, et examinato casu particulari, supersit dubium, stet pro nullitate matrimonii in favorem Fidei.

Ad 2. Ut in praecedenti.

Ad 3. Matrimonia contracta, ut exponitur, generatim habenda esse uti legitima, nisi aliud obstet impedimentum iuris naturalis et divini. SSmus approbare ac pro facultate, de qua supra, benigne annuere dignatus est.

lib. 3 cap. 2 quaest, i n. 16. **At satis recte sentire videtur Cabassutius, qui in Theor. et Prax. Iur. Canon. lib. 5 cap. 25 n. 10 et 11, huius dubii resolutionem pendere affirmat a casuum circumstantiis, et moribus regionum ».**

S. C. S. Officii 18 Maii 1892 — Ep. Siouxormen. (Sioux-Falls).
Dubia quoad matrimonia contracta ab Indianis.

Mos est indianis huius regionis contrahendi matrimonia, uxorum suarum indolem ac qualitates tentandi gratia, nempe utrum bonae sint ac prudentes nec ne, et animo dimittendi si fatuae ac improbae. Hinc duo sequentia dubia:

1. Potestne ipsis fides adhiberi si iureiurando affirmant se numquam indissolubili vinculo cum praecedentibus uxoribus matrimonium contraxisse : eisque permitti ut sibi iungant secundum leges sanctae matris Ecclesiae eam, quam nunc habent?

2. Possuntne isti pagani, praecedentibus uxoribus adhuc viventibus dimissis, ducere eam cum qua nunc vivunt, si cum ipsa baptizari velint, et christianorum more matrimonium contrahere?

R. Ad 1. Affirmative, si agatur de infidelibus, post institutum diligens examen omnium adiunctorum circa ipsorum credibilitatem, et nullum aut leve dubium supersit de assertionis veritate. Negative, si agatur de fidelibus, sed requiritur legitima probatio.

Ad 2. Si instituto diligenti examine, matrimonium cum prima quae iam baptizata fuerit, validum inveniatur, ad illam redire omnino tenentur. Si autem non fuerit baptizata, satis erit interpellare utrum velit converti. Ubi vero converti nolint,'vel serio dubitetur de validitate matrimonii cum prima, poterunt quamlibet ducere, dummodo sit baptizata, renovato consensu. — SSmus adprobavit.

S. C. S. Officii IO Febr. 1892 — De matrimoniis mixtis.
Dubia quoad matrimonia mixta.

1. Se i matrimoni fra cattolici e greci scismatici celebrati nella Dalmazia e nell'Albania, davanti al parroco scismatico, quando non osta altro impedimento canonico, siano validi?

2. Se il coniuge cattolico pentito, non potendo ottenere dalla parte scismatica l'osservanza delle condizioni dal diritto naturale e divino comandate, prometta di procurarne, per quanto può la conversione, e di educare cattolicamente tutta la prole, debba essere ammesso ai ss. Sacramenti?

Ad 1. Affirmative: scilicet, matrimonia de quibus agitur, quamvis illicita, esse tamen valida, nisi aliud obstet canonicum impedimentum.

Ad 2. Affirmative, si pars catholica facti vere poenitens sit, praevia absolutione a censuris, impositisque salutaribus poenitentiis, dum-

modo sincere promittat se summo studio curaturam universae prolis utriusque sexus educationem in catholica religione, et partis schismaticae conversionem.

S. C. S. Officii 14 Aug. 1892 — Dubium quoad dispensationem habitam per thelegraphum.

Se sia valida una dispensa matrimoniale eseguita dall'Ordinario dietro l'avviso telegráfico, prima di avere ricevuto il documento autentico della grazia concessa.

R. Negative, nisi notitia telegraphica transmissa fuerit ex officio, auctoritate S. Sedis. — SSmus approbavit.

S. C. S. Officii 15 Dec. 1886 — Quoad cremationem aliena voluntate peractam.

Quoties agatur de iis quorum corpora, non propria ipsorum sed aliena voluntate cremationi subiiciuntur, Ecclesia ritus et suffragia adhiberi posse tum domi tum in ecclesia, non autem usque ad cremationis locum, remoto scandalo. Scandalum vero removeri etiam poterit, si notum fiat cremationem non propria defuncti, sed aliorum voluntate electam fuisse. At ubi agatur de iis, qui propria voluntate cremationem elegerunt, et in hac voluntate certo et notorie usque ad mortem perseverarunt, attento decreto feriae IV. 19 Maii 1886 (d), agendum cum iis iuxta normas Ritualis Romani Tit. *Quibus non licet dare sepulturam ecclesiasticam.* In casibus autem particularibus, in quibus dubium vel difficultas oriatur, consulendus erit Ordinarius, qui accurate perpensis omnibus adiunctis, id decernet, quod magis expedire in Domino iudicaverit.

S. C. S. Officii 15 April. 1892 — Vic. Ap. Nankin. Dubia quoad obiecta superstitiosa.

1. Nautae christiani, quibus permitti potest ut vehant gentiles secum afferentes superstitiosa obiecta ad sepulcra maiorum vel ad alia loca, possuntne iidem ipsi suis manibus asportare huiusmodi superstitiosa, puta thymiamata, nummos papyraceos etc. a domo gentilium usque ad cymbas suas, et item, cum ad locum designatum perventum fuerit, e suis cymbis ad sepulcra maiorum, circa quae gentiles ea obiecta super-

(1) Adest hoc decretum Vol. XIX,- 46.

stitiosis ritibus comburant? in nostra regione, ut fert generatim usus, parvae sarcinae illorum qui cymbas conduxerunt, de domo ad cymbam et de cymba ad locum quo pergunt, ab ipsis nautis transportante.

2. Sunt christiani qui suis parvis cymbis acceptas cuiusvis generis merces a mercatoribus alicuius emporii, ad aliud emporium transportant, et istius loci mercatoribus merces ipsis destinatas tradunt. Si inter merces sint aliqua obiecta superstitiosa, et ad exercendas superstitiones unice deputata, possuntne isti christiani nautae eiusmodi obiecta, sicut ceteras merces, de uno ad aliud emporium suis cymbis vehere et mercatoribus, ad quos mittuntur, tradere?

R. Tolerari posse ad formam decreti fer. IV. 12 Iulii 1854 ad Vic. Ap. Tunkini Orientalis (1). — SSmus approbavit.

S. C. S. Officii il Maii 1892 — Dubium quoad illos qui matrimonium contrahunt coram ministro acatholico.

Quid faciendum sit de iis catholicis qui secundum veterem dioecesium nostrarum (i. e. in Borussia existentium) usum, licet coram ministro acatholico matrimonium contraxerint, a confessariis sine speciali facultate absolvendi ad Ss. Sacramenta admissi sunt.

R. Qui matrimonium coram ministro haeretico ineunt, censuram contrahere ; Ordinarios autem vi facultatum quinquennalium nedum posse eos absolvere, sed etiam alios subdelegare ad eosdem absolvendos. Qui vero huc usque, nulla praevia a censuris absolutione, ab huiusmodi .culpa absoluti, iuxta exposita non esse inquietandos.

S. C. S. Officii 6 Iulii 1892 — Lex tridentina non infirmatur per inobservantiam haereticorum.

Nullum temporis spatium sufficere ut lex tridentina vim obligandi amisisse censeatur aliquo in loco per simplicem inobservantiam haereticorum.

(1) Iste Vic. Ap. quaesivit utrum permitti posset christianis ut suis cymbis paganos etiam veherent ad idolorum fana cum rebus superstitiosis, vel sine his, accedentes. Iam vero S C. S. Officii respondit: « Cum actiones de quibus est sermo- sint per se licitae," vel saltem indifferentes, neque directe influant in superstitionem, dummodo non adsit scandalum, et grave immineat damnum, non esse inquietandos, dummodo tamen non sint in contemptum religionis, et a nautis christianis fiat protestatio, quatenus commode fieri possit, se non intendere ad superstitionem ».

EPISTOLA ENCYCLICA Sanctissimi D. N. Leonis PP. XIII a> praesentia et virtute mirifica Spiritus Sancti.

Divinum illud munus quod humani generis causa a Patre acceptum Iesus Christus sanctissime obiit, sicut eo tamquam ad ultimum spectat, ut homines vitae compotes fiant in sempiterna gloria beatae, ita huc proxime attinet per saeculi cursum, ut divinae gratiae habeant colantque vitam, quae tandem in vitam floreat caelestem. Quamobrem omnes ad unum homines cuiusvis nationis et linguae Redemptor ipse invitare ad sinum Ecclesiae suae summa benignitate non cessat : *Venite ad me omnes ; Ego sum vita; Ego sum pastor bonus.* Hic tamen secundum altissima quaedam consilia, eiusmodi munus noluit quidem per se in terris usquequaque conficere et explere ; verum quod ipse traditum a Patre habuerat, idem Spiritui Sancto tradidit perficiendum. Atque iucunda memoratu ea sunt quae Christus, paulo ante quam terras relinqueret, in discipulorum coetu affirmavit: *Expedit vobis ut ego vadam: si enim non* ***abierOj*** *Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos* ***(i).*** Haec enim affirmans, causam discessus sui reditusque ad Patrem eam potissimum attulit, utilitatem ipsis alumnis suis profecto accessuram ab adventu Spiritus Sancti : quem quidem una monstravit, a se aeque mitti atque adeo procedere sicut a Patre, eumdemque fore qui opus a semetipso in mortali vita exactum, deprecatur, consolator, praeceptor, absolveret. Multiplici nempe virtuti huiusce Spiritus, qui in procreatane mundi *ornavit caelos* (2) et *replevit orbem terrarum* (3), in eiusdem redemptione perfectio operis erat providentissime reservata. — Iamvero Christi Servatoris, qui princeps pastorum est et episcopus animarum nostrarum, exempla Nos imitari, ipso opitulante, continenter studuimus; religiose insistentes idem ipsius munus, Apostolis creditum in primisque Petro, *cuius etiam dignitas in indigno herede non deficit* (4). Hoc adducti consilio, quaecumque in perfunctione iam diuturna summi pontificatus

(1) Ioann. xvi, 7.

(2) Iob. XXXI, 13.

(3) Sap. I, 7.

(4) S. Leo M. ***ser. II. in o univ. ass. suae.***

aggressi sumus instandoque persequimur, ea conspirare voluimus ad duo praecipue. Primum, ad rationem vitae christianae in societate civili et domestica, in principibus et in populis instaurandam ; propterea quod nequaquam nisi a Christo vera in omnes profluat vita. Tum ad eorum fovendam reconciliationem qui ab Ecclesia catholica, vel fide vel obsequio dissident; quum haec eiusdem Christi certissima sit voluntas, ut ii omnes in unico Ovili sub suo Pastore una censeantur. Nunc autem, quum humani exitus adveníantem diem conspicimus, omnino permovemur animo ut Apostolatus Nostri operam, qualemcumque adhuc deduximus, Spiritui Sancto, qui Amor vivificans est, ad maturitatem fecunditatemque commendemus. Propositum Nostrum quo melius uberiusque eveniat, deliberatum habemus alioqui vos per sollemnia proxima sacrae Pentecostes de praesentia et virtute mirifica eiusdem Spiritus; quantopere nimirum et in tota Ecclesia et in singulorum animis ipse agat efficiatque praeclara copia charismatum supernorum. Inde fiat, quod vehementer optamus, ut fides excitetur vigeatque in animis de mysterio Trinitatis augustae, ac praesertim pietas augeatur et caleat erga divinum Spiritum, cui plurimum omnes acceptum referre debent quotquot vias veritatis et iustitiae sectantur: nam, quemadmodum Basilius praedicavit, *Dispensationes circa hominerrij quae factae sunt a magno Deo et Senatore nostro Iesu Christo iuxta bonitatem Dei, quis neget per Spiritus gratiam esse adimpletas ?* (1)

Antequam rem aggredimur institutam, nonnulla de Triadis sacrosanctae mysterio placet atque utile erit attingere. Hoc namque *substantia novi testamenti* a sacris doctoribus appellatur, mysterium videlicet unum omnium maximum, quippe omnium veluti fons et caput; cuius cognoscendi contemplandique causa, in caelo angeli, in terris homines procreati sunt, quod, in testamento veteri adumbratum, ut manifestius doceret, ab angelis ad homines Deus ipse descendit: *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrava* (2). Quisquis igitur de Trinitate scribit aut dicit, illud ob oculos teneat oportet quod prudenter monet Angelicus : *Quum de Trinitate loquimur cum cautela et modestia est agendum,*

(1) ***De Spiritu Sancto*** **c. xvi, n. 59.**
(2) **Ioann. I, 18.**

quia, ut Augustinus dicit, nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius aliquid invenitur (1). Periculum autem ex eo fit, ne in fide aut in cultu vel divinae inter se Personae confundantur vel unica in ipsis natura separetur ; nam, *fides catholica haec est, ut unum, Deum in Trinitate et Trinitatem in unitate veneremur.* Quare Innocentius XII, decessor Noster, sollemnia quaedam honori Patris propria postulantibus omnino negavit. Quod si singula Incarnati Verbi mysteria certis diebus festis celebrantur, non tamen proprio ullo festo celebratur Verbum, secundum divinam tantum naturam: atque ipsa etiam Pentecostes sollemnia non ideo inducta antiquitus sunt, ut Spiritus Sanctus per se simpliciter honoraretur, sed ut eiusdem recoleretur adventus sive externa missio. Quae quidem omnia sapienti consilio sancita sunt, ne quis forte a distinguendis Personis ad divinam essentiam distinguendam prolaberetur. Quin etiam Ecclesia ut in fidei integritate filios contineret, sanctissimae Trinitatis festum instituit, quod Ioannes XXII deinde iussit ubique agendum ; tum altaria et templa eidem dicari permisit; atque Ordinem religiosorum captivis redimendis, qui Trinità ti devotus omnino est eiusque titulo gaudet, non sine caelesti nutu rite comprobavit. Multaque rem confirmant. Cultus enim qui sanctis Caelitibus atque Angelis, qui Virgini Deiparae, qui Christo tribuitur, is demum in Trinitatem ipsam redundat et desinit. In precationibus quae uni Personae adhibentur, item de ceteris mentio est; in forma supplicationum, singulis quidem Personis seorsum invocatis, communis earum invocatio subiicitur; psalmis hymnisque idem omnibus praeconium accedit in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum ; benedictiones, ritus, sacramenta comitatur aut conficit sanctae imploratio Trinitatis. Atque haec ipsa iampridem Apostolus praemonuerat in ea sententia : *Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omina ; ipsi gloria in saecula* (2) : inde significans Personarum trinitatem, hinc unitatem affirmans naturae, quae quum una eademque singulis sit Personis, ideo singulis, tamquam uni eidemque Deo, aeterna aeque maiestatis gloria debetur. Quod testimonium edisserens Augustinus, *Non confuse,* inquit, *accipiendum est quod ait Apostolus, ex ipso et*

(1) ***Summ. th.* î* *q.* xxxi, *a. 2* - *De* *Trin. I. I, c. 3.***
(2) **Rom. xi, 56.**

per ipsum et in ipso ; ex ipso dicens propter Patrem, per ipsum propter Filium, in ipso propter Spiritum Sanctum (1). — Aptissimeque Ecclesia, ea Divinitatis opera in quibus potentia excellit, tribuere Patri, ea in quibus excellit sapientia, tribuere Filio, ea in quibus excellit amor, Spiritui Sancto tribuere consuevit. Non quod perfectiones cunctae atque opera extrinsecus edita Personis divinis communia non sint; sunt enim *indivisa opera Trinitatis, sicut et indivisa est Trinitatis essentia* (2), quia, uti tres Personae divinae *inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operantur* (3) : verum quod ex comparatione quadam et propemodum affinitate, quae inter opera ipsa et Personarum proprietates intercedit, ea alteri potius quam alteris addicuntur sive, ut aiunt, appropriantur : *Sicut similitudine vestigii vel imaginis in creaturis inventa, utimur ad manifestationem divinarum Personarum, ita et essentialibus attributis ; et haec manifestatio Personarum per essentialia attributa appropriano dicitur* (4). Hoc modo Pater qui est *principium totius Deitatis* (5), idem causa est effectrix universitatis rerum et Incarnationis Verbi et sanctificationis animorum, *ex ipso sunt omnia; ex* ipso, propter Patrem. Filius autem, *Verbum Imago Dei,* idem est causa exemplaris unde res omnes formam et pulchritudinem, ordinem et concentum imitantur ; qui extitit nobis via, veritas, vita, hominis cum Deo reconciliator, *per ipsum sunt omnia;* per ipsum, propter Filium. Spiritus vero Sanctus idem est omnium rerum causa ultima, eo quia sicut in fine suo voluntas lateque omnia conquiescunt, non aliter ille, qui divina bonitas est ac Patris ipsa Filiique inter se caritas, arcana ea opera de salute hominum sempiterna, impulsione quadam valida suavique complet et perficit, *in ipso sunt omnia ;* in ipso, propter Spiritum Sanctum.

Rite igitur inviolateque custodito religionis studio, toti debito Trinitati beatissimae, quod magis magisque in christiano populo aequum est inculcari, ad virtutem Spiritus Sancti exponendam oratio Nostra convertitur. — Ac principio respici oportet ad Christum, conditorem Ecclesiae et nostri generis Redemptorem.

(1) *De Trin.* 1. vi, c. 10. - 1. i. c. 6.

(2) S. Aug. *de Trin.* 1. i, c. 4 et 5.

(o) S. Aug. *ib.*

(4) S. Th. I', q. XXXIX, a. 7.

(5) S. Aug. *de Trin* 1. iv, c. 20.

Sane in operibus Dei externis illud eximie praestat Incarnati Verbi mysterium, in quo divinarum perfectionum sic enitet lux ut quidquam supra ne cogitari quidem possit, et quo aliud nullum humanae naturae esse poterat salutarius. Hoc igitur tantum opus, etsi totius Trinitatis fuit attamen Spiritui Sancto tamquam proprium adscribitur : ita ut de Virgine sic Evangelia commémorent : *Inventa est in utero habens de Spiritu Saneto,* et : *Quod in ea natum est, de Spiritu Saneto est* (1). Idque merito adscribitur ei qui Patris et Filii est caritas ; quum hoc *magnum pietatis Sacramentum* (2) sit a summa Dei erga homines caritate profectum, prout Ioannes commonet : *Sie Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret* (3). Accedit quod natura humana evecta inde sit ad coniunctionem *personalem* cum Verbo : quae dignitas non ullis quidem data est eius promeritis, sed ex integra plane gratia, propter eaque ex munere veluti proprio Spiritus Sancti. Ad rem apposite Augustinus : *Iste modus,* inquit, *quo est natus Christus de Spiritu Sancto, insinuât nobis gratiam Dei, qua homo nullis praecedentibus meritis, in ipso primo exordio naturae suae quo esse coepit, Verbo Dei copularetur in tantam personae unitatem, ut idem* ¿p«g *esset Filius Dei qui Filius hominis, et Filius hominis qui Filius Dei* (4). Divini autem Spiritus opera non solum conceptio Christi effecta est, sed eius quoque sanctificatio animae, quae *unctio* in sacris libris nominatur (5): atque adeo omnis eius actio *praesente spiritu peragebatur* (6), praecipueque sacrificium sui : *Per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo* (7). — Ista qui perpenderit, nihil erit ei mirum quod charismata omnia almi Spiritus in animam Christi affiuxerint. Namque in ipso copia insedit gratiae singulariter plena, quanto maximo videlicet modo atque efficacitate haberi possit ; in ipso omnes sapientiae scientiaeque thesauri, gratiae gratis datae, virtutes, donaque omnino omnia quae tum Isaiae oraculis nunciata (8), tum significata sunt admirabili ea columba ad lorda-

ci) Matth, i, 18,20.

(2) I Tim. m, 16.

(3) m, 16.

(4) *Enchir.* c. xxxx - S. Th. 3ª, q. xxxn, a. 1.

(5) Actor, x, 38.

(6) S. Basil, *de Sp. S.,* c. xvi.

(7) Hebr. ix, 14.

(8) IV, i; XI, 2, 3..

nem, quum eas aquas suo Christus baptismate ad sacramentum novum consecra vit. Quo loco illa eiusdem Augustini recte conveniunt: *Absurdissimum est dicere quod Christus, quum iam triginta esset annorum, accepit Spiritum Sanctum, sed venit ad baptismum sicut sine peccato, ita non sine Spiritu Sancto. Tum ergo,* scilicet in baptismate, *corpus suum, idest Ecclesiam, praefigurari dignatus est, in qua praecipue baptizati accipiunt Spiritum Sanctum* (1). Itaque Spiritus Sancti et praesentia conspicua super Christum et virtute intima in anima eius, duplex eiusdem Spiritus praesignifìcatur missio, ea nimirum quae in Ecclesia manifesto patet, et ea quae in animis iustorum secreto illapsu exercetur.

Ecclesia, quae iam concepta, ex latere ipso secundi Adami, velut in cruce dormientis, orta erat, sese in lucem hominum insigni modo primitus dedit die celeberrima Pentecostes. Ipsaque die beneficia sua Spiritus Sanctus in mystico Christi corpore prodere coepit, ea mira effusione quam Ioel propheta iampridem viderat (2): nam Paraclitus *sedi t super Apostolos ut novae coronae spirituales per linguas igneas imponerentur capiti illorum* (3). Tum vero Apostoli *de monte descenderunt,* ut Chrysostomus scribit, *non tabulas lapídeas in manibus portantes, sicut Moyses, sed Spiritum in mente circumferentes, et thesaurum quemdam ac fontem dogmatum et charismatum effundentes* (4). — Ita plane eveniebat illud extremum Christi ad Apostolos suos promissum de Spiritu Sancto mittendo, qui doctrinae, ipso afflante, traditae completurus ipse esset et quodammodo obsignaturus depositum : *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo; quum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* (5). Hic enim qui Spiritus est veritatis, utpote simul a Patre, qui verum aeternum est, simul a Filio, qui veritas est substantialis, procedens, haurit ab utroque una cum essentia omnem veritatis quanta est amplitudinem : quam quidem veritatem impertit ac largitur Ecclesiae, auxilio presentissimo providens ut ipsa ne ulli unquam errori obnoxia sit, utque divinae doctrinae germina alere

(1) *De Trin. I.* xv, c. 26.
(2) n, 28, 29.
(5) Cyr. hierosol. *catech.* 17.
(4) *In Matth. hom..* i, II Cor. III, 5.
(5) Ioan. xvi, 12, 15.

copiosius in dies possit et frugifera praestare ad populorum salutem. Et quoniam populorum salus, ad quam nata est Ecclesia, plane postulat ut haec munus idem in perpetuitatem temporum persequatur, perennis idcirco vita atque virtus a Spiritu Sancto suppetit, quae Ecclesiam conservat augetque: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis* (1). Ab ipso namque episcopi constituuntur, quorum ministerio non modo filii generantur, sed etiam patres, sacerdotes videlicet, ad eam regendam enutriendamque eodem sanguine quo est a Christo redempta : *Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sang urne suo* (2). Utrique autem, episcopi et sacerdotes, insigni Spiritus munere id habent ut peccata pro potestate deleant, secundum illud Christi ad Apostolos : *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (3). Porro Ecclesiam opus esse plane divinum, alio nullo argumento praeclaras constat quam charismatum quibus undique illa ornatur splendore et gloria ; auctore nimirum et datore Spiritu Sancto. Atque hoc affirmare sufficiat, quod quum Christus caput sit Ecclesiae, Spiritus Sanctus sit eius anima : *Quod est in corpore nostro anima, id est Spiritus Sanctus in corpore Christi, quod est Ecclesia* (4). — Quae ita quum sint, nequaquam comminisci et expectare licet aliam ullam ampliorem uberioremque *divini Spiritus manifestationem et ostensionem ;* quae enim nunc in Ecclesia habetur, maxima sane est, eaque tamdiu manebit quoad Ecclesiae contingat ut, militiae emensa stadium, ad triumphantium in caelesti societate laetitiam educatur.

Quantum vero et quo modo Spiritus Sanctus in animis singulorum agat, id non minus admirabile est, quamquam intellectu paulo est difficilius, eo etiam quia omnem intuitum fugiat oculorum. — Haec pariter Spiritus effusio tantae est copiae, ut Christus ipse, cuius de munere proficiscitur, abundantissimo amni similem dixerit, prout est apud Ioannem : *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, fiumina de ventre eius ßuent aquae vivae:* cui testimonio idem Evangelista explanationem subiicit:

(1) *Ib.* xiv, 16, 17.

(2) Act. XX, 28. -

(3) Ioann. xx, 22, 23.

(4) S. Aug *serm.* CLXXXVII *de temp*

Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum (1). Certum quidem est, in ipsis etiam hominibus iustis qui ante Christum fuerunt, insedisse per gratiam Spiritum Sanctum, quemadmodum de prophetis, de Zacharia, de Ioanne Baptista, de Simeone et Anna scriptum accepimus ; quippe in Pentecoste non ita se Spiritus Sanctus tribuit, *ut tunc primum esse sanctorum inhabitator inciperet, sed ut copiosius inundaret, cumulans sua dona, non inehoans, nec ideo novus opere, quia ditior largitate* (2). Verum, si et illi in filiis Dei numerabantur, conditione tamen perinde erant ac servi, quia etiam filius *nihil differt a servo,* quousque est *sub tutoribus et actoribus* (3) : ac, praeter quam quod iustitia in illis non erat nisi ex Christi meritis adventuri, communicatio Spiritus Sancti post Christum facta multo est copiosior, propemodum ut arram pretio vincit res pacta, atque ut imagini longe praestat veritas. Hoc propterea affirmavit Ioannes : *Nondum erat Spiritus datas, quia Iesus non erat glorificatus* (4). Statim igitur ut Christus, *ascendens in altum,* regni sui gloria tam laboriose parta potitus est, divitias Spiritus Sancti munifice reclusit, *dedit dona hominibus* (5). Nam, *certa illa Spiritus Sancti datio vel missio post clarificationem Christi futura erat qualis nunquam antea fuerat, neque enim antea nulla fuerat, sed talis non fuerat* (6). Siquidem natura humana necessario serva est Dei : *Creatura serva est, servi nos Dei sumus secundum naturam* (7) : quin etiam ob communem noxam natura nostra omnis in id vitium dedecusque prolapsa est, ut praeterea infensi Deo extiterimus : *Eramus natura filii irae* (8). Tali nos a ruina exitioque sempiterno nulla usquam vis tanta erat quae posset erigere et vindicare. Id vero Deus, humanae naturae conditor, summe misericors praestitit per Unigenum suum : cuius beneficio factum, ut homo in gradum nobilitatemque, unde exciderat, cum donorum locupletare ornatu sit restitutus. Eloqui nemo potest quale sit opus istud di-

ti) vii, 38, 39.
(2) S. Leo M. *hom* m *de Pentec.*
(5) Gal, iv, 1, 2.
(4) vii, 39.
(5) Eph. iv, 8.
(6) S. Aug. *de Trin.* 1. iv, c. 20,
(7) S. Cyr. Alex. *Thesaur.* 1. v, c. o.
(8) Eph. n, 3.

vinae gratiae in animis hominum ; qui propterea luculenter tum in sacris litteris tum apud Ecclesiae patres, et regenerati et creaturae novae et consortes divinae naturae et filii Dei et deifici similibusque laudibus appellantur. — Iamvero tam ampla bona non sine causa debentur quasi propria Spiritui Sancto. Ipse enim est *Spiritus adoptionis filiorum, in quo elamamus : Abba, Pater;* idemque paterni amoris suavitate corda perfundit : *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei* (1). Cui rei declarandae opportune cadit ea, quam Angelicus perspexit, similitudo inter utramque Spiritus Sancti operam ; quippe per eum ipsum et *Christus est in sanctitate conceptus ut esset Filius Dei naturalis,* et *alii sanetifieantur ut sint filii Dei adoptivi* (2). Ita, multo quidem nobilius quam in rerum natura fiat, ab amore oritur spiritualis regeneratio, ab Amore scilicet increato.

Huius regenerationis et renovationis initia sunt homini per baptisma: in quo sacramento, spiritu immundo ab anima depulso, illabitur primum Spiritus Sanctus, eamque similem sibi facit: *Quod natum est ex Spiritu, spiritus est* (3). Uberiusque per sacram confirmationem, ad constantiam et robur christianae vitae, sese dono dat idem Spiritus; a quo nimirum fuit victoria martyrum et virginum de illecebris corruptelarum triumphus. Sese, inquimus, dono dat Spiritus Sanctus: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis* (4). Ipse enimvero non modo affert nobis divina munera, sed eorumdem est auctor, atque etiam munus ipse est supremum; qui a mutuo Patris Filiique amore procedens, iure habetur et nuncupatur *altissimi donum Dei.* — Cuius doni natura et vis quo illustrius pateat, revocare oportet ea quae in divinis litteris tradita sacri doctoris explicaverunt, Deum videlicet adesse rebus omnibus in eisque esse, *per potentiam, in quantum omnia eius potestati subduntur: per praesentiam, in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis eius; per essentiam, in quantum adest omnibus ut causa essendi* (5). At vero in homine est Deus non tantummodo ut in rebus, sed eo amplius

(1) Rom. VIII, 15. 16.
(2) S. Th. 3*, *q.* xxxn, a. 1.
(3) Ioann. m, 7.
(4) Rom. v, 5.
(5) S. Th. I', *q.* VIII, *a.* 3.

cognoscitur ab ipso et diligitur; quum vel duce natura bonum sponte amemus, cupiamus, conquiramus. Praeterea Deus ex gratia insidet animae iustae tamquam in templo, modo penitus intimo et singulari; ex quo etiam' sequitur ea necessitudo caritatis, qua Deo adhaeret anima coniunctissime, plus quam amico amicus possit benevolenti maxime et dilecto, eoque plene, suaviterque fruitur. — Haec autem mira coniunctio, quae suo nomine *inhabitatio* dicitur, conditione tantum seu statu ab ea discrepans qua caelites Deus beando complectitur, tametsi verissime efficitur praesenti totius Trinitatis numine, *ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* (1), attamen de Spiritu Sancto tamquam peculiaris praedicatur. Siquidem divinae et potentiae et sapientiae vel in homine improbo apparent vestigia; caritatis, quae propria Spiritus veluti nota est, alius nemo nisi iustus est particeps. Atque illud cum re cohaeret, eumdem Spiritum nominari Sanctum, ideo etiam quod ipse, primus summusque Amor, animos moveat agatque ad sanctitatem, quae demum amore in Deum continetur. Quapropter Apostolus quum iustos appellat templum Dei, tales non expresse Patris aut Filii appellat, sed Spiritus Sancti: *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo?* (2) — Inhabitantem in animis piis Spiritum Sanctum ubertas munerum caelestium multis modis consequitur. Nam, quae est Aquinatis doctrina, *Quum Spiritus Sanctus procedat ut amor, procedit in ratione doni primi; unde dicit Augustinus, quod per donum quod est Spiritus Sanctus, multa propria dona dividuntur membris Christi* (3). In his autem muneribus sunt arcanae illae admonitiones invitationesque, quae instinctu Sancti Spiritus identidem in mentibus animisque excitantur; quae si desint, neque initium viae bonae habetur, neque progressiones, neque exitus salutis aeternae. Et quoniam huiusmodi voces et motiones occulte admodum in animis fiunt, apte in sacris paginis similes nonnunquam habentur venientis aurae sibilo; easque Doctor Angelicus scite confert motibus cordis, cuius tota vis est in animante perabdita: *Cor habet quamdam influentiam occultam, et ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus,*

(1) Ioann. xiv, 23.
(2) I Cor vi, 19.
(5) *Summ. th.* I, *q.* xxxvni, *a.* 2. - S. Aug. *de Trin* . 1. xv, c. 19.

qui invisibiliter Ecclesiam vivificat et unit (1). — Hoc amplius, homini iusto, vitam scilicet viventi divinae gratiae et per congruas virtutes tamquam facultates agenti, opus plane est septenis illis quae proprie dicuntur Spiritus Sancti donis. Horum enim beneficio instruitur animus et munitur ut eius vocibus atque impulsioni facilius promptiusque obsequatur; haec propterea dona tantae sunt efficacitatis' ut eum ad fastigium sanctimoniae adducant, tantaeque excellentiae ut in caelesti regno eadem quamquam perfectius, perseverent. Ipsorumque ope charismatum provocatur animus et effertur ad appetendas adipiscendasque beatitudines evangélicas quae, perinde ac flores verno tempore erumpentes, indices ac nunciae sunt beatitatis perpetuo mansurae. Felices denique sunt fructus ii, ab Apostolo enumerati (2), quos hominibus iustis in hac etiam caduca vita Spiritus parit et exhibet, omni referios dulcedine et gaudio; cuiusmodi esse debent a Spiritu, *qui est in Trinitate genitoris genitique suavitas, ingenti largitate atque ubertate perfundens omnes creaturas* (3). — Itaque divinus Spiritus in aeterno sanctitatis lumine a Patre et a Verbo procedens, amor idem et donum, postquam se per velamen imaginum in testamento veteri exhibuit, plenam sui copiam effudit in Christum in eiusque corpus mysticum, quae est Ecclesia; atque homines in pravitatem et corruptelam abeuntes, praesentia et gratia sua tam salutariter revocavit, ut iam non de terra terreni, longe alia saperent et vellent, quasi de caelo caelestes.

Haec omnia quum tanta sint, quumque Spiritus Sancti bonitatem in nos immensam luculenter declarent, 'omnino postulant a nobis, ut obsequii pietatisque studium in eum quam maxime intendamus. Id autem christiani homines recte optimeque efficient, si eumdem certaverint maiore quotidie cura et noscere et amare et exorare: cuius rei gratia sit haec ad ipsos, prout sponte fluit paterno ex animo, cohortatio. — Fortasse ne hodie quidem in eis desunt, qui similiter rogati ut quidam olim a Paulo apostolo, acceperintne Spiritum Sanctum, respondeant similiter: *Sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus* (4). Sin minus, multi certe in eius cognitione valde deficiunt; cuius qui-

(1) ***Summ. th.*** **3ª, *q.*** VIII, ***a. i. ad*** *3.*
(2) **Gal. v, 22.**
(3) **S. Aug. *de Trin.* 1. vi, c. 9.**
(4) **Act.. XIX, 2.**

dem crebro usurpant nomen in religiosis actibus exercendis, sed ea fide quae crassis tenebris circumfusa est. Quapropter quotquot sunt sacri concionatores curatoresque animarum hoc meminerint esse suum, ut quae ad Spiritum Sanctum pertinent diligentius atque uberius populo tradant; sic tamen ut difficiles subtilesque absint controversiae, et prava eorum stultitia devitetur qui omnia etiam arcana divina temere conantur perscrutari. Illud potius commemorandum enucleateque explanandum est, quam multa et magna beneficia ab hoc largitore divino et manaverint ad nos et manare non desinant; ut vel error vel ignoratio tantarum rerum, *lucis filiis* indigna, prorsus depellatur. Hoc autem propterea urgemus, non modo quia id attingit mysterium quo ad vitam aeternam proxime dirigimur, ob eamque rem firme credendum; verum etiam quia bonum quo clarius pleniusque habetur cognitum, eo impensius diligitur et amatur. — Nempe Spiritui Sancto, quod alterum praestandum esse monuimus, debetur amor, quia Deus est : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima, tua, et ex tota fortitudine tua* (1). Amandusque idem est, quippe substantialis, aeternus, primus amor; amore autem nihil est amabilius: multoque id magis quia summis ipse nos cumulavit beneficiis, quae ut largientis benevolentiam testantur, ita gratum animum accipientis reposcunt. Qui amor duplicem habet utilitatem neque eam exiguam. Nam tum ad illustriorem in dies notitiam de Spiritu Sancto capiendam nos exacuet: *Amans enim,* ut.Angelicus ait, *non est contentus superficiali apprehensione amati, sed nititur singula quae ad amotum pertinent intrinsecus disqtdrere, et sic ad interiora eius ingreditur, sicut de Spiritu Sancto, qui est amor Dei, dicitur quod scrutatur etiam profunda Dei* (2): tum caelestium donorum copiam nobis conciliari largiorem, eo quod donantis manum ut angustus animus contrahit, ita gratus et memor dilatat. Curandum tamen magnopere ut iste amor eiusmodi sit qui non in cogitatione arida externoque obsequio subsistat, sed ad agendum prosiliat, réfugiât maxime a culpa; quum haec Spiritui Sancto, peculiari quodam nomine, accidat iniuriosior. Qualicumque enim sumus, tanti sumus ex bonitate .divina; quae eidem Spiritui prae-

(1) Deut. vi, 5

(2) I Cor, II, 10 - *Summ, th..* I^a^, 2^ae^, *q* xxxvm, *a. 2.*

sertim adscribitur: hunc benigne sibi facientem is offendit qui peccat, quique ipsis eius abusus muneribus et bonitati confisus, quotidie magis insolescit. — Ad haec, quum veritatis ille sit Spiritus, si quis ex infirmitate aut inscitia deliquerit, forsitan excusationis aliquid apud Deum habeat; at qui per malitiam veritati repugnet ab eaque se avertat, in Spiritum Sanctum peccat gravissime. Quod quidem aetate nostra increbuit adeo, ut deterrima ea tempora advenisse videantur- a Paulo pronunciata, quibus homines iustissimo Dei iudicio obcaecati, falsa pro veris habituri sint, et *huius mundi principi,* qui mendax est et mendacii pater, tamquam veritatis magistro credituri: *Mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio* (1): *in novissimis temporibus discedant quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum* (2). — Quoniam vero Spiritus Sanctus in nobis, ut supra monuimus, quasi suo quodam in templo habitat, suadendum est illud Apostoli: *Nolite contristare . Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis* (3). Idque ipsum non satis est indigna omnia defugere, sed omni virtutum laude christianus homo nitere debet, ut hospiti tam magno tamque benigno placeat, castimonia in primis et sanctitudine; casta enim et sancta addecent templum. Hinc idem Apostolus: *Nescitis quia templum, Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdei illum Detis; templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (4): formidolosae eae quidem, sed perquam iustae minae. — Postremo, Spiritum Sanctum exorari et obsecrari oportet, quippe cuius praesidio adiumentisque nemo unus non egeat maxime. Ut enim quisque est inops consilii, viribus infirmus, aerumnis pressus, pronus in vetitum, ita ad eum confugere debet, qui luminis, fortitudinis, consolationis, sanctitatis fons patet perennis. Atque illa homini in primis necessaria, admissorum venia, ab eo potissimum expetenda est: *Spiritus Sancti proprium est quod sit donum Patris et Filii : remissio autem peccatorum fit per Spiritum Sanctum, tamquam per donum Dei* (5) : de quo Spiritu apertius habetur in ordine rituali : *Ipse est remissio*

(1) II **Thess, II, 10.**

(2) I **Tim.** iv, **1.**

(3) **Eph.** iv, **30.**

(i) I **Cor.** in, **16, 17.**

(o) ***Summm. th.* 3ᵃ, r/, m, *a.* 8 *ad* 3ᵐ.**

omnium peccatorum (1). — Quanam vero ratione sit exorandus, perapte docet Ecclesia, quae supplex eum compellat et obtestatur suavissimis quibusque nominibus: *Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium : consolator optime, dulcis hospes animae, dulce refrigerium:* eumdemque enixe implorat ut eluat, ut sanet, ut irriget mentes atque corda, detque confidentibus et *virtutis meritum* et *salutis exitum* et *perenne gaudium.* Nec dubitare ullo pacto licet an huiusmodi preces auditurus ille sit, quo auctore scriptum legimus : *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (2). Demum hoc est fidenter assidueque supplicandum, ut nos quotidie magis et luce sua illustret et caritatis suae quasi facibus incendat ; sic enim fide et amore freti acriter enitantur ad praemia sempiterna, quoniam ipse *est pignus hereditatis nostrae* (3).

Habetis, Venerabiles Fratres, quae ad fovendum Spiritus Sancti cultum monendo hortandoque placuit edicere : minimeque dubitamus, quin ope praesertim navitatis solertiaeque vestrae praeclaros in christiano populo sint fructus latura. Nostra quidem tantae huic rei persequendae nulla unquam defutura est opera, atque etiam consilium est ut, quibus subinde modis videbitur opportunius, idem pietatis studium tam praestabile alamus et provehamus. interea, quoniam biennio ante, datis litteris *Provida matris,* peculiares preces, easque ad maturandum christianae unitatis bonum, in sollemnibus Pentecostes catholicis commendavimus, libet de hoc ipso capite ampliora quaedam decernere. Decernimus igitur et mandamus ut per orbem catholicum universum, hoc anno itemque annis in perpetuum consequentibus, supplicatio novendialis ante Pentecostem in omnibus curialibus templis et, si Ordinarii locorum utile iudicarint, in aliis etiam templis sacrariisve fiat. Omnibus autem qui eidem novendiali supplicationi interfuerint, et ad mentem Nostram, rite oraverint, eis annorum septem septemque quadragenarum apud Deum indulgentiam in singulos dies concedimus ; tum plenariam in uno quolibet eorumdem dierum vel festo ipso die Pentecostes, vel etiam quolibet ex octo subsequentibus, modo rite confessione abluti sacraque communione

(1) *In Miss. rom. fer.* m *post Pent.*

(2) Rom. VIII, 26.

(3) Eph. i, 14.

refecti ad eamdem mentem Nostram pie supplicaverint. Quibus beneficiis frui pariter eos posse volumus quos publicis illis precibus legitima causa prohibeat, vel ubi non ita commode, secundum Ordinarii prudentiam, in templo res fieri possit; dum tamen supplicationi novendiali privatim detur opera ceteraeque conditiones expleantur. Hoc praeterea placet de thesauro Ecclesiae in perpetuum tribuere, ut si qui vel publice vel privatim preces aliquas ad Spiritum Sanctum pro pietate sua iterum praestent quotidie per octavam Pentecostes ad festum inclusive sanctae Trinitatis, ceterisque ut supra conditionibus rite satisfecerint, ipsis liceat utramque iterum consequi indulgentiam. Quae omnia indulgentiae munera etiam animabus piis igni purgatorio addictis converti in suffragium posse, misericorditer in Domino concedimus.

Iam Nobis mens animusque ad ea revolat vota quae initio aperuimus; quorum eventum summis precibus a Divino Spiritu flagitamus, flagitabimus. Agite, Venerabiles Fratres, Nostris cum precibus vestras consocietis, vobisque hortatoribus universae christianae gentes coniungant suas, adhibita'conciliatrice potenti et peracepta Virgine Beatissima. Quae ipsi rationes cum Spiritu Sancto intercedant intimae admirabilesque, probe nostis ; ut Sponsa eius immaculata merito nominetur. Ipsius deprecatio Virginis multum profecto valuit et ad mysterium Incarnationis et ad eiusdem Paracliti in Apostolorum coronam adventum. Communes igitur preces pergat ipsa suffragio suo benignissima roborare, ut in universitate nationum tam misere laborantium divina rerum prodigia per almum Spiritum feliciter instaurentur, quae vaticinatione Davidica sunt celebrata : *Ernittes Spiritum tuum et creabuntur et renovable faciem terrae* (1). — Caelestium vero donorum auspicem et benevolentiae Nostrae testem vobis, Venerabiles Fratres, Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die ix Maii anno MDCCCLXXXXVII, Pontificatus Nostri vigesimo.

LEO PAPA XIII.

(1) Ps. cui, 30.

LITTERAE APOSTOLICAE in forma Brevis Sanctissimi D. N. Leonis PP. XIII de privilegiis Americae Latinae.

Trans Oceanum Atlanticum ad alteram orbis partem divinae Providentiae benigna dispositione per Cristophorum Columbum aperto itinere, Ecclesia Dei multa ibi mortalium millia reperit, quos, ut suum munus atque opus erat, a latebris et fero cultu ad humanitatem et mansuetudinem traduceret, ab errore et superstitione ad communionem bonorum omnium, quae per Iesum Christum parta sunt, ab interitu ad vitam revocaret. Quod quidem salutare munus, ipso vivente adhuc repertore Columbo, ab Alexandro VI Pontifice Maximo decessore Nostro inchoatum perpetuo caritatis tenore, ita Ecclesia insistere perrexit, pergit, ut temporibus nostris ad extremam usque Patagoniam sacras suas expeditiones auspicato protulerit. Campus enim spatio interminatus, cessatione ipsa atque otio ferax, si diligenter subigatur et colatur, fructus edit laetos atque uberes, cultorumque laboribus atque industriae optime respondet.

Quamobrem Romani Pontifices decessores Nostri nullo non tempore destiterunt ad Americae culturam novos operarios summittere, quos ut acrius elaborarent praestantioresque |ab opere suo fructus demeterent, singularibus facultatibus et privilegiis auxerunt, atque extraordinaria auctoritate et potestate corroborarunt. Quibus freti Missionarii, lumine religionis catholicae per Americae regiones longe lateque diffuso, brevi interiecto annorum spatio, in iis praesertim locis ubi novi incolae ab Europa commigrantes, nominatim Hispani, domicilium sibi sedemque stabilem collocaverant, templa excitarunt, monasteria condiderunt, paroecias, scholas aperuerunt, dioeceses ex potestate Summorum Pontificum constituerunt. Ex quo factum est ut Americae magna pars ab avita religione novorum incolarum et ab origine eorum linguae haberi et dici possit America Latina.

At illud proprium est humanarum institutionem et legum, ut nihil sit in eis tam sanctum et salutare quod vel consue tudo non demutet, vel tempora non invertant, vel mores non corrumpant. Sic in Ecclesia Dei in qua cum absoluta immu-

tabilitate doctrinae varietas disciplinae coniungitur, non raro evenit, ut quae olim apta erant atque idonea, ea labens aetas faciat vel inepta, vel inutilia, vel etiam contraria.

Quare antiquis privilegiis, temporis decursu vel ex parte abrogatis, vel alias ut plurimum insufficientibus, singulari Maximorum Pontificum largitione, aliae adiectae sunt facultates sub determinatis formulis, vel singulis Americae Latinae Episcopis deinceps delegari solitae, vel pro extraordinariis quibusdam casibus et determinatis regionibus concessae, quarum series si antiqua privilegia numero et extensione superat, difficultates tamen quae sunt circa naturam, vigorem et numerum eorumdem e medio non tollit. Ad haec amovenda incommoda decessor noster sanctae memoriae Pius IX, datis ad id similibus litteris die i Octobris anni MDCCCLXVII plura ex antiquis privilegiis pro Republica Aequatoris ad triginta annorum spatium confirmavit, seu quatenus opus fuerat denuo concessit.

Quum vero ex monumentis ecclesiasticis, Americam Latinam respicientibus, quae magna peritorum diligentia collecta atque investigata sunt, probe constet multa ex privilegiis Indiae Occidentali concessis, partim haud vigere, partim in dubium esse revocanda; Nos qui Americanas gentes egregie de Ecclesia Romana meritas singulari amore prosequimur, ad tollendas in re tanti momenti perplexitates et angustias animi, quae Episcopos illarum dioecesium aliosque, quorum interest, non raro exagitant, totum dictorum privilegiorum negotium deferri iussimus speciali Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium; qui post maturam deliberationem novorum privilegiorum catalogum, exclusis catalogis, summariis et recensionibus in conciliis provincialibus vel aliter editis, conficiendum censuerunt, confectumque Apostolica auctoritate probandum.

Nos igitur re mature perpensa, pro ea, quam gerimus de omnibus Ecclesiis sollicitudine, eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, ne Clerus et populus illarum regionum anteactorum privilegiorum memoria et usu penitus privati maneant, sententiam tenuimus et quae infra recensentur privilegia pro omnibus Americae Latinae singulisque dioecesibus et ditionibus de Apostolicae potestatis plenitudine ad proximum triginta annorum spatium hisce ipsis litteris concedimus. Quare, quod bonum, felix, faustumque sit et univer-

sae Americae Latinae Ecclesiae benevertat, mandamus, edicimus:

I. Ut electi Episcopi in Americae Latinae ditionibus commorantes, postquam promotionis litteras Apostolicas acceperint, nisi aliter in praefatis litteris praescriptum sit, a quocumque maluerint catholico Antistite, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente, accitis et assistentibus, si alii Episcopi assistentes absque gravi incommodo reperiri nequeant, duobus vel tribus presbyteris in ecclesiastica dignitate constitutis, vel Cathedralis Ecclesiae Canonicis, consecrationis munus accipere valeant.

II. Ut Concilii Provincialis celebratio ad duodecim annos differri possit, reservato Metropolitae iure illud frequentius, prout necessitas postulaverit, celebrandi, nisi aliter per Sedem Apostolicam postea ordinatum fuerit.

III. Ut Episcopi Sacrum Chrisma, quod ex indico etiam, Vero tamen balsami liquore fieri potest, et Olea Sacra conficere possint iis sacerdotibus adstantibus qui adstare potuerint, et, urgente necessitate, extra diem Coenae Domini.

IV. Ut adhiberi possint Sacra Olea etiam antiqua, non tamen ultra quatuor annos, dummodo corrupta ne sint, et peracta omni diligentia, nova vel recentiora Sacra Olea haberi nequeant.

V. Ut pro omnibus et solis regionibus seu locis, in quibus magnae distantiae causa vel ob aliud grave impedimentum perdifficile sit Parochis vel Missionariis ad Baptismum conferendum aquam Sabbato Sancto et Pentecoste benedictam ex fontibus baptismalibus, ubi asservatur, desumere et secum circumferre, Ordinarii, nomine sanctae huius Sedis, concedere possint Parochis et Missionariis supra dictis facultatem benedicendi aquam baptismalem ea breviori formula, qua Missionarios in Peruvia apud Indos Summus Pontifex Paulus III uti concessit, quaeque in appendice ad Rituale Romanum legitur.

VI. Ut si propter defectum temporis, improbamque defatigationem, aliisque gravibus de causis perdifficile sit omnes adhibere caeremonias pro Baptismo adultorum praescriptas, Parochi et Missionarii, de praevio Ordinarii consensu, uti possint solis ritibus, qui in Constitutione Pauli III « Altitudo » diei i Iunii anni MDXXXVII designantur. Insuper ut in iisdem rerum adiunctis Ordinarii nomine Sanctae Sedis concedere valeant Parochis

et Missionariis usum ordinis Baptismi parvulorum, onerata in usu huiusmodi facultatis eorumdem Ordinariorum conscientia super existentia gravis necessitatis.

VII. Ut in omnibus et singulis ditionibus Americae Latinae, nulla excepta, omnes sacerdotes tam saeculares quam regulares, quamdiu in praefatis ditionibus moram duxerint, et non alias, singulis annis die secunda Novembris seu die sequenti, iuxta rubricas Missalis Romani, qua nempe commemoratio omnium fidelium defunctorum ab Ecclesia universali recolitur, tres Missas singuli celebrare possint et valeant, ita tamen ut unam tantum eleemosynam accipiant, videlicet pro prima Missa dumtaxat, et in ea quantitate tantum, quae a Synodalibus Constitutionibus seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit; fructum autem medium secundae et tertiae Missae non peculiari quidem defuncto, sed in suffragium omnium fidelium defunctorum omnino applicent, ad normam Constitutionis Benedicti XIV Pontificis Maximi « Quod expensis » diei xxvi Augusti MDCCXLVIII.

VIII. Ut omnes fideles annuae Confessionis et Communionis praecepto satisfacere possint a Dominica Septuagesimae usque ad octavam diem solemnitatis Corporis Christi inclusive.

IX. Ut omnes fideles lucrari possint indulgentias et iubilaea, quae requirunt Confessionem, Communionem et ieiunium, dummodo servato ieiunio, si loco inhabitent, ubi impossibile prorsus vel difficile admodum sit Confessarii copiam habere, corde saltem contriti sint cum proposito firmo confitendi admissa quam primum poterunt, vel ad minus intra unum mensem.

X. Ut Indi et Nigritae intra tertium et quartum tam consanguinitatis quam affinitatis gradum matrimonia contrahere possint.

XI. Ut Indi et Nigritae quocumque anni tempore nuptiarum benedictionem accipere possint, dummodo iis temporibus, quibus ab Ecclesia prohibentur nuptiae, pompae apparatum non adhibeant.

XII. Ne Indi et Nigritae ieiunare teneantur praeterquam in feriis sextis Quadragesimae, in Sabbato Sancto et in pervigilio Natalis D. N. I. C.

XIII. Ut praeterea Indi et Nigritae absque ullo onere, seu solutione eleemosynae, uti possint indulto, quod Quadragesi-

male dicitur, et quo fideles respectivae dioecesis seu regionis ab Apostolica Sede donantur ; ideoque carnibus, ovis et lacticiniis vesci possint omnibus diebus ab Ecclesia vetitis, exceptis quoad carnes diebus in superiori paragrapho xii notatis.

XIV. Ut quandocumque in causis tam criminalibus quam, aliis quibuscumque forum ecclesiasticum concernentibus a sententiis pro tempore latis appellari contigerit, si prima sententia ab Episcopo lata fuerit, ad Metropolitanum; si vero prima sententia lata sit ab ipso Metropolitano, ad Ordinarium viciniorem absque alio Sedis Apostolicae rescripto appelletur: et si secunda sententia primae conformis fuerit, vim rei iudicatae obtineat, et executioni per eum, qui eam tulerit, demandetur, quacumque appellatione non obstante ; si vero illae duae sive ab Ordinario et Metropolitano, sive a Metropolitano et Ordinario viciniore latae, conformes non fuerint, tunc ad alterum Metropolitanum vel Episcopum ei, a quo primo fuit lata sententia, viciniorem eiusdem provinciae appelletur, et duas ex ipsis tribus sententias conformes, quas vim rei iudicatae habere volumus, is, qui postremo loco iudicaverit, exequatur, quacumque appellatione non obstante. Cum autem recursus ad Apostolicam Sedem etiam omisso medio, sive ante sive post sententiam iudicum inferiorum, semper integer manere debeat, ad normam iuris, in usu huius privilegii omnino servandae erunt sequentes conditiones: I° Ut in singulis causis salva maneat cuique litiganti facultas ad hanc Apostolicam Sedem etiam post primam sententiam recurrendi; 2° Ut in singulis actibus expressa fiat Apostolicae delegationis mentio; 3° Ut causae maiores sint eidem Apostolicae Sedi reservatae ad normam Sacri Concilii Tridentini; 4° Et quoad causas matrimoniales ea custodiantur, quae in Constitutione Benedicti XIV, cuius initium « Dei miseratione », praestituta sunt.

Abrogatis deletisque Auctoritate Nostra Apostolica omnibus et singulis Indiarum Occidentalium privilegiis quocumque nomine vel forma ab hac Sancta Sede prius concessis.

Contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis non obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die solemni Paschae xviii Aprilis MDCCCLXXXXVII, Pontificatus Nostri anno vigesimo.

A. Card. MACCHI.

BREVE Sanctissimi D. N. Leonis XIII. ad Emum. Card. Richard Arch. Parisien, quoad scriptores Ephemeridis ***Revue anglo-romaine.***

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem. — Religioni apud Anglos aeternaeque animarum saluti pro munere prospicientes, Constitutionem *Apostolicae curae,* ut nosti, proxime edidimus. In ea causam gravissimam de ordinationibus anglicanis, iure quidem a Decessoribus Nostris multo antea definitam, indulgenter tamen a Nobis ex integro revocatam, consilium fuit absolute iudicare penitusque dirimere. Idque sane perfecimus eo argumentorum pondere eaque formularum tum perspicuitate, tum auctoritate, ut sententiam Nostram nemo prudens recteque animatus compellere in dubitationem posset, catholici autem omnes summo deberent obsequio amplecti, tamquam perpetuo firmam, ratam, irrevocabilem. At vero diffiteri nequimus non ita a quibusdam catholicis esse responsum: id quod haud levi Nos aegritudine affecit. — Hoc tecum, Dilecte Fili Noster, communicare ideo placuit, quia ephemeridem *Revue anglo-romaine,* quae istic evulgatur, praecipue attingit. Sunt namque in eius scriptoribus qui eiusdem Constitutionis virtutem, non ut par est tuentur atque illustrant, sed infirmant potius tergiversando et disceptando. Quocirca evigilare oportet, ut ex tali ephemeride ne quid dimanet, quod cum propositis Nostris non plene conveniat: certeque praestat eam desistere atque omnino silere, ubi eisdem propositis ceptisque optimis difficultatem sit allatura. Similiter, quando ex Anglis dissidentibus ii certi homines qui veritatem rei de ordinationibus suis exquirere a Nobis sincero animo videbantur, veritatem ipsam a Nobis coram Deo significatam, animo longe alio acceperunt, plane consequitur ut catholici quos supra comm emora vimus, in eisque vir aliquis religiosus, agnoscant officium suum. Iam nunc enim nec aequum fuerit nec decorum sibi, illorum hominum adiungi et quoquo modo suffragari consiliis; quod etiam optato religionis incremento possit non minime obesse.

De his igitur rebus quae magni momenti sunt, exploratae prudentiae ac sollertiae tuae, Dilecte Fili Noster, valde confidimus: auspicemque divinorum munerum ac testem peculiaris

Nostrae benevolentiae, Apostolicam tibi benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die v Novembris anno MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri decimo nono.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

BURDIGALEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 12 Decembris 1896.

Sess. 24 cap. 5 De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. In nativo oppido Burdigalensis Archidioecesis, Germana vigesimum annum agens, *die 10 mensis Iunii 1890,* servata in omnibus Tridentina forma, iuncta est matrimoniali foedere Eugenio, architectonica in arte valde celebrato.

Hae nuptiae, uti fertur, solummodo desiderio Germanae parentum contractae, ipsa enim videtur invita nupsisse Eugenio, miserrimae fuere.

Celebratis coniugii solemnibus, sponsi ex oppido *R.* discedentes petierunt urbem *Libourne* ac postea *Morlaix,* ubi Eugenius sua munia obire debebat. Interea eodem usi sunt toro, at, si Germanae fides praestanda erit, maritus scelesto modo iuribus coniugalibus abusus est. Praetermissa enim legitima matrimonii consummatione nefandis contactibus solummodo delectabatur. E thalamo postea infelicem mulierem eiecit ac denique, hiemali frigore mordente, in horreum transigere noctes coegit.

Fere per annum Germana eiusmodi viri agendi modum toleravit, donec, nacta occasione suae valetudinis curandae,

apud parentes rediit. Tunc Eugenius tribunalia adivit pro sententia divortii contra uxorem impetranda, qua facile obtenta, in Africana se contulit minime erubens aliam feminam civili vinculo sibi devincire.

Postea Germana vertente anno 1894 ad Summum Pontificem confugit, expostulans, ut suum matrimonium nullum declararetur, utpote ab ipsa sub morali parentum coactione initum, vel saltem dispensatio impertiretur super hoc matrimonio certe non consummato.

Emus Archiep. Burdigalen, cui de more a S. C. C. preces remissae fuere, constituto Tribunali, per Iudicem delegatum processum instruxit. Interrogata est actrix eiusque testes septimae manus, atque simul receptae sunt plures declarationes illustrium personarum, extollentium religionem, pietatem, veracitatem Germanae eiusque familiae, ac dein mulier subiecta est inspectioni medicali, servatis in omnibus S. C. praescriptis.

Vir quoque vadatus fuit, qui impune respondere non dubitavit, se omnia circa suum coniugium composuisse per sententiam divortii civilis.

Processu absoluto, acta transmissa fuere S. C, sed antequam causa plenario iudicio proponeretur, actrix quaestionem circa nullitatem dereliquit, postulans autem veniam aperiendi processum, ut quaedam omissa suppleantur et sacerdoti Bardon facta esset facultas aliqua in sua depositione corrigendi.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MULIERIS. Primum argumentum pro inconsummatione patronus eruit ex iurata oratricis asseveratione, ait enim ipsa « Nous parûmes pour Libourne où nous couchâmes chez des parents de Mr. Eugène. En famille on m'avait dit d'accorder à mon mari ce qui me demanderait. Je ne connaissais rien du mariage — introduxit virilia in os — et comme il était atteint d'une maladie vénérienne, il en est resulté pour moi une maladie de la bouche qui a de-

mandé de grands soins et dont je ne suis pas complètement guérie — manu etiam tetigit vas muliebre —. Je croyais ces rapports normaux et réguliers — tout c'est borné là cette nuit et dans la suite ». Et paullo post idem confirmavit : « Affirmez vous avec toute certitude que vous n'avez eu avec Mr. Eugène aucune vraie relation matrimoniale et que vous avez gardé votre virginité ? — Oui et j'ai gardé ma virginité.

Cui iuratae assertioni absolute credendum est inquit ; agitur enim de puella optimis moribus imbuta ac religiosissima, cuius laudes testes omnes in coelum extollunt et quae illa Iudici asseruit absque minima dubitatione credunt. Et hic advocatus refert perlongam seriem attestationum pleno ore Germanae causae faventium.

Quae testes septimae manus, propinqui et familiares de Germana asseverant, prosequitur orator, de illa illiusque parentibus, Archiepiscopalis Curia confirmat, scribens : « Nous regardons comme fondée en vérité l'anlrmation de l'épouse, personne très-pieuse et très-sincère. . . . Il nous soit permis de dire que l'épouse, victime d'une union malheureuse, est digne d'un vif intérêt par sa piété, sa sincérité et l'honnêteté de sa vie, et que ses parents sont de plus honorables. — Le père de l'épouse est, depuis fort longtemps le premier magistrat de sa commune. Docile aux directeurs Pontificales et Catholique pratiquant, il accepte le gouvernement établi, voulant par dessus tout le bien du pays et celui de la religion. Madame la mère est pieuse et charitable. — Cette Famille est entourée dans la région de respect et de considération ».

Nec diversimode, ait patronus, loquuntur viri gravissimi quorum plurimi ad coetum ecclesiasticum pertinent.

Quum summae igitur iurisiurandi auctoritati, summa iurantis auctoritas accedat, observat advocatus, iam amplius de matrimonii inconsummatione dubitari nequit. Nec sane iuris praescripta, nec ipsa quidem S. C. C. disciplina de inconsummatione dubitari sinunt. In utroque enim foro pro

certissima regula habetur, praecipuam, qua quaestiones praeciduntur, iusiurandum suppeditare viam. « Maximum remedium expediendarum litium in usum venit iurisiurandi religio ». Gaius *in I. 1D. de reg. iuris 2, 12.* « Et hoc certum, quamdiu de falsitate praestiti iuramenti non constat, quia tunc adest praesumptio iuris pro iurante, quod verum iuraverit ob reverentiam divini nominis ». Reiffenstuel *ius can. univ. ad tit. XXIV, I. II, § V, n. 141.* Et demum, more antiquo, matrimonium irritum fiebat, quod vir ad coeundum invalidus contraxerat : si, coitu per triennium tentato, deierassent coniuges, conata se numquam perficere potuisse *c. Requisivisti 2, c 33, q. 1,* Glossa *ad cap. Accepisti 1 de frigid, et malef. verb. iudicium, cap. Laudabilem 5 et litterae vestrae 7 eiusd. tit.* Ideoque, prosequitur, si solo iuramento irrita declarabantur matrimonia, multo magis erunt dispensanda, cum in dispensationis iudiciis, iure ipso praecipiente, a rigore iuris sit recedendum. « In summario et gratioso dispensationis iudicio non severae ac rigidae uti in iudicio de nullitate matrimonii requiruntur probationes, sed coniecturales et adminiculativae super non consummatione sufficere videntur ». Pallottini *voc. dispensatio matr. rat. et non cons. § XII, n. 180.*

Quoad S. C. C. praxim affert patronus plura exempla causarum, in quibus unicum, vel fere unicum argumentum pro inconsummatione erat religiosi coniugis iuramentum. Ita in Tergestina *diei 21 Apr. 1877,* in Parisien. *15 Dec. 1894,* in Augustodunen. *15 Iulii 1893,* in Leopolien. seu Premislien. *Iunii 1896* et in Neapolitana *diei 20 Dec. 1828,* ex qua Pallottini diserte collegit, vel sola iurisiurandi auctoritate, si alia desint argumenta, inconsummationem demonstrari posse : « Iuramentum etiamsi nihil aliud praesto sit, satis habendum videtur : id autem magis si iurans sit persona probatae conscientiae », *voc. dispensatio matrimonii rati et non consummati § XII, n. 87, 88* ex aliisque quam plurimis causis hoc deducitur.

Gradum faciens orator ad argumentum ex virginitatis

exploratione depromptum, notat quomodo in physico examine ad unguem omnia S. C. C. mandata servata sint, ab Obstetricibus et medicis qui opinati sunt favore virginitatis Germanae.

Frustra autem in praesens, contendit patronus, obiiceretur virginitatem dici probabilem non autem certam. Quippe, siquis perspicaci oculo omnia signa quae Germanae genitalia prae se ferunt, consideret, facile sibi persuadebit oratricis virginitatem non tantum probabilem, sed absolute certam esse. Tum medici, tum obstetrices asseruerunt, exteriorem genitalium figuram eam ipsam esse, quae in mulieribus nondum pubescentibus inveniri solet.

Idem fere, tum obstetrices, tum medici, urget advocatus, de hymene senserunt. Quamvis autem laciniam perexiguam in illo se reperisse retulerint, eius tamen originem a matrimonii consummatione neutiquam petierunt. Quin etiam, interrogante iudice, an huiusmodi genitalium conformatio aliquando occurrat, quum semel tantum vel plus paulo coniuges coiverunt, id concordi sententia apertissime negarunt. « La consommation du mariage ayant eu lieu, et l'acte conjugal ayant été rare, ne croyez-vous pas que la cessation des rapports conjugaux suffit pour expliquer l'état actuel des parties génitales ?» *E.* « Il y a au moins un signe que la cessation des rapports conjugaux n'expliquerait pas : c'est l'existence de l'hymen », obstetrix Barruet. « La cessation des rapports conjugaux n'expliquerait pas l'intégrité presque entière de l'hymen », obstetrix Chartron. « Tout peut s'expliquer, excepté la persistence de l'hymen ».

Hucusque perducta oratione, patronus indicia, sive adminiculativa argumenta adducit, quae iuxta ipsum tam ponderosissima sunt, ut ex seipsis, si opus foret, totam rem conficerent. Recolit praeprimis Eugenii confessionem qui, tempore non certe suspecto, familiarissimo cuidam affirmavit, se a legitima venere abstinuisse ; idcirco autem se duxisse uxorem, ut, praetermissa matrimonii consummatione, libidini satisfaceret. Item meminit patronus Eugenium dese-

ruisse vadimonium. Si enim ipse reus non esset tam graves accusationes omni conatu a se propulsaret.

Maxime denique attendendum esse vult orator, Germanam affectam fuisse venereo morbo in gingivis, dum autem eius genitalia inventa sunt omnino immunia. Medicus Carolus Montalier, auctoritate gravis, quod iam ante scriptis asseveraverat, id nunc apertioribus verbis, interposito iureiurando testatur : « J'ai examiné la bouche de Mad. Germane dans le courant d'avril 1892. J'ai constaté des plaques muqueuses nettement syphilitiques. . . . le traitement par le mercure a donné les résultats habituels dans les maladies vénériennes ». Quod confirmat obstetrix Douât : « J'ai constaté (5 Juin 1892) dans la bouche de taches syphilitiques très-accentuées. . . . J'examinai ensuite les organes génitaux, en me servant du speculum. Je n'ai trouvé absolument aucune trace de maladies syphilitiques ».

Tanta igitur inest vis huiusmodi argumento, exclamat oratricis defensor, ut iure merito Emus Archiep. Burdigalensis ad S. C. scripserit: « Je crois qu'il y a là de quoi former la conscience des Eminentissimes Juges de la S. Congrégation ».

Aliud denique argumentum oratori suppeditatum fuit per suppletorium processum. Nam obstetrix Douât non modo testata est, Germanam se virginem invenisse ; sed confessa hymenis lacerationem medico instrumento a se adhibito tribuendam esse.

Atque concludendo patronus refert Emi Archiepiscopi verba, qui ita perbelle causam oratricis commendat. « Cette affaire est particulièrement digne d'intérêt en raison de la conduite brutale du conjoint à l'égard de la pauvre victime, dont il avait l'audace de faire une esclave plutôt qu'une épouse. Et quelle esclave ! ! »

De dispensationis causis postremo sermonem habens advocatus, animadvertit has et gravissimas adesse, quin demonstratione egeant. Ingenua enim puella viri omnium scelestissimi fere per annum haud uxor, sed mancipium fuit,

et infaustum coniugium non libere inivit, tantummodo parentum suasionibus. Accedit Eugenium vinculo civili iam. ligatum esse alteri feminae, et Germanam, florescente aetate, libidinis periculis obiectam.

ANIMADVERSIONES S. VINCULI VINDICIS. Vinculi defensor e contra sustinet Germanae matrimonium non tantum esse validum, quippe nulla coactione contractum, sed etiam consummatum. Constat enim, inquit, coniuges idoneos esse ad maritale opus et per longum temporis spatium simul habitasse. Haec vero vehementissima consummationis praesumptio nec quidem tollitur per obstetricum testimonium, quae iussu Iudicis Germanae corpus recognoverunt. Audiatur pro omnibus obstetrix Maria Mesuard, dum concludit : « Nous ne pouvons, dans le cas actuel, affirmer absolument l'état de virginité de Madame Germaine ; nous ne pouvons non plus le nier. En effet, la fermeté et le peu développement des petites lèvres sont des caractères de virginité, ainsi que le peu de largeur de l'orifice vulvaire et du conduit vaginal, mais la déchirure médiane de la membrane hymen, malgré son peu d'étendu nous empêche de conclure absolument à la virginité ».

Quocirca non immerito archiatri Arnozan et Dubreuilh, perlectis scriptis et oralibas obstetricum testimoniis, certam Germanae virginitatem proclamare non audent. Atque urgenti Iudici : « L'état actuel de ces parties (debris d'hymen . . . . caruncules myrtiformes, couleur rosée . . . . orifice très-étroit de la vulve) ne s'expliquerait-il pas, le mariage ayant été consommé, pour l'extrême rareté de l'acte conjugal et la cessation de tout rapport depuis plusieurs années ? » Archiater Dubreuilh rot unde reponit : « Oui évidemment, l'état actuel pourrait s'expliquer ».

Unanime obstetricum a i que medicorum iudicium sibi contrarium non diffitetur Germanae orator, prosequitur sacramenti vindex, sed non rectum appellat, quia eidem, ex iis omnibus quae illi in oratricis corpore observarunt, posse concludi cum certitudine videtur matrimonium haud esse con-

summatum. At huiusmodi opinioni nullo modo acquiescit defensor eo vel magis, quia, praeterquam quod familiare est nostro praesertim aevo peritis abundare in favorem exploratae feminae, praesenti in causa prostat medicus Dubreuilh, qui ad quaestionem sibi a Iudice propositam : « Quel jugement portez-vous sur les rapports et dépositions des trois sages femmes, dont vous avez eu communication ? » respondet : « Bien fait, mais un peu exagérés dans le sens de l'optimisme, favorable à la cause de la demanderesse ».

Nec bene, urget orator, inconsummatio matrimonii arguitur ex Eugenii contumacia, dicendo quod ipse, si reus haud existeret a se propulsare debuisset tam turpes accusationes. Nam Eugenius quoque Germanam apud laicum magistratum traduxit in feminam a coniugali fide deficientem : iudex illa ex causa matrimonium cassavit : Germana, quamvis adversus eam sententiam provocare potuisset ac debuisset, attamen nec de sententia questa est, nec pendente lite aliquid praestitit, ut impactum crimen a se propulsaren Igitur Germanae agendi ratio in civili et Eugenii praesenti in iudicio hoc unum, ait, demonstrat, Germanam et Eugenium, qui matrimonium dissolvi aeque cupiunt, specie inter se dissidere, re autem vera apprime consentire : ac Eugenium apud saeculare tribunal defectum coniugalis fidei appinxisse Germanae consentienti, prout Germana apud ecclesiasticos iudices consentienti Eugenio culpam vertit inconsummati matrimonii. Nec novae comoediae huiusmodi apud Gallos praesertim sunt.

Item non meliori omine, instat vinculi defensor, Germanae patrocinator eo quod medicus Montalier et obstetrix Douat testificent, Germanam in gingivis affectam fuisse venereo morbo, deducit : ergo matrimonium inconsummatum est, quia Germana dicit veretrum sibi in os Eugenium immisisse : Eugenius enim venereo morbo laborabat. Illa enim lues mille modis, et non solo veretri et quidem Eugenii contactu Germana contrahere poterat.

Ideoque iuxta sacramenti vindicem, cum rem desperatis-

simam esse persensisset Germanae patronus non submisit fasces, sed cogitavit nova examina testium. Et quamvis in *Clement, cap. 2 De test,* dicatur: « Testibus rite receptis et eorum attestationibus publicatis, sicut non licet super eisdem vel directo contrariis articulis alios vel eosdem testes in principali causa producere ; sic non debet in appellationis causa licere, cum non minus in appellationibus, quam in principali causa subornatio sit timenda » : attamen non una, sed altera etiam vice et eosdem et alios audiri testes ille obtinuit, testibus rite receptis et eorum attestationibus publicatis.

Quinimo, urget, etsi Benedictus XIV in constit. *Dei miseratione* edicat : « Quaecumque eo (defensore vinculi) non citato aut intimato, in iudicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus » ; ingentem documentorum molem edit Germanae patronus, quam ipse facile collegit iudice atque matrimonii adsertore absentibus.

Immerito autem oratricis patronus praetendit S. C. C. dispensationis gratiam quandoque consuluisse, prae oculis habito solummodo iuramento coniugum, de quorum religione septima manus testetur. Quisquis enim, contendit orator, casus ex adverso allatos aliosque similes aequa pendat lance statim comperiet, testes inibi excussos non solum de religione coniugum, sed etiam de factis, quae ipsi perspexerunt, vel audierunt propriis sive ipsi auribus, vel a fide dignis, vel a coniugibus tempore non suspecto acceperunt, testari. Exploratum quinimo est Emos Patres, quotiescunque testes iurant quidem de coniugum religione, at facta gravis omnino momenti in assertae inconsummationis matrimonii confirmationem proferre non valent, contra efflagitatam dispensationis gratiam respondisse.

Sufficiat referre *Scepusien. Dispensationis matrimonii.* Ibi coniuges matrimonium inconsummatum affirmantes omnimoda fide dignos, nedum corona testium ex utroque latere, verum etiam testes ex officio adducti uno ore proclamant. Praeterea testes in medium afferebant facta, uxoris erga virum

aversionem a primo momento, post nuptiarum benedictionem comprobantia. Speciminis ergo tertio a matrimonii celebratione die uxor viro negotiorum causa a patria discedenti clamore ominata est : « Utinam collum frangat et diabolus eum auferat ». Tamen S. C. C. 18 Martii 1893 ad dubium « An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu » rescripsit : « Negative » (1).

Nec aliter esse potest, prosequitur. Coniugum enim confessio matrimonio contraria, cum coniuges matrimonium dissolvi cupiunt, nil aliud est quam confessio confitenti favorabilis, quae quantumvis iurata nullo in contractu probationem constituit, et proin nec in causis matrimonialibus, teste Sánchez *De matrimon. lib. 2, disput. 45, num. 33:* « Confessio ea cum sit in confitentium favore nihil probat ». Septimae vero manus testes, si contenti iurare de religione coniugum, de factis per coniuges assertis testari ad formam iuris non valeant, in pretio haberi nequeunt, quia, teste experientia, ipsi litigantes primum eos interrogant, et nonnisi quos in verba inducentis iurare paratos invenerint, petunt.

Falsum denique est, concludit vinculi defensor, asserere leviores in dispensationis, quam in nullitatis matrimonii iudiciis probationes requiri. Ad rem sat superque est ea recolere quae S. C. C. tradidit in *Vt 11 entina seu Mediolanen, matrimonii die 18 martii 1732:* « Quamvis dispensatio sit gratia, tamen non habet locum nisi cum certitudo adest matrimonii tantum rati et non consummati ; adeo ut causa haec de dispensatione sit magis rigorosa uberioresque exigat probationes, quam illa de nullitate ». Et merito : nam in nullitatis iudiciis ius divinum laeditur nedum cum cassatur matrimonium validum, verum etiam cum irritum validis accensetur, quia per hoc ad concubinatum damnantur pseudoconiuges ; at si dispensatio super rato et non consummato

matrimonio negetur, nulla per hoc matrimonium afficitur iniuria : dum versa vice divinum praeceptum - Quod Deus coniunxit, homo non separet - perfringitur, si relaxetur matrimonium consummatum.

Hisce praemissis, propositum fuit diluendum

DuMnm

An consulendum sit SS lì o pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. O. re disceptata sub die 12 Decembris 1896, censuit respondere : *Affirmative.*

NEAPOLITANA

PRAECEDENTIAE

Die 25 Ianuarii 1897.

Sess. 25 cap. 12 De reform.

COMPENDIUM FACTI. In oppido Turris Annunciatae Archidioecesis Neapolitanae quatuor habentur ecclesiasticae Sodalitates, quarum altera, a Sanctissimo Sacramento nuncupata, iampridem Archiconfraternitatis titulo honestatus Eumdem tituli honorem inhiare coepit altera sodalitas sub invocatione SS. Rosarii erecta; quare a Curia Archiepiscopali efflagitavit, ut apud S. Sedem suum desiderium commendaret ad optatum titulum obtinendum. Libenter Curia instantiam excepit, atque certior effecta, per notitiam inibi exquisitam, in oppido Turris Annunciatae nihil obstare neque alias sodalitates se opponere huic petitioni, effecit ut vota Confraternitatis explerentur. Reapse sub *die 29 Aprilis 1890* haec rescriptum in forma Brevis obtinuit, quo titulo Archiconfraternitatis augebatur.

Ast obtentus honor statim aemulationem excitavit alterius confraternitatis, quae *a S. Augustino et S. Monica* nomen habet. Persentiens enim se exinde praeeminentiae

iura amississe, et in processionibus semper in posterum debere post aliam incedere, quamvis ipsa antiquior sit, et ob benefacta inter cives dignior habeatur, statuit, se eumdem Archiconfraternitatis titulum a S. Pontifice implorare. Curia neapolitana facilem se praebuit huic desiderio, eo magis quia ex secuta aemulatione cognoverat, non exactam rerum et personarum notitiam sibi traditam fuisse a viris hac de re antea interrogatis.

Dicebat enim: revera auctoritates locales deceptas fuisse, easdemque Curiam archiepiscopalem in errorem duxisse quoad Sodalitium a SS. Rosario elevatum ad dignitatem Archiconfraternitatis. Nam postea detectum fuit anterioritate temporis et requisitis *potioribus* frui Sodalitium a S. Augustino et S. Monica. Quando, sub die 3 Decembris 1890 expeti tum fuit ut Sodalitium quoque a S. Augustino et S. Monica renunciaretur Archiconfraternitas, eo quod praeviderentur odia et simultates ob praecedentiam concessam Sodalitio a SSmo. Rosario, rogatum a Curia etiam fuit ut gratia Sodalitio a S. Augustino et S. Monica concederetur cum clausula *perinde ac,* ut proprium ius praecedentia retinere valeret, sicut antea habebat.

At sodalitas a SS. Rosario dicta, quum interim ad Sanctam Sedem libellum dederit supplicem ut alterius confraternitatis petitio non exciperetur, Archiepiscopus opportunum duxit potius viam inire conciliationis proponens, ut alternis annis in publicis functionibus praeemineiitiae honore fruerentur adeo ut, incipiendo a Sodalitate a SS. Rosario nuncupata, per unum solidum annum ipsa aliam praecederet, insequenti anno concessura alteri Sodalitati praeeminentiam, et ita porro.

Verum hanc conciliationis rationem admittere recusarunt confratres a SS. Rosario dicti. Cuius contentionis perniciosa consectaria enumerat Ordinarius.

Inde sodalitas a S. Augustino et a S. Monica nuncupata recursum habuit ad Magistratus civiles, antea in via, quam vocant *administrativa,* postea in via *contentiosa* et

formale iudicium instauravit apud iudices laicos, sed infausto exitu, quia sententia primae instantiae eius petitioni contraria fuit, quippe recognitum est titulum archiconfraternitatis valide collatum fuisse a competenti auctoritate, eumdemque necessario praecedentiam secumferre. Secundae instantiae iudices hactenus sententiam non dederunt.

Interim ad tot praecidenda scandala, iterum Archiepiscopus institit apud Secretarium Brevium pro impetranda tituli, iam petiti, concessione ea conditione, ut in Rescripto expresse praeciperetur, praeeminentiae ius alternis annis a duabus Archiconfraternitatibus adhibendum esse sub poena interdicti incurrenda si huiusmodi lex violaretur. At Breve concesssionis obtentum fuit, quin, renuente SSmo Patre, haec clausula inserta fuerit.

Disceptatio Synoptica

Animadversum fuit quoad causae meritum, in propositum prae oculis habendam esse dispositionem Concilii Trid. in *Sess. 25 de Reg. cap. 13,* quae ita habet: « Controversias omnes de praecedentia, quae persaepe maximo cum scandalo oriuntur inter ecclesiasticas personas, tam saeculares, quam regulares cum in processionibus publicis tum in iis quae fiunt in tumulandis defunctorum corporibus et in deferenda umbella et aliis similibus, Episcopus amota omni appellatione et non obstantibus quibuscumque, componat ». Quare videtur Ordinarius in casu intentioni respondisse Concilii Trid. proponens conciliationis viam, iudicii evitatis ambagibus et expensis.

Ex adverso confratribus a SS. Rosario dictis, haec concordia non arridet, quippe autumant, se Archiconfraternitatis titulo iam auctos, iure praecedentiae pollere prae aliis omnibus confraternitatibus.

Ast huic intentioni non parvi ponderis momenta videntur obstare. Nam in primis in dubitationem adduci posset ipsum concessionis Rescriptum, quippe vitio subreptionis laborans. Archiepiscopus enim fatetur, se Brevium Secre-

tario retulisse, nihil obstare gratiae concessioni, quum e contra plura et utique gravissima obstarent argumenta, prouti exitus aperte docuit.

Praeterea, data etiam tituli valida concessione, non exinde sequitur necessarium ius praecedentiae. Siquidem Const. Gregorii XIII incip. *Exposcit,* pro iure praecedentiae vindicando duo constituit titulos, nempe *pacificum iuris exercitium,* seu *quasi possessionem ;* et erectionis *antiquiorem titulum.* Hinc S. Cong. Rituum hisce principiis usque adhaesit, cuius potiores decisiones ita referuntur a Ferrari, *Bibliotheca Can. V. Confraternitates art. VI. n. 15 sq.:* ibi « Confraternitates laicorum in processionibus procedere et praecedere debent intra se iuxta Bullam Greg. XIII, *Exposcit.* Sic S. Cong. Rit. in *Nepesina 10 Martii 1608* et in *Thelesina 19 Martii 1611:* Unde confraternitas *quae prius* saccum induit, praecedere debet aliis quae postea induerunt: S. Congr. Rituum in *Sor ana 7 Aug. 1628* et in *S. Se- •oerini Praecedentiae 24 Sept. 1712.* Excipitur tamen Confraternitas SSmi Sacramenti, cui debetur praecedentia super omnes alias confraternitates in illis processionibus, in quibus defertur SSmum Sacramentum prout declaravit S. Rit. Cong. in *Vercellen. 18 Iun. 1695, Cremonen. 3 Augusti 1697.* In aliis vero processionibus confraternitas SSmi Sacramenti debet praecedere et procedere iuxta suam antianitatem sicut caeterae aliae : S. Congreg. Rit. in *Lauden. 18 Iun. 1628* et *Nullius 3 Sept. eiusdem anni* ». Item docet De Luca, *De praeeminentiis, Dis. 24 n. 4* aiens: « Quorum unum (argumentum) consistebat in Const. Greg. XIII quae regulariter est huiusmodi controversiarum norma, scilicet attendi debeat *antiquitas* fundationis . . . . seu introductionis in locum. Et alterum super *consuetudine* cui in hac materia satis deferendum est ».

Iamvero in facto constat absque contradictione, sodalitatem sub titulo S. Augustini et S. Monicae longe antiquiorem esse alia sodalitate a SS. Rosario nuncupata. Hac de causa semper, usque ad praesentem controversiam, illam hanc praecessisse.

Verum ipsa sodalitas, sub titulo S. Aug. et S. Mon., fatetur in oppido hunc viguisse morem, ut si qua sodalitas titulo Archiconfraternitatis augeretur, haec statim alias praecederet, quamvis antea praecedentiae iure non potiretur. Qui mos videtur potius iure *peculiari* seu *consuetudinario* consistere, quam iure *communi;* nam archiconfraternitatis titulus potius se videtur referre ad alias eiusdem speciei sodalitates, et has inter constituere gradum principem seu potiorem; non vero hic titulus ita videtur censendus, ut *absolutam* inducat prioritatem et digniorem gradum prae aliis omnibus sodalitatibus etiam alterius speciei et generis. Re quidem vera constat ex praescripto canonum; sodalitatem a SS. Sacramento nuncupatam in processionibus ductis ad honorem *Corporis Domini* omnes praecedere sodalitates et Archiconfraternitates. Quare ex iure non est constitutum quod titulus archiconfraternitatis alios absolute vindicat titulos sive *prioritàtis erectionis,* sive pacificae *quasi possessionis* iuris *praecedentiae,* quoad alias omnes simplices confraternitates etiam diversae speciei.

In praesenti actione intentio Curiae et etiam partis actricis est, ut adversa sodalitas, facto verbo cum SSmo, cogatur ad exercitium iuris praecedentiae alternativ um. At quaestio natura sua, latior videtur, quamobrem dubii formulae concinnata fuit paulisper generalior.

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An et quomodo praecedentiae ius haberi debeat a confratribus, a SS>no Rosario nuncupatis, prae (dia, confraternita te, in casu.

RESOLUTIO. Sacra Cong. C. re disceptata sub die 23 Ianuarii 1897 censuit respondere: *Pl'acere de concordia iuxta votum Emi. Archiepiscopi.*

Proinde patet, exercitium iuris praecedentiae esse debere alternativum inter duo Sodalitia, ceu propositum fuit ab Emo. Ordinario (1).

(1) Recole Vol. XXIII, 131, *Acernen.* praecedentiae.

LITTERAE CIRCULARES Sacrae Congregationis Concilii ad Ordinarios Americae meridionalis de Seminariorum regimine.

De clericorum seminariis agens S. Tridentina Synodus in *sess. XXIII cap. XXIII de Reform.,* praescriptis pluribus, quae ad alumnorum admissionem et ad religiosam et litterariam eorum educationem spectant, haec addit: « Quae omnia atque alia ad hanc rem opportuna et necessaria Episcopi singuli, cum consilio duorum canonicorum seniorum et graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus Sanctus suggesserit, constituent, eaque ut semper observentur saepius visitando operam dabunt ».

Pergens deinde ad ea quae oeconomicam administrationem respiciunt, statuit, ut « iidem Episcopi cum consilio duorum de capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso capitulo eligatur; itemque duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad clerum pertineat », omnibus provideant, quae ad collegii fabricam instituendam, ad mercedem praeceptoribus et ministris solvendam, ad alendam iuventutem et ad alios sumptus referuntur.

Duplex itaque S. Synodus iubet adesse consilium in seminariis constituendis et regendis, alterum pro re disciplinari, alterum pro temporali administratione, distincta personarum numero, electionis forma ac officio; etsi nihil vetat quominus duo canonici, qui in coetu sunt consultorum pro re oeconomica, ipsi ab Episcopo eligantur et deputentur etiam pro disciplina, dummodo muneris distinctio servetur.

Quae omnia quam sapienter ordinata fuerint, quisque facile intelliget qui secum reputet, quantum a prospero seminarii statu et a sana clericorum institutione profectus religionis pendeat : unde duplicem hunc consultorum ordinem adesse, qui in seminariorum regimine et administratione Episcopis adsit suppetias ferens, et in tanto pondere sustinendo eisdem opituletur, nonnisi prudentissima cautio ac saluberrima provisio est. Eo vel magis quod Episcopi aut visitatione dioecesis aut aliis negotiis, quibus necessario debent intendere, ita saepe occupentur, ut sui seminarii curae indesinenter vacare, et omnibus per se et directe consulere, plerumque omnino impediantur.

Nec opponi potest, exinde Ordinarios in expedita pii instituti gubernatione impediri; si quidem recepta regula est, a

S. C. C inde ab anno 1585 tradita ac saepius deinde confirmata, ut Episcopi adhibere quidem deputatorum consilium teneantur, non item sequi. Sane in *Oseen,* mensis Octobris 1585 S. G. censuit « sufficere quod Episcopus huiusmodi consilium requirat, eorumque consilio adhibito posse Episcopum statuere et deliberare quae pro prudentia sua magis expedire iudicaverit ». Quod autem solummodo pro consilio stat, impedimento esse non potest: sed lumini potius, directioni et auxilio inservit.

Noverint ergo Episcopi quanti intersit, quantoque studio satagendum sit, ut haec tam salubriter instituta lex executioni ubique demandetur, et fideliter servetur.

Quod si ex cleri defectu, aut ex gravibus aliis conditionum adiunctis, in quibus Americae Meridionalis dioeceses plerumque versantur, haec omnia impleri non possint, universam legem corruere, aut eius observantiam in iis quoque quae possibilia sunt praetermitti pati non debent Ordinarii : sed S. Sedem adire opportune tunc poterunt, quae pro variis locorum circumstantiis et casuum'Mversitate consilio suo Episcopis aderit, et salva legis substantia, in iis quae ad formam pertinent opportuna temperamenta adhibere non omittet.

Pro viribus tamen nitendum, ut, si fieri potest, in omnibus lex vigeat, nihilque ex ea detrahatur; adeo ut uterque consultorum coetus ad praescriptam formam constitutus munere suo iuxta legem defungatur.

Quae vero sit electionis forma in deputatis constituendis servanda, ex adducto Concilii textu perspicue patet.

Nec minori claritate innotescit, in quibusnam negotiis consultorum votum sit exquirendum; in omnibus scilicet, quae tum ad disciplinam et educationem clericorum, tum ad sumptuariam piae domus rationem spectant. Unde S. C. C. in *Oseen.* anni 1585 superius adducta declaravit, « Episcopum cum 'consilio deputatorum teneri tam circa institutionem, disciplinam et mores clericorum, quam circa temporalium rerum administrationem providere.... exactionem vero quae fit pro seminario ad solum Episcopum spectare ».

Et in *Salernitana* mensis Iulii 1589 propositis dubiis:

« II. An eorum (duorum scilicet deputatorum super disciplina) consilium adhibendum sit tam in constituendis regulis universalibus seminarii, quam in electione puerorum singulorum introducendorum, in electione magistrorum, librorum le-

gendorum, confessoris, punitione discolorum, expulsione, visitatione et similibus?

« **III.** An alii quatuor sint deputandi, et deputati adhibendi sint in consilio tantummodo in taxatione, contributione fructuum ex unione beneficiorum et in aliis difficultatibus ob quas seminarii instructio vel conservatio impediretur vel perturbaretur; an etiam in exactione et temporalium administratione tam dicti seminarii, ut, puta, deputatione vel expulsione ministrorum et famulorum temporalium, expensis quotidianis, provisione bladorum; quam etiam bonorum quorumcumque et redituum ipsius seminarii, etiam ex beneficiis unitis, ut, puta, locutionibus, concessionibus, aliisque contractibus et litibus? » responsum fuit:

Ad II^um^: *In omnibus his esse adhibendum.*

Ad **Illum**: *Teneri Episcopum adhibere deputatorum consilium tam circa institutionem, disciplinam et mores, quam temporalium rerum administrationem.*

Cum autem unus ex consultoribus, super temporalibus negotiis deputatus, a clero sit eligendus, clerus ius suum exercere potest in synodo, si haec tunc habeatur, prout Doctores tradunt: aliter electio in peculiari totius cleri civitatis conventu est peragenda.

Omnium denique electorum munus perpetuum esse debere, et neminem nisi ex legitima causa amoveri posse, S. C. C. in *cit. Salernitana* anni 1589 resolvit, idque saepius deinde confirmavit.

Quod si ex morte, ex discessu, aut ex alia iusta ratione alter eorum a suo munere cesset, eius subrogatio per eos facienda est per quos prior electio est acta.

Haec praecipua sunt canonicae disciplinae capita, quibus deputatorum seminarii institutum continetur et regitur, quae de mandato SSmi D. N. Papae Leonis XIII, praesentibus S. C. litteris, omnibus Americae Meridionalis Ordinariis in mentem revocantur, ut consultissimae legis observantia, ubi obsolevit, restituatur, et ubi adhuc inducta non fuit, quam primum in usum adducatur.

Datum Romae ex S. C. Concilii die 15 Martii 1897 (1).

A. CARD. DI PIETRO, *Praef.*

B. ARCHIEPISCOPUS NAZIANZENUS *Prosecretarius.*

(1) Recole Vol XII, 497, et vol. XXII, 603.

EX S. CONGREG. EPISC. ET REG.

NERITONEN.

EXEMPTIONIS

Die 26 Martii 1897.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus Neritonensis in relatione super statu suae dioecesis ad S. Sedem sub die 31 Iulii 1894 transmissa, plura enarravit incommoda, provenientia in sua dioecesi ex parte Regularium. Pro religiosis extra claustrum existentibus aliquis canonicus titulus exigitur: attamen cum praefatus Episcopus occasione quod religiosum invenisset in quadam paroecia commorantem, de hoc percunctatus esset P. Provincialem Reformatorum, ex hoc didicit quod ex concessione S. Sedis Superior Generalis potest regulae communi derogare: unde non raro evenit quod plures Religiosi in sua dioecesi cum simplici *Benedicite* Superiorum extra Conventus remanent.

Item in pastorali visitatione oppidi Galatone ceu Delegatus apostolicus voluit invisere coenobium Sancti Petri de Alcantara, ubi minus quam sex Religiosi aderant, sed Pater Provincialis per *apertas literas* id ei impedivit allegans privilegia et exemptiones. Rationes perlustrationis graves urgebant. In huiusmodi suppressis a Gubernio Italico Conventibus ab uno vel duobus plerumque Religiosis custoditis plurima passim inconvenientia adinvenit tum circa sacras reliquias in altaribus conservatas, tum circa exedras ad confessiones excipiendas, tum circa altarium mappas: hi enim Religiosi contenti sunt tantum exterioribus et omittunt essentialia.

Demum Episcopus Neritonensis retulit quod in dicto Coenobio-Novitiatu loci Galatone iuvenes nullius culturae recipiuntur; hi post novitiatum et insufficiens studium, alibi extra dioecesim ad Ordines recipiendos mittuntur: et non

raro fit ut hi in dioecesim redeunt ceu sacerdotes saeculares: citat exempli ergo actualem Gluardianum praefati Conventus qui ordinatus an. 28 sacerdos, in dioecesim Neritonensem advenit confessor utriusque sexus cum permissione Archiep. Taren tini. In hac dioecesi examini pro confessione subiectus, approbatus mansit eo quia quodam naturali perspicacia erat praeditus, sed ceu homo nullius instructionis est deprehensus.

Hisce ab Episcopo Neritonensi enarratis, ipse duo postulata proponebat quae inferius per distincta dubia referuntur: quaerebat nempe utrum rescriptum S. Poenitentiariae diei 12 Septembris 1872 declarantis uti exemptas ab Ordinarii iurisdictione ecclesias et domos regularium ternario numero insimul habitantium in omnibus derogaverit Decreto Innocentii XI *Ut in parvis,* requirenti pro exemptione saltem sex religiosos insimul cohabitantes, et ita adhuc perduret, ut sub nullo respectu ab Ordinario illi visitari nequeant? et quomodo superius relatis inconvenientibus esset occurrendum, praesertim quando religiosi suis nixi privilegiis Ordinarii dispositionibus obedire detrectant?

Item secundo quaerebat. Cum ex decretis S. Congregationis *Romani Pontifices* et *Regularis disciplinae* diei 25 Ianuarii 1848 iussu Pii IX editis, nemo admitti possit ad habitum et professionem religiosam absque uteris testimonialibus, tum Ordinarii originis,, tum Ordinarii loci quae de promovendo bonum faciant testimonium, et cum ex declaratione S. Poenitentiariae supra relata ad quartum quaesitum, omnes Regulares subiecti sint iurisdictioni Ordinarii loci quoad politiam et disciplinam ecclesiasticam, quomodo se gerere debent Episcopi quando receptio ad habitum et professio fit absque citatis uteris testimonialibus et quando habitu suscepto et ordinati sacerdotes postea transeunt ad clerum saecularem nullo bonae vitae vel scientiae testimonio commendabiles, et quousque Episcoporum conscientia ad praefatorum decretorum curandam observantiam gravetur?

Transmissa fuerunt haec quaesita pro informatione et

voto P. Ministro Generali Ordinis Minorum, qui in responso dato sub die 10 Novembris 1894 in omnibus se contrarium exhibet Episcopo Neritonensi.

Disceptatio Synoptica

FAVORE FRATRUM MINORUM. — P. Minister Generalis primo observat quod Decretum S. Poenitentiariae 12 Septembris 1872, quamvis provisorio modo iuri communi derogaverit, tamen adhuc in sao pleno robore manet. Hoc Decretum est verus favor pro Religiosis; datum quidem fuit ex quodam pietatis sensu ad aliquod levamen miserae Ordinum Monasticorum conditioni in Italia ex novis iniquis legibus creatae inferendum; hinc ei lata interpretatio applicanda est, iuxta principium, *Beneficium principis late accipiendum est.*

Hoc praeiacto, subdit P. Minister, indubium est quod quaevis legitima posterior dispositio deroget anteriori in eo in quo haec illi contradicit. Hinc dispositio Poenitentiariae derogavit iuri communi statuentis senarium numerum religiosorum pro eorum exemptione: haec autem dispositio, cum numquam fuerit revocata, adhuc vigere dicenda est. Idque fortius retinendum, cum adhuc perseveret causa principalis ob quam fuit exemptio concessa. *Ratio legis, anima legis.* Ratio exemptionis a praefato Decreto inducta, fuit lex suppressionis^Ordinum Religiosorum, et haec lex adhuc extat in sua duritie. Neque ex facto quod hisce ultimis temporibus nonnulli Conventus reviviscere coeperint, inferre liceat quod causa principalis cessaverit exemptionis: siquidem, ut aliqua lex cesset, oportet ut causa principalis totaliter desinat, et in casu suppressio totaliter non cessavit, sed ad summum desiit sola dispersio religiosorum. Ceterum ex spoliatione exemptionis pro parvis Communitatibus, quae nunc in monasticis provinciis Italiae, et praesertim Siciliensibus, resurgere incipiunt, graves orirentur consequentiae: 1. Religiosi in tot exantlatis laboribus in Conventibus recuperandis iuxta S. Sedis vota et Superiorum Generalium habe-

rent ceu praemium hanc privationem. 2. Formalis Regularium Provinciarum restitutio impossibilis evaderet, quia regulares Episcopo subiecti brevi disciplinae regulari valedicere^. 3. Non paucae provinciae in via nunc restitutionis, brevi evanescerent, quia Superiores Provinciales ex hac exemptionis spoliatione irritati, parum aut nihil in posterum vacarent pro formali earum redintegratione.

Deinde P. Minister Generalis pergens ad examen secundi postulati propositi ab Episcopo Neritonensi, contendit Decreta Piana *Romani Pontifices* et *Regularis disciplinae* non comprehendi in expressione *politiae et disciplinae ecclesiasticae,* in qua, iuxta dispositiones S. Poenitentiariae 1867 et 1872, Regulares subiecti sunt Episcopis Dioecesanis. Id arguit ex diversa natura praefatarum dispositionum. Dispositiones enim S. Poenitentiariae respiciunt tantum regulares suppressos in Italia et insulis adiacentibus: e contra Decretum *Romani I^ontifces* exigens testimoniales literas ab Ordinariis localibus recipiendorum ad religionem, est universale: et Decretum *Regularis disciplinae* praescribit modum receptionis ad Ordinem et professionis votorum simplicium, et obligat tantum in Italia et insulis adiacentibus. Proinde si sub nomine politiae et disciplinae ecclesiasticae duo relata Piana Decreta intelligerentur, hoc consequeretur absurdum, quod, quoniam in his praecipitur observantia Regularium Constitutionum quoad vestitionem et professionem novitiorum, Ordinarii possent invigilare supra observantiam statutorum cuiuscumque Ordinis Regularis, quod est prohibitum a Decr. Poenitent. diei 18 Apr. 1867 n. 2. Hinc quemadmodum receptio ad Ordinem, Novitiatus et Professio, quae constituunt elementa essentialia pro religioso viro, effugiunt Episcoporum potestatem, ita normae horum actuum moderatrices ab ipsis pendere non debent, quia *accessorium sequitur principale.* Tandem in n. 3 Decreti *Romani Pontifices* et in n. 7 Decreti *Regularis disciplinae.* Superiores Regularium sub gravi praecepto et sub ecclesiasticis poenis respondere debent de exacta praefatorum Decretorum observantia. Ergo Epi-

scopi qui testimoniales literas relaxare tenentur pro recipiendis ad Ordinem, nullo vinculo adstringuntur ad vigilandum supra observantiam Decretorum in casu.

IURA EPISCOPI NERITONENSIS. — Ex adverso Episcopus Neritonensis, omissa disceptatione super secundo postulato, de quo in factispecie, totus est in sprimo adstruendo. Contendit itaque parvos Regularium Conventus subesse extraordinariae Episcoporum iurisdictioni quae explicatur cum hi eas perlustrant in pastorali visitatione ceu S. Sedis Delegati, proinde dispositiones Sacrae Poenitentiariae dierum 18 Aprilis 1867 et 12 Septembris 1872 non derogasse, neque Constitutioni Innocentianae *Ut in parvis,* neque iuri communi. Probat id auctoritate Lucidi de Visitatione SS. LL. vol. 1. *In primis vehiti certus immotusq-ue canon est stabiliendus, omnes et singulas personas et loca intra dioeceseon ambitum consistentia ab Episcopo visitari posse,* NISI MANIFESTA *exemptione potiantur.* Atqui, subdit Episcopus, in praecitatis S. Poenitentiariae dispositionibus nulla restrictio recurrit iurisdictionis Episcopalis in pastorali Visitatione, nullum novum privilegium introducitur pro regularibus in genere, sed tantum nonnulla exhibentur media ad succurrendum miserae conditioni religiosorum expulsorum a propriis Conventibus.

At dato etiam quod parvi Conventus controversa exemptione fruiti sunt, hoc privilegium Regularium cessasse dicendum est ob abusus et scandala postea secuta. Id erui dicit Episcopus ex uteris circularibus Congregationis Disciplinae Regularis, in quibus dum obrepentes abusus reprobantur, insimul exhortationes fiunt Regularibus, ut in unum congregentur Conventum et non amplius maneant dispersi. Hinc dispositio sub n. 3 S. Poenitentiariae est revocata.

Quod eo magis videtur retinendum eo quod iam causa cessavit ob quam praedicta exemptio fuit concessa: haec enim causa in eo consistebat, ut facilior modus haberetur ad suppressos Conventus reclintegrandos. Iam vero hi Conventus magna ex parte nunc sunt restitui! : novi de die in

diem exurgunt, habentur Novitiatus domus : et vita Regularium ob politicas vicissitudines incerta et precaria, nunc quieta et tranquilla effecta est. Proinde etiam exemptio pro parvis Conventibus cessavit, et nulla pretiosa suppetit ratio denegandi Episcopis id quod ipsis, ceu notat Summus Pontifex Leo XIII in Bulla *Romanos Pontifices* 8 Maii 1881, a iure communi concessum est. Demum Episcopus descriptis incommodis quae sequerentur si etiam hodie vellet admitti exemptio pro parvis Conventibus, concludit quod Decretum Innocentianum *Ut in parvis, fm* suo robore nunc plene existit.

Hisce utrimque summatim delibatis, proposita fuere resolutioni sequentia

Du toi a

I. *An S. Poenitentiariae responsum diei 12 Septembris 1872 derogavit omnino Decretum Innocentii X « Ut in parvis » cum declarationibus suis, ita ut quocumque respectu minime Ordinarius visitare possit ecclesias et domos, ubi non adsunt sex saltem religiosi probatae vitae, ex quibus quatuor ad, minus sint sacerdotes maturae aetatis?*

Et quatenus affirmative

II. *Quomodo Episcopi se gerere debeant, si certi tutique sint, in aliquibus ecclesiis et conventibus, de quibus est verbum, non omnia recte ac ordine procedere?*

Quatenus vero negative ad primum

III. *Quomodo Episcopi se gerere debeant, si Religiosi renuant obtemperare Ordinarii dispositionibus, privilegia et exemptionem perfectam autumantes?*

IV. *Spectent ne ad disciplinam et politiam ecclesiasticam Beer eia Pii PP. IX « Romani Pontifices » et « Regularis disciplinae » ita ut Ordinarii loci conscientia gravetur de eorum observantia?*

V. *Quomodo se gerere debeant Episcopi, si ad habitum et professionem admittantur sine ullis Uteris testimonialibus vel Episcopi, vel saltem Parochi, vel minime interrogentur*

de Novitiorum natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, scientia etc.?

VI. *Quomodo se gerere debeant Episcopi, cum saepe eveniat, ut illi qui sine vocatione et finis rectitudine habitum susceperunt, tunc dimittant, postquam sacerdotii ordinem acceperint, ac proinde nec scientia, nec moribus commendentur?*

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Episc, et Regular, sub die 26 Martii 1897, omnibus aequa lance cribratis, respondit: Ad I. *Pro locis ad quae extenduntur Instructiones S. Poenitentiariae diei 18 Aprilis 1867 et durantibus praesentibus adiunctis, Affirmative.* Ad II. *Satis provisum per S. Conc. Trident, sess. 25 de Reg. cap. 14, si Regulares delinquant extra claustra vel domum: si vero delinquant intra claustra, Episcopus moneat Superiorem Regularem, et quatenus iste non provideat, recurrat ad S. Congregationem Episcoporum et Regular. In reliquis provisum in praecedentibus.*

GADITANA SEU SANTANDARIEN.

LEGATI

Die 2 Aprilis 1897.

COMPENDIUM FACTI. Petrus de Alcantara de Igareda et Balbas, dioecesis Santandariensis in Hispania, supremo quo decessit elogio die 6 Martii 1883 haec inter alia disposuit legata. 1° Assignavit 50,000 libellas (pesetas) pro erectione et dotatione duarum scholarum pro pueris et puellis in oppidis Santibanez et Correjo. 2° Destinavit alias 50,000 libellas (pesetas) pro constructione fori rerum venalium in Cabezón de la Sal ea sub lege, ut Municipium et potiores contribuentes sese obligarent ad respondendum sex in singulis centenis dictae summae favore praedictarum institutionum. 3° Tandem reliquit 500,000 libellas ad fundandum Hospitale pro infirmis et senibus.

Ut haec pia voluntas ad unguem observaretur, idem testator varios execufores testamentarios nominavit cum iure praelationis, postea in subsequenti codicillo revocato, eosque iussit quamprimum disposita executioni mandare. Inter hos recensuit Rmum Vincentium Calvo et Valero, tunc Episcopum Santanderiensem et nunc Gaditanum, qui ob aliorum resignationem, in praesentiarum solus remanet testamentarius executor.

Fratris exemplum secuta est soror Petra de Igareda et Balbas, quae testamento diei 7 Martii. 1883 legavit libellas 120,000 pro schola et Hospitali erigendis in Santibanez aut in Cabezón de la Sal, et pro ipsorum erectione et constructione deputatum voluit eumdem Episcopum Calvo et Valero.

Quoniam vero legatorum executio differebatur, hinc Municipes loci Cabezón de la Sal suas querelas detulerunt primo apud Nuntium Apostolicum Hispaniae et dein apud hanc S. Cong., petentes ut Episcopus Calvo et Valero cogeretur quam cito ad munus suum adimplendum. Hic vero confutando recursum observabat quod nihil obstabat ex parte sua ut piae dispositiones in actum traducerentur: obex erat tum ex parte Municipii loci Cabezón de la Sal eo quod recusabat in constructione fori rerum venalium cavere de interesse favore piarum causarum, tum ex parte Episcopi actualis Santanderiensis, qui veniam denegabat Institutis Parvorum Maristarum et Filiarum Charitatis cui praefatae scholae erant committendae, sese stabiliendi in dictis oppidis, imo exigebat distractionem libell. 30,000 a capitali sorte legatorum pro erectione Cappellaniae, quae neque a pio testatore est praescripta, neque videtur necessaria, cum parochi locales satis sint pro spirituali assistentia: aliter vero sentiebat actualis Episcopus Santanderiensis, qui contendebat scholarum erectionem et Maristarum ac Filiarum Charitatis commorationem in dioecesi concedi non posse absque Cappellaniae institutione; aliunde sors capitalis legata aucta erat ob fructus decursos fere in duplum, et legata executioni mandata erant in minima parte.

Disceptatio Synoptica

IURA MUNICTPUM LOCI CABEZÓN DE LA SAL. — Municipes praemisso quod si Episcopum Gaditanum ad laicum tribunal non convenerunt, quamvis certi de victoria, id egerunt tum ad evitandum scandalum, tum ex quodam respectu auctoritatis episcopalis, in primis observant quod ex tenore testamenti, etsi tempus non sit praefinitum pro legatorum executione, tamen executores testamentarii *quamprimum possint, Cuanto les sea posible* munus suum explere debebant. Iam vero terminus statutus a codice civili hispanico art. 904 est annus ab acceptatione officii executoris. Quod in themate magis videtur retinendum, eo quia relicta pars capitalis extitit partim in pecunia et valoribus et partim in vino de Terez quod Rmus Calvo et Valero cito vendidit, proinde prompta aderat pecunia pro legatis complendis. Nihilominus a morte testatoris usque ad hodiernum diem solum schola puerorum in oppido Cabezón de la Sal fuit fundata et commissa 4 vel 5 sororibus S. Vincentii de Paula, et elevatum aedificium valoris circiter triginta millium libellarum. Empta etiam est antiqua domus iu oppido Correjo cum nonnullis praediis pro aedificiis construendis : sed summae nunc expensae ad summum ascendunt ad libellas 60000, quae summa est tenuissima in comparatione sortis capitalis relictae, legato et relativis fructibus decursis. Non negant Municipes dispositiones *ad pias causas*, legitima accedente auctoritate commutari posse; sed ad hoc necesse est ut graves causae concurrant, quales essent exempli gratia, mutatae sociales conditiones, finis a testatore intentus non amplius obtinendus, urgens necessitas, et aliae: quae omnes in themate prorsus exulant, cum conditiones sociales memoratorum oppidorum eaedem perseverant, finis a testatore intentus adhuc consequi valet, et nulla adest necessitas piam voluntatem testantis commutandi. Proinde ex hac parte executio legatorum retardari non debet.

Postea Municipes accedunt ad specifice loquendum de pia relicto Dominae Igareda et notant 1° quod executores testamentará concorditer statuerunt fundare scholam praeparatoriam primariam pro commercio, nuncupatam scholam Igareda et Balbas, sub directione sacerdotis ab Episcopo Vincentio Calvo designati et sub vigilantia et protectione Episcoporum G-aditani et Santanderiensis. 2° Quod de hoc certior factus Episcopus Gaditanus, ad se accivit executores testamentarios et a proposito deterruit. Haec agendi ratio, subdunt Municipes, est maxime periculosa, cum facile evenire possit ut ex scissione executorum testamentariorum, pii operis executio semper in dies prorogetur.

Argumentis a Municipio loci Cabezón de la Sal productis alia superad dit Episcopus Santanderiensis. Ipse observat quod Episcopus Gaditanus loco religiosorum uti potuisset opera laicorum praeceptorum pro directione dictarum fundationum : et hi profecto, dummodo penderent a legitima auctoritate Episcopi Santanderiensis, erant religiosis praeferendi; siquidem maxime adversatur ordini et recessui Communitatis religiosae, quod nonnulla ipsius individua longam et difficilem viam, praesertim hiemali tempore, percurrere debeant (et in themate amplius kilómetro) ad missam audiendam in paroecia, quin imo nonnullis diebus neque audire valent, cum necessitas paroeciae exigat, ut missae celebrentur horis differentibus.

Sed etiam hoc argumento seposito, Episcopus Santanderiensis urget denegationem institutionis Cappellaniae casu quod iuxta propositum Episcopi Gaditani scholae religiosis essent committendae, sibi prorsus irrationabilem videri. Ex parte enim fundi non deficiebant, cum summa legata excedat decies centena millia libellarum, et aliunde creatio seu erectio huius Cappellaniae non erat a testatore interdicta. At quocumque casu omnia componi poterant recurrendo ad S. Sedem. Tandem Episcopus Santanderiensis adnotat quod pluries Episcopum Gaditanum invitavit ad summam legatam deponendam apud mensam nummulariam hispanicam, pro-

mittens quod intra bimestre manum apposuisset ad persolvenda pia legata. Sed Episcopus Gaditanus semper obstinate renuit.

IURA EPISCOPI GADITANI. — Ex adverso Episcopus Gaditanus animadvertit, omnes dispositiones contentas in primis 22 clausulis testamenti, quarum executio a se exclusive pendebat, adimpletas fuisse, ceu facile documentis evincere potest. Quoad alias vero ita se defendit. Primo relate ad scholarum fundationem in oppidis Santibanez et Correjo adnotat I° quod apud se prompte existit summa libell. 50000. 2° Quod usque ab anno 1889 emi t commodum aedificium pro scholis puellarum et residentia magistrarum; emit etiam praedium pro erigenda schola puerorum : omnia nunc ad exitum essent deducta, nisi prodiisset prae ten tio Episcopi Santanderiensis circa Cappellaniae institutionem. Ita etiam contigit pro erectione Hospitalis, quae retardari debuit eo quia Episcopus Santanderiensis exigebat destinationem specialis Cappellaniae. Addit tamen Episcopus Gaditanus quod pro nunc ipse provisorie domum comparavit in qua 12 pauperes sexagenarii aluntur cum assistentia Filiarum Charitatis. Tandem quoad fundationem plateae rerum venalium, observat quod legata summa libellarum 50000 est in promptu, sed opus absolvi non potest eo quia Municipium renuit praescriptam cautionem praestare.

Ita defensa sua agendi ratione, Episcopus Gaditanus progreditur ad expendendam punctim praetentionem Episcopi Santanderiensis circa distractionem summae libell. 30,000 pro Cappellaniae erectione. Notum esse, ait, quod Ordinarii exigere nequeunt ab executoribus testamentariis, quod in testamento non fuit praescriptum. Iam vero Cappellaniae fundatio nullimode in testamento est ordinata: ergo iniuria exigitur ex adverso. Insuper notat quod distantia oppidi Correjo a residentia paroeciali vix kilometrum tangit; habentur in dioecesi Santanderiensi analogae institutiones, quarum tamen distantia ab ecclesia paroeciali est maior, et nequit comprehendi designatio specialis Cappellaniae pro quin-

que vel sex religiosis, dum in praefata dioecesi, attento cleri defectu in multis paroeciis etiam parochus deficit. Itaque merito reiectam esse Cappellaniae fundationem : Episcopus Gaditanus liberaliter potuisset exequi dispositiones fratrum Igoreda et Balbas, sed modum satius duxit proponere quo erigendae fundationes essent sub vigilantia et directione religiosorum Maristarum et Filiarum Charitatis.

Tandem Episcopus Gaditanus sequentem subiicit animadversionem. Iuxta testamentum Petri de Igoreda duae tantum fundari debent scholae, ambae in oppidulis Santibanez et Correjo, pro pueris una, pro puellis altera: sed praeter has idem Episcopus aliam puellarum scholam in villa Cabezón de la Sal fundavit, quae quidem schola regitur a sex Filiabus Charitatis et cui ex ipso Cabezón de la Sal aliisque populis conveniunt ducentae et quadraginta alumnae. Attamen de hac schola, qua absque ullo iure gaudet Cabezón de la Sal, omnino atque malitiose Municipium, ceterique Episcopi Gaditani detractores tacen t.

Quoad vero pium legatum Dominae Petrae Igareda, si adhuc non fuit executioni mandatum, neque Episcopus Gaditanus , neque ceteri testamentarii executores sunt redarguendo Non Episcopus Gaditanus, quia ei non adhuc fuit tradita legata summa libellarum 120,000 pro erectione scholae in Cabezón de la Sal ; non testamentarii executores, quia dictam summam iam deposuerunt apud mensam nummulariam Hispaniae. Retardationis culpa tota recidit in hodiernum Episcopum Santanderiensem, qui arbitrarie Cappellaniae fundationem exigit. Hisce utrinque discussis, subiectum fuit resolutioni sequens

Dubium

Quomodo Rmus Vincentius Calvo et Valero Episcopus-Gaditanus adstrictus maneat ad exequendum pias dispositiones in casu?

RESOLUTIO. S. Congregatio Episcoporum et Regularium, re mature discussa, sub die 2 Aprilis 1897 respondit:

Affirmative iuxta modum; modus est: Relate ad testamentum D. Petri d' Alcantara de Igareda et Ralbas.

I° *Exc'li us D. Calvo et Valero omnino executioni mandei legatum quod respicit scholam, tum pro pueris, turn pro puellis erigendam in Santibanez et Correjo (art. 23) incoeptum opus perficiendo ita, ut utraque schola aperiri omnino valeat proximo anno scholastico.*

2° *Agat sine mora cum Municipio de Cabezón de la Sal super loco determinando pro foro rerum venalium (de quo in art. 31). Fructus autem quinquaginta millium libellarum (pesetas), quae summa a testatore assignata est pro dicto Mercatu, a mense Martii 1883 cumulati convertantur in capita fructifera favore scholarum de quibus supra.*

3° *Acquirat quamprimum aream in Cabezón de la Sal, in qua erigatur aedificium Nosocomii, iuxta mentem testatoris (art. 32). Quidquid autem foenoris a mense Martii 1883 retr'actum est ex summa quingentarum millium libellarum (pesetas) ad hoc, a testatore assignata, investiatur favore ipsius Nosocomii, pro sustentatione scilicet in f rmorum, eorumque assistentia tum corporali tum spirituali.*

4° *Constituat fundum pro duabus pensionibus, vulgo, ut aiunt, « Borse di Studio » et iuret morem gerere voluntati testatoris expressae in art. 35.*

5° *Pro eo autem quod, ad se spectat circa executionem legati D. Petri Alcantara de Igareda et B albas prompte rem agat cum executoribus testamentaras, operamque suam sollicite impendat.*

Infra mensem autem Septembrem H. S. Congregationem certiorem recidat de omnibus, quae egerit iuxta id, quod supra dictum est: et scribatur Episcopo Santanderiensi ad mentem. Mens est: Amplitudo T. haud impediat quominus aperiantur binae scholae in Santibanez et Corredo et permittat Sodalibus, vulgo « Piccoli Maristi » et Filiabus Charitatis, ut in dictis scholis respective constabiliantur, quin amplius insistat pro fundatione Cappellaniae, quae nec in testamento praescribitur, neque necessaria videtur.

LITTERAE E.mi Praefecti s. Cong. Ep. et Reg. ad P. Generalem Minorum s. Francisci quoad unionem quatuor familiarum franciscanum.

Rmo Padre,

Questa S. Congregazione dei Vescovi e Regolari, dopo avere accuratamente e a più riprese esaminato in tutte le sue parti la ben nota questione della limone delle quattro Famiglie Francescane sottoposte al governo del medesimo P. Ministro Generale, nella plenaria adunanza di Sabato 10 del corrente mese, emise una risoluzione in tutto favorevole al disegno di unione.

Nell'udienza successivamente accordata all'infrascritto Cardinale Prefetto, Sua Santità si degnò pienamente approvare la risoluzione del Sacro Consesso, riservandosi di emanare a suo tempo l'Atto Pontifìcio, che la renderà obbligatoria, con quelle cautele e riserve che nella Sua illuminata sapienza stimerà opportune.

Si è creduto conveniente di dare a V. Reverenza questo previo avviso,perchè abbia a cessare sul delicato argomento il presente stato d'incertezza, e possa Ella in pari tempo annunziare ai suoi Religiosi, che il nuovo Pontificio ordinamento sarà degno, non v'ha dubbio, e della sapienza dell'Augusto Pontefi-

Rme Pater,

Haec Congregatio Episcoporum et Regularium negotiis expediendis praeposita, in pleno conventu Sabbato die X. huius mensis habito, postquam quaestio apprime nota de quatuor Familiarum Franciscanum, quae unius Rmi Ministri Generalis iurisdictioni subsunt, unione peragenda serio bis terque quaqua versus discussa fuit, secundum hoc consilium,expetitae unioni annuens, pronuntiavit.

Deinceps SSmus Pater, Cardinali Praefecto subscripto audientia facta, Sacri Consessus iudicium benigne ac plenissime approbavit, Actum pontificium, quo illa obligatoria fiet, suo tempore editurus; iis tamen cautionibus atque exceptionibus adhibitis, quas eius praeclara sapientia opportunas existimabii

Visum est nobis id te, Rme Pater, praemonere, ut hac super re, plane perdifficili, omnis dubitatio, qua illa adhuc in incerto manet, penitus evanescat; itemque ut ipse tuis Religiosis alumnis enunciare possis, novum Pontificium rescriptum et sapientia eiusdem Augusti Pontificis, et amore praecipuo, quo

ce, e dell'amore grande onde è animato verso l'inclito Ordine del Serafico Patriarca di Assisi.

Nel ricordare a Vostra Reverenza che fermo resta il divieto per tutti e singoli i Religiosi, di qualsiasi grado essi siano, di permettersi commentarii o pubblicazioni avverse alla enunciata risoluzione, Le auguro da Dio le maggiori prosperità.

inclytum Seraphici Patriarchae Assisiensis Institutum prosequitur, dignum procul dubio futurum.

Dum tibi, Rme Pater, significo, omnibus et singulis tui Ordinis Religiosis alumnis, cuiuscumque gradus sint, aut dignitatis, commentaria, aut scripta quaelibet typis edita, huic sententiae iudicioque contraria, omnino interdici, Deum adprecor, ut prospera quaeque, quamque maxima percupere possis, tibi eidem concedat.

Tibi addictissimus

Romae, die xii Aprilis, anno MDGGCXGVII.

f S. CARD. VANNUTELLI *Praef.*

L. TROMBETTA *a Secretis.*

LITTERAE Patrum Franciscanum ad Eminentissimum Praefectum S. C. Ep. et Reg- de unione quatuor familiarum franciscanum.

Romae: e Coenobio S. Antonii, die 15 Aprilis 1897.

Eminenza Rma,

Dalla lettera mandata al Ministro Generale dell'Ordine dei Minori, abbiamo appreso che la Santità di N. S. Leone XIII, felicemente regnante, si è degnata già approvare la decisione data da codesta S. Congregazione dei Vescovi e Regolari intorno alla unione delle quattro Famiglie francescane. Con quest'atto il S. Padre mette il suggello a tanti insigni favori

Erhe Domine,

Ex literis Ministro generali Ordinis Minorum Franciscanum nuper datis accepimus, SSmum Patrem Leonem Papam XIII, faustissime regnantem, sententiam ab ista S. Congr. Episcoporum et Regularium negotiis expediendis praeposita, de quatuor Familiarum Franciscalium unione peragenda, pronunciatami benigne comprobasse. Hoc enim vero actu SSmus Pater tot

elargiti all'Ordine nostro e lega il Suo Nome, già gloriosissimo, ai fasti serafici che lo tramanderanno benedetto alle più tarde generazioni.

tamque insignibus in nostrum Ordinem alias collatis beneficiis complementum quodammodo imponit, Nomenque Suum, iam summopere illustre, fastis Seraphici Ordinis inserendum exhibet, qui illud ad posteros, laude celebratum, in aevum transmittent.

Alla sua volta l'Ordine dei Frati Minori, *semper subditus et subiectus pedibus S. Romanae Ecclesiae*, compreso della grandezza del benefizio che riceve, con animo oltremodo grato accoglie la conferma data da Sua Santità alla sentenza della Sacra Congregazione; in tutte le decisioni prese o da prendersi mostrerà col fatto la devozione inalterabile verso la S. Sede, ricevuta in retaggio dal S. Patriarca; e nel miglior modo possibile cercherà di mostrarsi non indegno delle cure più che paterne, che il Sommo Pontefice in mezzo a tanti affari, va spendendo in favore del medesimo.

Vicissim Ordo Fratrum Minorum Fran ei scalium Sanctae Romanae Ecclesiae subditus semper ac subiectus, Romanoque Pontifici ad pedes provolutus, beneficii, quod accipit, amplitudine intime permotus, sincera grati animi significatione, confirmationem ab eodem SSmo Patre sententiae S. istius Congregationis nuper adiunctam libens excipit: quidquid porro Ille vel iam decreverit, vel in posterum decreturus sit, hic Ordo constantem in S. Romanam Ecclesiam devotionem atque observantiam, quae a S. Patriarcha sibi haereditate obvenit, re ipsa ostendet; et quoquo poterit modo se exhibere studebit haud indignum curis, plusquam paternis, quas Summus Pontifex tot inter tamque gravia, quibus distinetur, negotia, pro eodem Ordine impendere pergit.

Intanto noi sottoscritti, volendo esternare i sensi della nostra gratitudine per le paterne e singolari sollecitudini del S. Padre, non solo aderiamo di tutto

Interim nos subscripti ob istas eximias ac vere paternas Pontificis curas grati animi sensa expromere percupientes, non modo iis quae ab eodem SSîîo

cuore alle decisioni prese, ma umilmente preghiamo Vostra Eminenza Reverendissima di rendersi interprete presso Sua Santità della nostra riconoscenza e dell' amor filiale, che noi nutriamo verso di Lui, e con noi nutrono tutti quelli che militano sotto il vessillo del Po verelio di Assisi, riservandoci di fare un atto solenne quando sarà uscita la Bolla.

Con profondo rispetto Le baciamo il lembo della S. Porpora e ci segniamo

Patre recens decreta sunt, ex corde assentimur; verum etiam Te, Eme Domine, enixe rogamus, ut nostrum gratum animum, filialemque amorem, quo Eum nos, omnesque nobiscum, qui sub vexillo militant Pauperis Assisiensis, prosequimur, Eidem ipse testeris: solemnem demissionis actum, quando Pontifìciae Literae editae fuerint, uti par est, perfecturi.

Maxima interim observantia S. Purpurae fimbriam deosculamur, nosmet profitentes

Eminentiae tuae Revrñae

Humillimos atque addictissimus Servos

Loco i$t Sigilli.

Fr. Aloisius Parmensis: Minister Generalis Ord. Minorum.
Fr. Raphael Auriliacensis: Procurator Gen. eiusdem Ordinis.
Fr. Pacificus Vicentinus: Procurator Gen. Ord. Reformator.
Fr. Athanasius a S. Antonio: Procurator Gen. Ord. Fratrum Alcantarens. et Recollectorum.
Fr. Petrus Algidensis: Definitur Gen.
Fr. Seraphinus Bolentinensis: Definit. Gen.
Fr. Rugerius Verbiest: Definit. Gen.
Fr. Ignatius *e Pago Romano:* Definit. Gen.
Fr. Cyprianus Verdiani: Definit. Gen.
Fr. Marcellinus Lancianensis: Definit. Gen.
Fr. Marianus Gimano: Definit. Gen.
Fr. Anselmus Müller: Definit. Gen.
Fr. Ioseph Nuceriensis: Definit. Gen.
Fr. Athanasius Saorgensis: Definit. Gen.
Fr. Franciscus Rengieo: Définit. Gen.
Fr. Constantinus Luser: Definit. Gen.
Fr. Ioannes Maria Santarelli: Ord. Scriba Gen.
Fr. Caesarius a Monte love: Ord. Reform. Scriba Gen.
Fr. Albertus Baruffi: Scriba Gen. Mission. Franciscanum.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

Corisopiten. Beatificationis et Canonizationis ven. servi Dei Michaelis Le Nobletz Sacerdotis et Missionarii.

Ex praestantibus doctrina ac religione viris, qui Christi Ecclesiam illustrarunt atque, veluti clypeus, ab hostium telis atque incursibus defenderunt, in conspectu omnium adstat Michael Le Nobletz sacerdos et missionarius, cuius apostolicum studium et christiana sapientia haereticam pravitatem et Calvinianam luem ab Aremo rica propulsavit, illamque in veritate et iustitia coram Deo ambulare sategit. Apud castrum Keraudern in paroecia Plouguerneau et dioecesi Leonensi, minoris Britanniae, die 29 septembris anno 1577, e parentibus avita fide et generis nobilitate conspicuis in lucem editus et baptizatus Dei Famulus, praesidio ac nomine Principis militiae coelestis roboratus fuit. A piissima nutrice, veluti altera matre, catholice institutus, vix septennis ab avúnculo, eoque defuncto a patre sacerdotibus dicendi initiis imbuendus traditur, atque aetate decem annorum ad oppidum Ploudaniel missus ut humanioribus litteris vacaret; deinceps undeviginti annos natus Burdigali studia prosecutus est. Interea praesentissimam Deiparae opem pluries expertus, se caelestibus etiam divini amoris deliciis identidem fruebatur. Ad meliora charismata vocatus, atque Aginum profectus, in Collegio Patrum Societatis Iesu in virtutibus et disciplinis progressus est. Dum apud quosdam coniuges honestos habitabat, de ignominioso lapsu arguitur Dei Famulus, sed ipse vitae integer scelerisque purus ad Purissimam Deiparam Virginem confugiens, eam patronam ac vindicem habuit ; atque ipsa adprecante, tres laureas virginitatis, doctrinae et despicientiae mundi Michael tunc impetrasse fertur. Inter sodales ma rianos cooptatus, propriae perfectioni et aliorum saluti sedulam dedit operam qua plures Christo adhaeserunt, et ex his nobilis vir militaribus studiis intentus Petrus Quintinus Trecoriensis, qui dein Dominicanae Familiae se adscripsit. Burdigalam rediens superioribus sacrisque disciplinis diligenter peractis, adolescens divinae vocationi quam precibus et macerationibus promeruerat, obtempera vit. Namque a patre tentatus et ex discrimine victor evadens, paternam domum reliquit. Illico, ipsius patris permissu, Parisios adiit, ubi

hortante Patre Cotton, viro sapientia et virtute claro, ecclesiasticos ordines atque ipsum sacerdotium rite suscepit. Ad sacras missiones se comparavit in solitario recessu, prope mare ad Tréménach, integrum annum studio, orationi ac poenitentiae operibus impendens; atque in oppido Plouguerneau, sacrum ministerium inauguravi^ Missionarius in Montem-relaxum abiit, insulas Uxantem, Molevez et Bar invisit, atque in ora maritima S. Matthaei sede missionum constituta, ubique plures Deo adiuvante, a licentiori vita retraxit atque ad christianam disciplinam perduxit. Postea Michael Corisopitum advenit et patrocinio Sancti Corrcntini primi Episcopi Corisopitensis nixus, ipsa civitate et finitimis pagis villisque excultis, ad missionem occidentalis orae Cornu-galliae perrexit. Quinque et viginti annos in urbe Douarnez commoratus est, missiones iugiter agens, in quibus Famulo Dei adiutor fuit praedictus Pater Quintinus sacerdos professus Ordinis Praedicatorum, qui anno 1629 piissime obiit. Ea civitate relicta, omnibus collacrymantibus, Conquesti usque ad vitae exitum elaboravit, comitem curae ac laboris sibi adsciscens Ven. Patrem Maunoir S. I. olim suum discipulum, deinceps haeredem et successorem in missionibus instituendis ad regulas ac spiritum Beati Patris Ignatii, prouti ipse Michael, Deo adspirante, pluries populo praenuntiaverat. Tandem Dei Famulus virtutibus mentisque decorus, lethali morbo affectus atque Ecclesiae subsidiis munitus, accepta ab ipso Ven. P. Maunoir extrema sacramentali absolutione, die quinta maii anno salutis millesimo sexcentésimo quinquagesimo secundo, aetatis suae quinto et septuagesimo, in pace Christi cuius passionis evangelicam historiam tunc audiens et recolens ipse recreabatur, sancte quievit. Sacrum corpus mirifico fragrans odore, prouti fama refert, in sacellum S. Christophori ecclesiae ritu delatum fuit. Funere persoluto, adstantibus ex omni ordine fidelibus, qui rosaría, numismata, lintea ad Michaelis exuvias admota secum asportabant, idem sacrum corpus ad Lochristum conditum et anno 1701 in honorificentiorem tumulum translatum, anno demum 1858 in novo Conquesti templo rite et decore compositum fuit. Interim fama sanctimoniae, quam Michael vivens adeptus fuerat, post obitum clara, diffusa et usque ad haec tempora nunquam interrupta, maiora accepit incrementa ex quo sermo de causa Beatificationis introducenda evulgatus fuit. Hinc adornato Processu Ordinario in Ecclesiastica Curia Corisopitensi su-

per eiusmodi fama Servi Dei, eoque in Actis Sacrae Rituum Congregationis exhibito, ad instantiam Rmi P. Vincentii Ligiez ex Ordine Praedicatorum, huiusce Causae Postulatoris, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, decretis 26 ianuarii et 10 marti 1894 editis, benigne indulsit, ut dubium de signanda Commissione introductionis causae proponi et discuti possit in conventu Sacrae ipsius Congregationis Ordinario, absque interventu et voto consultorum, etiam ante lapsum decennii a supradicta Processus Ordinarii exhibitione. Quum vero ex alio decreto super revisione scriptorum Servi Dei, dato die 12 februarii 1896, nihil obstaret quominus ad ulteriora procedi posset; instante praedicto Causae Postulatore, attentisque postulatoriis litteris nonnullorum Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium, necnon plurium Sacrorum Antistitum aliorumque virorum, sive ecclesiastica sive civili dignitate praestantium, infrascriptus Cardinalis Sacrae Rituum Congregationis Praefectus et huiusce Causae Relator, in Coetu Sacrae ipsius Congregationis Ordinario, subsignata die, ad Vaticanas Aedes coadunato, sequens dubium discutiendum proposuit: « *An signanda sit Commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur?* » Et Sacra ipsa Congregatio, post relationem eiusdem infrascripti Cardinalis Ponentis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Gustavo Persiani, Sanctae Fidei Promotoris munere fungente, omnibusque maturo examine perpensis, rescribendum censuit : *Affirmative, seu signandam esse Commissionem si Sanctissimo placuerit.* Die 6 aprilis 1897.

Quibus omnibus Siïio Domino Nostro Leoni Papae XIII per ipsum infrascriptum Cardinalem relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Rituum Congregationis ratam habens, propria manu signare dignata est Commissionem introductionis Causae Venerabilis Servi Dei Michaelis Le Nobletz, sacerdotis et missionarii, die nona iisdem mense et anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA 5. *R. C. Praefectus.*

L. S S.

D. PANICI, S. *R. C Secretarius.*

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

DUBIUM quoad S. Ordinationem.

Sacerdos regularis humillime implorat a S. Vestra solutionem dubii, quo iamdiu angitur circa validitatem propriae ordinationis ad presbyteratum. Quum enim in tactu instrumentorum usus ipse non fuerit digito indice et medio, sed indice et pollice prius tetigit calicis cuppam ; at quum Episcopus deinde formulam proferebat, tetigit patenam solummodo cum hostia super calice. Proinde quum omnia haud processerint iuxta Pontificalis praescriptionem et theologorum sententiam, orator, pro tranquillitate suae conscientiae, quaerit quid dicendum sit de validitate suae ordinationis.

Feria IV, die 17 Martii 1897.

In Congregatione Gen. S. R. et U. Inquisitionis habita ab Emis ac Rmis DD. Card. in Republica christiana adversus haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto dubio praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem Emi ac Rmi Dñi respondendum mandarunt:

Orator acquiesçât.

Sequenti vero die ac feria, facta de praedictis relatione SS. D.N. D. Leoni Div. Prov. Papae XIII in solita audientia, R. P.D. Assessori impertita, Sanctitas Sua Emorum Patrum resolutionem approbavit.

I. Can. MANCINI *S. R. et U. I. Notarius.*

DUBIUM quoad S. Ordinationem.

Sacerdos humillime implorat a S. Vestra resolutionem dubii, quo angitur circa ordinationem suam ad sacrum presbyteratum. Quod dubium ex hoc originem duxit, quia in traditione instrumentorum non omnia processerunt ad praescriptum Pontificalis; nam quum orator tetigerit patenam cum hostia super calicem positam, tangere calicem non valuit, quamvis digito id facere conatus sit.

Feria IV, die 17 Martii 1897.

In Congregatione Gen. S. R. et U. Inquisitionis habita ab Emis ac Rmis D. D. Cardinalibus in rebus fidei Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto dubio praehabitoque Rmorum DD. Consultorum voto, iidem Emi ac Rmi Dñi respondendum mandarunt:

Orator acquiescat.

Sequenti vero die ac feria, facta de praedictis relatione SS. D. N. D. Leoni Div. Prov. Papae XIII in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, Sanctitas Sua Emorum Patrum resolutionem approbavit.

I. Can. MANCINI *S. R. et U. I. Notarius.*

DUBIUM quoad S. Ordinationem.

Sacerdos humillime petit dubii sequentis resolutionem : nam quum ad presbyteratus ordinem promoveretur, et promovendi quatuor aut quinque adstarent, omnesque simul conamina facerent, ut instrumenta tangerent, eadem tetigisse recordatur; attamen dum formula proferretur, tangere non valuit, praepeditus aliorum manibus; hinc anxietate torquetur circa validitatem propriae ordinationis.

Feria IV, die 17 Martii 1897.

In Congregatione Gen. S. R. et TJ. Inquisitionis habita ab Emis ac Rmis DD. Cardinalibus in rebus fidei Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum, voto, iidem Emi ac Rmi Dñi respondendum mandarunt :

Orator acquiescat.

Sequenti vero die et feria, facta de praedictis relatione SS. D. N. D. Leoni, Div. Prov. Papae XIII in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, Sanctitas Sua Emorum Patrum resolutionem approbavit.

I. Can. MANCINI *S. R. et U. I. Notarius,*

DUBIUM quoad artificialem foecundationem.

Feria IV, die 17 Martii 1897.

In Congregatione Generali S. R. et U. I. habita coram Emis ac Rmis DD. Cardinalibus contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, proposito dubio:

An adhiberi possit artificialis mulieris foecundatio ?

Omnibus diligentissimo examine perpensis, praehabitoque DD. Consultorum voto, iidem Emi Cardinales respondendum mandarunt:

Non licere.

Feria vero VI, die 26 eiusdem mensis et anni, in solita Audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, facta de suprascriptis accurata relatione SSmo D. N. Leoni Pp. XIII, Sanctitas Sua resolutionem Emorum Patrum approbavit et confirmavit.

I. Can. MANCINI *S. R. et TJ. I. Notarius.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

BARCINONEN.

MATRIMONII

Die 20 Februarii 1897.

COMPENDIUM FACTI. Bonaventura et Maria Carmela Dioecesis Barcinonensis, corde et animo dissimiles, die 1 Augusti 1850 matrimonium celebrarunt coram Ecclesia, imprudenter instantibus propriis genitoribus, qui immemores quod « Matrimonii contractus debet esse liber omnino, tum ratione significationis, tum etiam ratione talis et tantae obligationis, quae in illo contractu consistit » *S. Bonav. 4, d. 29, a. 1,* infaustum nuptiarum exitum filiis praepararunt. Siquidem deficiente in sponsis, praesertim in Maria Carmela, vero seu rationali amore, « per quem est in hominibus copula amicitiae'et societatis, quae, quantum est de se, ad indissolubilitatem tendit » *(ibid.),* defecit et vinculum pacis ac unitatis in coniugali eorum consuetudine. Et quia, iuxta notum S. Augustini principium, *coniugum dissensio totius domus est perturbatio,* vix elapso quinquagesimo secundo die ab inito coniugio, tot tantaeque fuerant et erant in sponsorum domicilio discordiae, ut mulier, relicto viro, ad paternam domum redierit, dimissumque sponsum nullo pacto deinceps suscipere, neque coniugale domicilium remeare voluerit. Imo nullitatis matrimonii declarationem, vel saltem perpetuum divortium obtinere cupiens, sponsum, cui obstinate et violenter debitum coniugale semper denegaverat, impotentem dixit coram Iudice Curiae Barcinonensis. Iudex vero auditis sponsorum et s. vinculi defensoribus, die 3 Decembris 1852 preces mulieris reiecit, existentiam praetensae nullitatis haud examinandam censuit, et reconciliationem cum viro praecepit. Sed frustra, nam confirmata licet sententia sive in

Tribunali Metropolitano, sive in Sacra Rota Matritensi, mulier in sua obstinatione permansit, et, elapsis iam quadraginta quatuor annis!, adhuc permanet.

Infelix autem vir, ob iniustam mulieris tenacitatem et calumniosam impotentiae insimuiationem, corde et animo fractus, in laqueum incidit diaboli, et adulterinam cum muliere soluta coniunctionem perfecit, ex qua sex filios habuit. Tandem facti poenitens, et propriae conscientiae ac filiorum legitimationi providere cupiens dispensationem a matrimonio rato et non consummato instantissime postulavit.

Disceptatio Synoptica

VOTUM THEOLOGI. De capite impotentiae pauca dicenda occurrunt. Equidem, « secundum canonicas sanctiones et naturae rationem, qui frigidae naturae sunt, et impotentes, iidem minime apti ad matrimonium contrahendum repeIriuntur » (Sixtus V. C. *Cum frequenter)* : quod quidem minime locum habet in casu praesenti. Ab esse enim ad posse valet consequentia : vir siquidem cum alia muliere soluta commercium habuit adulterinum, ex quo sex filios habuit ; ergo non frigidus, sed potens erat et aptus ad matrimonium. Quod, etiamsi haud probatum fuisset, valeret principium praesumptionis : omnis enim vir, post aetatem legitimam, de iure praesumitur potens nisi de contrario constet, a fortiori si de perfecta eius partium structura, ut in casu praesenti, testimonium dixere periti; imo in huiusmodi adiunctis censent Doctores haud intimae notae, mulierem statim et sine ullo processu repellendam esse. Quapropter inanis foret in casu disquisitilo circa impotentiam viri anno 1850 a muliere adductam, nec probatam. Ergo de inconsummatione deque causis ad dispensationem sufficientibus agendum est. Ad quod, cum plus valeant testium depositiones quam doctrinales expositiones, data etiam oeconomica praesentis causae conditione, quid de actibus resultet breviter pro posse dicendum. Hinc, omissis aliis, ait

Consultor : Vir, praevio iuramento deposuit : parentes utriusque coniugis fecisse hoc matrimonium, ad quod mulier nullo trahebatur amore ; et quamvis ego ut placerem matri meae id facerem, tamen consensum praestiti serium et liberum. Illico post initum matrimonium conamina multa feci ut consummaretur, sed semper a muliere repulsus fui.

Mulier autem deposuit, relationes cum viro numquam fuisse ex animo et cum affectu ; et quamvis eodem uteremur lecto et maritus meus consummationem desideraret, numquam id permisi, nedum ob repugnantiam eidem actioni carnali, sed ob animi adversionem in meum maritum.

Testimonium septimae manus, duodeviginti testibus constans, veracitatem coniugum in excludenda consummatione luculenter confirmat : et quidem duodecim expresse de inconsummatione, ceteri de veracitate sponsorum deposuerunt, omnes sub fide iuramenti.

Habemus ergo iuratam coniugum confessionem, *quod nunquam se invicem cognoverint,* habemus iuratam depositionem septimae manus, veracitatem sponsorum confirmantem, habemus testes, qui non solum quae a multis audierunt adducunt, sed de auditis ab ipsis sponsis, et quidem modo et tempore non suspecto, deponunt : quae omnia sufficiunt ad veritatem inconsummationis comprobandam. Neque obstat praesumptio in contrarium ex condormitione desumpta, quae dicitur iuris et de iure, nam haec praesumptio validis argumentis et probationibus excluditur. Confirmatur ex cap. *Laudabilem de frig. et malef.* in quo Caelestinus III ait : « Si autem quod nunquam se invicem cognoverint ambo fatentur cum septima manu propinquorum, vel vicinorum bonae famae (si propinqui defuerint) factis sacrosanctis Evangeliis, uterque iureiurando dicat, quod nunquam per carnis copulam una caro effecti fuissent, et tunc videtur, quod mulier valeat ad secundas nuptias convolare ». Unde merito dicit Ursaya *(Discep. Eccles, t. 2, p. 1, discept. 3, n. 45);* « Condormitio coniugum non facit, ut matrimonium amittat qualitatem et denominationem rati, quando cum effectu con-

summatum non fuit. Eo igitur ipso quod talis non consummatio concludenter probatur, sive cohabitaverint, et condormi verint coniuges, sive non, semper verum erit quod matrimonium est simpliciter ratum ».

Ceterum exclusio copulae maximam probabilitatem suscipit ex probata aversione inter sponsos, quamvis alter ex coniugibus copulam voluerit. Porro aversio haec certissima habetur ex testimonio septimae manus, depositionem sponsorum confirmante.

Deficit in casu inspectio mulieris contra praescripta Benedicti XIV et Instructionis S. C. C. diei 20 Aug. 1840. Sed talis inspectio moraliter impossibilis fit ob tenacem et contumacem reluctantiam sponsae: nec speranda obstinatae mulieris annuentia. Siquidem recusavit sese peritorum investigationi subiicere, et coram Iudice in interrogatorio, et post duplicem citationem ante conclusionem actorum ipsi canonice factam. Huiusmodi defectus, data praesertim certitudine potentiae viri haud levis momenti haberi debet, sed datis totius causae adiunctis, gratiae dispensationis concessionem haud excludit. Inspectio enim corporis mulieris est probatio adminicularis, quae sola per se non sufficit ; iurata vero coniugum et septimae manus depositio essentialis est et veram vim probativam habet. Et etiam hac in re mirabilis est S. Matris Ecclesiae charitas et benignitas, quae, gravibus accedentibus causis, vigorem canonicarum praescriptionum circa inspectionem relaxare consuevit : « Expedit legis vinculum quandoque relaxare, iusta scilicet concurrente causa » *Trid. Sess. 25, cap. 18, de Ref.*, ut centies mediante S. C. C. peractum scimus, ne scilicet corruptio vel obstinatio mulieris virum privaret iure cum alia nubendi, vel gratia dispensationis pontificiae a rato non consummato ad eundem effectum. In cap. *Laudabilem,* ad probandam virginitatem non praescribitur copulative septima propinquorum manus et recognitio facienda per obstetrices, sed aperte statuitur sufficere solam confessionem coniugum cum septima manu propinquorum; Ursaya, *Disc. Eccl. t. 3, disc.21**

n. 138. Et hoc valet non solum ad probandam virginitatem mulieris et impotentiam viri (non semel enim in causis impotentiae ex parte viri, omissa est eiusdem viri inspectio, et tamen concessa est dispensatio a rato non consummato), sed, *quasi a fortiori,* ad excludendam consummationem, quando inspectio mulieris fieri nequit, vel certo inutilis ac consequenter inhonesta foret.

Quapropter Sánchez, *VIII, 108, 6,* verbum faciens de impotentia, ait : « Et quamvis utroque coniuge fatente impedimentum, ac triennio lapso, sanum consilium sit facere coniuges inspici : at id non est necessarium. Quod cap. 1 *Laudabilem,* in ultimo casu ubi est sermo de hoc, *de frig. et malef.* id non petatur. Deinde ne viduis denegetur hoc remedium, utpote quae per aspectum probare nequeunt matrimonium non esse consummatum ». Atqui huiusmodi rationes plurimum valent ad praesentem causam benigne concedendam : mulier enim obstinate recusans inspectionem, de facto aequiparatur viduae et corruptae, imo saepe saepius de impotentia suspecta dici potest. Et si, docente Coscio, *1, 7, 236,* multo magis attendenda esse videtur confessio de non consummatione eorum coniugum, qui propter antipathiam a carnali inter se copula abstinuisse iuraverint ; maximi facienda mulieris depositio de propria invincibili aversione erga actum carnale et viri personam.

Ceterum si in iudiciis circa impotentiam, quando urgentissimae concurrunt circumstantiae, quae consummationem excludant, saepe omissa inspectione, causa soluta est per dispensationem ad cautelam, nihil prohibet quominus, datis numero et valore depositionum, seu probationum, praesens causa solvi possit per dispensationem, omissa etiam mulieris inspectione ; quae inspectio, ut patet, impossibilis existit, data obstinata uxoris reluctantia.

Porro talia in casu habemus inconsummationis indicia, quae prudentem in contrarium suspicionem excludant. Et maximi momenti habenda est declaratio utriusque coniugis *tempore non suspecto* seu anni 1850-1852 consummationem

excludens. Siquidem tunc yir instantissime postulavit a iudice ut mulier ad domicilium coniugale rediret et a constanti debiti denegatione cessaret ; mulier e contra, magnam in virum aversionem et antipathiam fovens, inconsummationem quidem confirmavit, sed inconsummationis causam virum dixit, quem insuper impotentem exhibere non timuit. Verum gemina haec declaratio, in talibus adiunctis facta, et ex parte viri tunc temporis contra seipsum peracta, collusionem inter coniuges undequaque excludit. Si consummatio locum habuisset, vir, qui proprium ius prosequebatur, quique impotentiae incriminationem a muliere ex odio productam fortiter reiiciebat, nullo pacto inconsummationem admisisset, et relicta provincia denegationis debiti ex parte uxoris, de eius reditu ad domicilium coniugale deque falsitate impotentiae tantum egisset.

Si ergo, docente Ursaya *disc. t. 3, disc. 21 :* Quando non insistitur apud iudicem pro resolutione matrimonii per viam iustitiae, non debet concurrere vigor ille probationum, qui de iure requiritur in primo casu, sed princeps potest etiam moveri ab extraiudicialibus probationibus ; si, teste Clericati, *de Sacr. Matr. decis. 15, n. 36,* olim dispensationes a rato non consummato in foro etiam poenitentiali concedi solebant, quin admodum urgentes requirerentur inconsummationis probationes, cum ibi nullus institueretur actorum processus, atque sola sufficeret iurata supplicanti um depositio ; iam per se patet, quod in causa praesenti omnia habentur, imo ad abundantiam habentur, quae requiruntur ad moralem inconsummationis certitudinem constituendam. Etenim iuratam coniugum depositionem confirmant duodeviginti testes, ex quibus duodecim expresse de inconsummatione, ceteri de credibilitate et veracitate sponsorum deposuere. Neque obiiciatur, antiquas declarationes sponsorum, quae in casu tanti momenti habentur, haud proprie iudiciales esse, utpote in processu pro reconciliatione non autem prò dispensatione a rato non consummato peractas, nam imprimis huiusmodi declarationes factae fuerunt in canonico iudicio, et dato

etiam quod pro causa praesenti quasi extraiudiciales dicantur, valent quae cum Ursaya diximus, et iudicialiter confirmantur in capite inconsummationis ex depositionibus ipsorum sponsorum et testium in praesenti iudicio.

Causae ad dispensationem sufficientes multiplici ex capite habentur in casu. Siquidem I° existit inter coniuges *odium implacabile,* praesertim ex parte sponsae : unde sponsi facti sunt vel semper fuere heterogenei, et non immerito, elapsis 44 annis ab initis nuptiis, dispensationem ambo desiderant. Atqui causa haec vere canonica habetur, iuxta illud Clericati *de Sacr. decis. 15, n. 17 :* « Septima (causa) est, si coniuges essent inter se heterogenei, id est discordes animo, et ad invicem peterent dissolutionem rati matrimonii, ob eorum quietem ac pacem ». II° Habetur etiam voluntaria et nimis protracta alterius coniugis dilatio ad reddendum debitum ; et hoc multiplici de ratione constituit causam canonicam, ut patet, a fortiori in casu praesenti ob denegationem debiti per annos 44 perdurantem. III° Habemus insuper non solum timorem magni scandali futuri sed scandalum existens reparandum ; post initum scilicet matrimonium, sponsus a propria muliere iniuste derelictis, cum muliere soluta carnaliter vixit et plurimos ex hoc adulterino commercio filios procreavit : et in talibus adiunctis ex sententia Doctorum quasi duplex causa canonica habetur, alia ratione scandali ex separatione, alia ex capite concubinatus.

VOTUM CANONISTAE. Duas sibi proposuit Consultor quaestiones, scilicet : 1. An constet de matrimonii rati inter sponsos non consummatione ? 2. An sit consulendum SSmo super dispensatione matrimonii rati et non consummati ? priusquam theses, propriam-exprimentes sententiam proponeret, principia et fundamenta quibus illas fulciendas esse putavit, praemisit, eo fine, ut unico possit intuitu de voti sui probabilitate iudicari, quin opus sit cuilibet ex postea adductis probationibus suum proprium et iuridicum fulcimentum applicare.

Licet in causis matrimonialibus propter periculum animarum, magnam esse adhibendam cautelam Glossa moneat *(in cap. fin. De Frig. et male f.)* et haec S. Cong. iubeat probationes undequaque accuratissime cumulari, ut iudices in proferenda sententia tuti conquiescere possint (Instr. *Cum moneat Glossa 22 Aug. 1840),* illa tamen cautela vel probationes istae non sunt adeo ponderandae et exaggerandae, ut certitudinem metaphysicam vel physicam in iudicis animo ipsae generare debeant. In morali materia versamur, huius ergo rationis, moralis nempe, certitudine contentos nos esse debemus. Haec vero certitudo iuxta humanae prudentiae leges regulatur.

Iudex Ecclesiasticus, cui ab hac S. Cong. Conc. causa matrimonialis committitur examinanda, ex obedientia et sub actorum nullitatis poena tenetur modum et formam in Instr. *Cum moneat Glossa 22 Aug. 1840* adamussim observare, ideoque etiam probationes omnes, quae ibi praescribuntur dicta scilicet sponsorum, septimae manus testium depositiones et utriusque sponsi per medicos et obstetrices inspectionem ocularem diligenter exquirere.

Sed quando uterque coniux concorditer consummationem negat una cum iuramento septimae manus consanguineorum, aliisque concurrentibus adminiculis, argumentis et suppletivis probationibus eamdem inspectionem corporis mulieris non esse necessariam, ad effectum scilicet plenae probationis, post Glossam marginalem in Cap. *Proposuisti 4* verb. *Puella de Probat,* existimant Alex, de Nevo, Angel. Gutiérrez, Ursaya, Esperell, (Cosci, *lib. 3, cap. 2, n. 157).*

Textus enim in praecitato cap. *Proposuisti* loquitur in casu contradictionis iuramentorum mulieris negantis et viri afflrmantis consummationem, nec ullum ius reperitur, quod, utroque coniuge confitente, hanc inspectionem praecipiat, quemadmodum etiam praecitati auctores advertunt. (

Praeterquam quod iuxta tum SS. Patrum et Theologorum, tum Iurisconsultorum et Physices Professorum sententiam, obstetricum iudicium fallax est, neque ab ipsis de-

prehendi potest, utrum mulier virgo sit, an corrupta, Cosci, *ibid. n. 159.*

Antipathiam et insuperabilem animorum sponsi et sponsae repugnantiam et dissociationem unam esse, docent Canonistae, ex causis matrimonii rati et non consummati dispensationis Apostolicae, simulque illas esse unum ex validioribus argumentis ad probandam non consummationem matrimonii.

Porro hanc dispensationem propter antipathiam, non obstante sola condormitione, alias fuisse concessam, probant auctores exemplis Carol. de Luca et Ursaya qui testantur a Clemente X, Benedicto XIV et Clemente XIV ob hanc causam talem fuisse dispensationem concessam. (Vide Cosci, *Ibid. nn. 242, 243 et 245).* Casus a Benedicto XIV nostro simillimus est. Vide ibi.

Magis attendenda videtur coniugum iurata confessio de non consummatione propter antipathiam, licet sint potentes, quam eadem coniugum confessio, qui propter frigiditatis vitium impotentia laborant.

Frigidi enim et impotentes pluries pluriesque ostium claustri virginalis pulsant, et eorum conatibus solent dubitationes insurgere, num aliquo modo in vas muliebre penetraverint et semen effuderint, ideoque certissimi esse non possunt *de effectu,* hoc est, de non consummatione, prout certi non sunt de *causa,* quae est propria impotentia, ut considerat Sperell. *(Decis. 141, n. 8, tom. 2).* Sed e contra quando coniuges ob reciprocam *antipathiam,* ac odium numquam prope inter se fuerint in eo statu, quem consummatio necessario exposcit, funditus cessat quicumque ambigendi praetextus, quia in hoc decipi et allucinari non possunt, cum sine modis aptis et proportionatis impossibilis est consummatio, ut in fortioribus terminis respondet Theichmejer, *Inst. Medie. Leg. cap. 4, § Quartum* (Cosci, *Ibid. n. 245, 246 et 247).*

Inter coniecturas vero, quibus magis coniugum confessio de non consummatione propter antipathiam corroborari potest,

ea esse videtur, quae ex illorum facto, vix contracto matrimonio, nonnunquam oritur, cum scilicet post initum matrimonium, statim eorum unus, vel alter adversus alterum suam vehementem antipathiam aversionemque manifestat ; quemadmodum enim longa patientia nocet illi qui diu silet, *(cap. 1, de frig. et male f.)*, ita tempestiva manifestatio vim auget probationibus etiam dubiis et praesumpti vis, ut idem textus proloquitur - ibi - « Si autem statim in ipsa novitate post mensem aut duos ad Episcopum aut eius missum proclamaverit etc. si probari potest, per rectum iudicium, separare potestis, et illa, si vult, nubat in Domino ». Cosci, *ibid. nn. 248, 249 et 250.*

Magis etiam confessio coniugum et negativa consummationis corroborata remanet, si ultra tempestivam et vix inito matrimonio naturalis antipathiae manifestationem post primam aut successivas paucas condormitiones unus vel alter ex eis, tum suis genitoribus, tum domesticis, tum Medico, Confessario aliisve sacerdotibus veritatem non consummationis ob praedictam causam constantissime patefecerit, inter quos licet reperiantur testes inhabiles, prout sunt parentes, aliique domestici, eis tamen propter difficultatem alias habendi probationes, est deferendum. Cosci *nn. 252 et 253.*

Violentam quoque praesumptionem praebet publica et communis vox super non sequuta consummatione, tam statim post matrimonium apud omnes domesticos, quam successive per totum oppidum seu civitatem, Cap. *Illud quoque II de Praesumat.* - Cap. *Praeterea 27 de Testibus* - ibi « Praesumptionem violentam fama consentiens manifestat». Cosci, *ibid. n. 254.*

Concurrente ergo coniugum confessione, maxime si sit reiterata cum iuramento, itemque iuramento septimae manus, obstetricum iudicio, publica voce et fama, enuntiatis aliisque adminiculis, et argumentis nihil obstare^ videtur coniugum potentia, nam a potentia ad effectum non modica intercedit distantia; et condormitio, quae non probationem, sed solam praesumptionem inducit, omnino veritati cedere

debet. Card. de Luca, Marc, Ursaya. Vide Cosci, *ibid. nn. 256 et 257.*

Hisce praemissis, ait Consultor, constare de matrimonii in themate non consummatione.

Huiusce propositionis veritas facili negotio demonstrari potest mediis probationibus, quae nobis a iure praescribuntur, cum de causis est agendum matrimonialibus. Et primo evincitur per coniugum iuratam confessionem.

Sponsa vero adiecit : « hoc unum dicere pergam, me conscientiae reatu gravatam sentire, utpote quia sponsae officiis deessem ob debiti coniugalis denegationem, cui plane actui veram experiebar repugnantiam ».

Septimae manus testium ex parte viri et mulieris depositiones iuratae evincunt religiositatem et veracitatem utriusque coniugis, quando affirmant matrimonii inconsummationem.

Medicus, unus enim ex actibus deprehenditur, deposuit : « Mariam nullo affici impedimento ad matrimonium consummandum, matrimonium tamen revera non consummavisse ».

Ex septemdecim testibus, quatuordecim scilicet septimae manus et alii tres adiuncti, nec unus inveniri potest, qui stet pro consummatione. Omnes e contra, quinque tantum exceptis, qui suam ignorantiam proferunt vel ex absentia e factorum theatro procedentem vel ex eorum tenera aetate sponsorum matrimonii tempore, asserunt se a multis audivisse, matrimonium inter coniuges Bonaventuram et Mariam initum, numquam consummatum fuisse.

Ex his vero multiplicibus testimoniis de non consummatione matrimonii, de quo loquimur, famam oriri manifeste patet, cui etiam conditiones illae non desunt, quibus fama ut probet, instrui debet, ut Canonistae docent. Sunt autem conditiones istae: 1. Ut fama sit uniformis, solida, constans et perpetua ; non autem vaga, levis et contraria, seu contrariis allegationibus conquassata ; 2. quod originem duxerit fama a personis honestis et fide dignis, cap. *Qua-Hter et quando, 24 de Accusat, cum similibus ;* 3. Quod

constet, seu per testes legitime probetur, famam ex probabilibus causis originem duxisse, quae populum inducere poterant ad sic credendum et dicendum : alias enim non esset fama, sed vana vox populi, quae attendi non debet, *I. Decurionum filii Cod. de Poenis.* Vide Reiffenstuel *Lib. 2, Tit. 20, n. 393.*

Tandem Consultor ait : quum matrimonium in themate permanserit non consummatum, aequum est, ut indulgeatur dispensatio pontificia ; pro qua multae adsunt causae ; uti est legitimatio prolis, et impossibilitas vitae coniugalis instaurandae.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Bonaventura et Maria Carmela die 1 augusti anno vertente 1850, in aetate tum ille constitutus annorum 22, haec vero annorum 20, matrimonium inter se contraxerunt.

Absolutis nuptiis Maria in domum viri traducta est ibique permansit usque ad diem 22 insequentis septembris, qua die ad paternam domum remeavit, nec postea maritales repetiit lares.

Quinimo urgente Bonaventura ut rediret, Maria die 5 maii 1851 virum in ius rapuit apud ecclesiasticam Barcinonae curiam, contendens illum esse ad coniugale opusineptum.

Verum malis prorsus avibus Maria dimicavit. Barcinonensis enim ecclesiastica curia die 6 decembris 1851 reiecit divortii et die 3 decembris labente^d-852 nullitatis matrimonii petitionem.

Nec omine meliori confugit Maria ad iudicem metropolitanum. Nam hic suffraganei sententiam ratam habuit. Et tandem anno 1882 Rota matritensis, ad quam Maria provocaverat, appellatio caduca et deserta dicta est.

Maria iussa iudicis facere detractante, Bonaventura in concubinatum prolapsus est cum quadam Dolorosa Carbonell, ex qua 6 filios, quorum tres participes vitae sunt, suscepit : illamque matrimonio sibi iungere cupiens ab anno 1888 dispensationem praestolatur super matrimonio, quod tum ille cum Maria inconsummatum dicunt.

Difficilem profecto rem postulat Bonaventura. In confessis namque est coniuges per duos fere menses eodem in lecto concubuisse et pro viribus saltem Bonaventuram matrimonii consummationi operam navasse. Impotentiam autem ex parte viri excludunt sex suscepti, ut diximus, liberi ; et quoad Mariam, ipsa profitetur : ex testimonio medici nullo affici impedimento physico ad matrimonii consummationem.

Hisce in adiunctis probatio inconsummationis matrimonii absque specimine in corpore mulieris ab obstetricibus peracto res est apprime ardua. Ad rem Card. de Luca *De matrim, disc. 9, num. 15* (ibi) : « Difficultas magna apud me erat quod ageretur de vidua quae cum viro iam dormierat, ideoque non agnoscebam quomodo convinci posset negativa consummationis matrimonii, licet enim id non sit omnino impossibilis iustificationis, attamen videtur nimium difficilis, adeo ut sit difficultas, quae quodammodo fraternizet cum impossibilitate ».

Haec dicenda erant ut ictu velut oculi EE. VV. perspiciant num argumenta ex adverso in medium allata tanti valeant, ut magnam illam difficultatem *fraternizantem cum impossibilitate* removere queant. Sed diutius his immorari refugit animus, quia doleo et vehementer angor, cum videam controversiam per quadraginta septem ferme annos perdurasse in tantam animarum perniciem.

Hisce in utramque partem animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re disceptata sub die 20 Februarii 1897, censuit respondere : *Affirmative.*

CASALEN.

INTERPRETATIONIS PII LEGATI

Die 20 Februarii 1897.

Sess. 24, cap. 5, De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. Parochus e Rosignano Dioecesis Casalen. retulit: Marchionissam Teresam Ricci-Visconti suis testamentariis tabulis diei 14 Octobris 1869, patefactis 12 Octobris 1877, instituisse solemnem *officiaturam,* quotannis celebrandam in die anniversario suae mortis et in perpetuum ; et duas missas celebrandas in qualibet hebdomada, alteram die Io vis in altare SSmi Crucifixi in honorem ss. Cordis Iesu, alteram in Sabbato ad altare B. M. Virginis a SSmo Rosario, in honorem S. Cordis Mariae ; legavisse autem biscentum libellas, solvendas quotannis fabricae paroeciali. Ex huiusmodi tamen dispositione dubium enatum esse, utrum duae missae in hebdomada sint cum onere applicationis. Ad hoc tamen explanandum dubium nonnulla adiuncta legati institutionem concomitantia, in mentem revocata fuerunt, nempe Marchionissam quotannis, tempore rusticationis tradidisse oratori libellas 250, impendendas arbitrio proprio : eandem piam feminam desiderasse erectionem Sodalitatum SS. Cordium Iesu et Mariae, et ideo onus dedisse oratori ut imagines compararet, et canonicam erectionem curaret. Oratorem ut piae feminae indulgerei desiderio, sponte sua coepisse duarum missarum celebrationem, additis nonnullis precibus : et marchionissam perrexisse rependere libellas 250. Post eius obitum superesse tantum fructus 4000 libellarum in libellis 200 ; quam pecuniae vim redigi ad lib. 132, detractis oneribus et anniversario pro applicatione in quolibet anno missarum 104. Oratorem qui piae testatricis familiaritate fruebatur, censere, illam voluisse per legatum huiusmodi, in tuto ponere devotionem sacrorum Cordium, absque applicatione Missarum.

Praeterea dum viveret pia femina libellas 250 adhibitas fuisse in reparandis Ecclesiae paroecialis necessitatibus, et

post sodalitatum institutionem numquam applicatas fuisse Missas easdem, hanc esse testatricis mentem censendo.

Disceptatio Synoptica

Cui quaestioni ut satis fieret, prae primis animadversum fuit, sane onus Missae *celebrandae* ab onere *applicationis* distingui. Siquidem in Missae Sacrificio triplex consideratur fructus ; primus *generalissima* cuius fideles omnes fiunt participes; alter„*specialissima* quo fruitur sacerdos, tertius qui *medius* dicitur quemque sacerdos iis *applicat* pro quibus Sacrificium offert. - Exinde non repugnat quod Missa *de Requie* in paramentis nigris et proprio ritu celebrata, a Sacerdote applicetur *pro vivis,* uti reposuit S. Rituum Congr. *die 13 Octobris 1856,* dubio « *An liceat Sacerdotibus uti paramentis nigris et celebrare Missam de Requie ut satisfaciat obligationi quam susceperunt celebrandi pro vivis* » respondens « *Affirmative modo non diverse praescripserit qui dedit eleemosynam* ». Item ex responsione eiusdem S. Congr. in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum possunt Missa« applicari etiam pro vivis. - Exinde iuris praeceptum vel fidelis petitio celebrandi Missam, necessario non secumfert obligationem Missam applicandi. - Qua de re S. C. S. O. quaestioni « *An in celebratione nuptiarum Sacerdos teneretur celebrare pro sponsis* » respondit *die 1 Septembris 1841* « *Sacerdos non tenetur applicare pro sponsis, nisi ab eisdem eleemosynam recipiat* ». Et S. C. C. dubio « *An Sacerdos in exequiis persolvendis Missam celebrans, non recepto stipendio,, debeat pro ipso defuncto vel potius pro aliis petentibus et eleemosynam afferentibus sacrificium applicare queat* » *die 27 Apr. 1895* respondendum censuit « *Negative ad primam partem ; Affirmative ad secundam* ». In themate vero, voluntatem fuisse piae fundatricis exigendi tantum Missae *celebrationem,* non *applicationem,* coniici potest non tantum ex adiunctis ab oratore enarratis, sed etiam ex verbis legati ; nimirum «… *in onore del S. Cuore di Gesù... in onore del S. Cuore di Maria...* »

-quibus non obscure videtur innui, celebrationem Missarum fuisse expetitam ad cultum augendum, in specialem D. N. I. Christi et B. M. Virginis venerationem, potiusquam directe in satisfactionem pro anima defuncti. - Aliunde, uti notat orator, legati reditus sunt impares celebrationi et applicationi tot Missarum.

Sed ex adverso, ad instar principii et praxis ordinariae S. C. C. haberi debent quae tradit Ben. XIV in *op. de Sacri f. Missae lib. 3, cap. 9, n. 2,* aiens « S. Cong. Concil, regula est, intelligendum esse, appositum etiam onus applicandi Missam animae Institutoris, seu Fundatoris beneficii seu capellaniae... Porro verisimilius est, eum qui beneficium seu capellaniam fundaverit et onus celebrandi Missam imposueris voluisse eamdem etiam, sibi applicari. Notissima est S. Cong. resolutio *in causa Tinen. - Applicationis Sacrificii die 18 Aug. 1668 in lib. Decret, fol. 61* ubi haec habentur « *Ex dispositione testamentaria antiquitus facta a pio testatore reperitur fundata quaedam capellanía cum onere capellano pro tempore sacrum faciendi* singulis Dominiéis aliisque festivis diebus, nulla adiecta declaratione, ad cuius suffragium applicandum esset Sacrificium. - Ideo Episcopus Tinen. supplicat per S. C. declarari, an eiusmodi Sacrificium applicandum sit pro anima ipsius testatoris, an vero ad libitum Capellani, uti hactenus factum esse compérit. - *Die 18 Aug. 1668* S. Cong. Concil, respondit, applicandum esse Sacrificium pro anima testatoris____Quamobrem ad eumdem modum semper Sacra Congregatio respondit ad eiusdem generis supplicationes quod ipsi ostendimus in scripto pro Cong. habita *die 12 Febr. 1718,* in *causa Ferrariensij,* in qua et de eadem re agebatur, et ad eumdem modum Sac. Cong. respondit *die 26 Martii* eiusdem anni ». In themate vero, quia uno contextu, testatrix praecepit sibi fieri « *Solenne officiatura... nelV anniversario del mio decesso... e due Messe lette...* » videtur posse praesumi per hoc legatum directius *animae suae* consulere voluisse. - Alia vero rei adiuncta ab oratore relata quae se referunt

ad voluntatem Fundatricis, dum in vivis esset, non tanti videntur ponderis haberi ; quia in re testamentaria illud est praecipuum, nempe *hominis voluntatem esse deambulatoriam usque ad extremum vitae spiritum,* quae proinde desumi debet ex verbis testamenti, magis quam ex significationibus voluntatis expressis, extra tabulas testamentarias. - Ratio autem non sufficientis eleemosynae non est argumentum omnino concludens ad voluntatem testantis interpretandam: quia ait Bened. XIV *I. c. n. 5.* « *At primo non est immunis ab applicanda Missa qui eleemosynam acceperit minorem etiam quam quae sit taxa dioecesana.*

Quibus animadversis, quaesitum fuit quomodo enodandum esset dubium.

RESOLUTIO. Sacra Cong. C. re disceptata sub die 20 Februarii 1897, censuit respondere : *Attentis omnibus adiunctis, in casu occurrentibus, duas missas per hebdomodam non esse applicandas.*

VARSAVIEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 29 Ianuarii 1837.

Sess. 24, cap. 5, De ref. matr.

COMPENDIUM FACTI. In ecclesia sub titulo Patrocinii Sancti Ioseph, Varsaviae, Vladislaus, 27 annos natus, *die 20 Iunii 1888* matrimonium iniit cum Hedwige Nepomucena ,23 annos agente, ac huius domum petiit.

Postridie nuptiarum sponsi rei coniugali operam dare conati sunt, sed matrimonium haud consummasse videntur, et licet tentamina pluries itérassent, haec semper in irritum cessisse coniuges asserunt. Cum exinde dissensiones ortae fuissent, vir, elapso circiter anno a contracto coniugio, consentiente uxore, eius domum dereliquit, atque nullam in posterum cum sponsa relationem habuisse affirmat.

Quatuor praeterlapsis a separatione annis, mense *Februarii 1894* Vlaclislaus adiit Consistorium Generale Varsavien., petens, ut sui matrimonii nullitas declararetur. Consistorium quum frustra sategisset coniuges ad concordiam revocare, iudicialem inquisitionem instituit.

Coniuges prae primis excussi fuere, qui declararunt se post plures conatus haud valuisse matrimonium consummare. Testes septimae manus, ab utroque coniuge producti, percontati viri ac mulieris honestatem et religionem summis laudibus extollunt ; atque ex istis plures deponunt, se tempore non suspecto scivisse, matrimonium consummari non potuisse. Nec denique omissa fuit corporalis inspectio utriusque coniugis, servatis ad unguem canonicis praescriptionibus.

Processualibus actis absolutis ac sedulo excussis, Iudex *die 25 Mait 1895* declaravit non constare de nullitate matrimonii, quamvis vero existimaverit mulierem « esse virginem, nec matrimonium consummasse ».

Quapropter actor dispensationem a matrimonio tantum rato a SSmo postulavit, quam gratiam ipsa mulier petiit. Archiepiscopus processus acta transmittens, actoris petitionem commendat, praesertim quia « attenta aetate in summo incontinentiae periculo reperitur ».

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO VIRI. Advocatus viri duas in partes orationem suam dispescit, in quarum prima de non sequuta matrimonii consummatione, in altera vero de dispensandi causis disserit.

Primum caput defensor aggrediens ait, inconsummutionem matrimonii praeprimis depositione coniugum evinci. Sane vir iuratus fatetur, se cum uxore coire nunquam potuisse, quamvis id pluries tentasset ; « nam in muliebribus uxoris offendi quemdam obicem. Pro certo mihi constat, me matrimonium non consummasse, et idcirco opinor, uxorem meam esse virginem. Post aliquot menses exquisivi consi-

lium medicorum circa impotentiam consummandi matrimonii. Nulla mihi remedia praescripserat. Doctor vero Zagórski impotentiam coeundi attribuit meae nervositati et enormi dimensioni hastae meae virilis. Uxor, quantum quidem novi, nullos adiit medicos. Per tempus nostrae cohabitationis coniugalis dictitabam in confuso inter familiares, matrimonium meum non esse consummatum; etsi nunc non possum nominatim citare ad quosnam hoc dixerim. Aliquoties reprehendí uxorem, quod non potuerim cum ipsa concumbere, eaque respondebat: noli tentare, quia non vales ».

Viri confessioni consonat, dicit orator, illa mulieris fatentis : « Per annum circiter cohabitavi marito. Novi maritum attentasse hoc tempore copulam carnalem ; sed quoties id fecerit non memini. Non novi scientia apodictica, sed persuasum habeo, coniugium nostrum legitime consummatum non esse. Certissime affirmo, me manere virginem. Cuiquam mentionem feci non consummati inter nos coniugii ». Notat autem orator, quod si mulier omisit rei coniugalis adiuncta narrare, nempe circumstantias explicare de membri virilis erectione aliaque similia, id ex verecundia et innata anxietate fecisse pro certo tenendum, ut etiam eiusdem frater testatur ; quod si Iudex institisset, illa tunc certe paruisset.

Sustinet vero patronus, quamcumque collusionem inter coniuges esse prorsus excludendam. Nam nedum ex ipsorum dispositionibus, sed etiam ex illis aliquorum testium evidenter constat, tempore non suspecto, illos scivisse dissensus inter coniuges exortas fuisse, et deinde viri discessum ab uxoris domo unice evenisse ob relativam illius impotentiam matrimonii consummandi.

Praeterea defensor viri animadvertit, testes septimae manus eximiam honestatem et religionem coniugum summis laudibus, unanimiter extollere. Cum igitur etiam levis suspicio collusionis inter illos excludenda sit, eorum depositio de non consummatione matrimonii maximi facienda est, ut tradit Consci, *De separ. thor. coniug. lib. 3, cap. 2, num. 134 :* « Praesertim si longe a quacumque fraude et

collusione... eamdem negent (coniuges) collusionem. » Et Rota in *Bononien. Nullitatis Matrimonii 15 Iunii 1876 § Et licet, coram Vicecomit.*

Deveniens deinde patronus ad confirmandum, utrumque coniugem praeclara probitate et religione fulgere, aliquas in medium profert depositiones testium septimae manus ex utroque latere, ex multis in summario relatis.

Notat insuper patronus, testes confirmare coniugum depositiones nedum generice, asserendo nempe illorum depositiones esse fide dignissimas, sed et nonnullos fateri, se tempore non suspecto scivisse matrimonium consummari non potuisse, et ideo dissensus et inimicitias exortas fuisse inter coniuges. Id praesertim confirmat soror germana viri, aliique.

Cum igitur, arguit orator, testes septimae manus ab utraque parte producti, nedum generice fateantur, coniugum depositiones summam fidem mereri, sed et plures asseverent, se, tempore minime suspecto, scivisse matrimonium consummari non potuisse, et insuper aliqui addant id evenisse ob impotentiam viri, stat ipsa rupe firmius, matrimonium reapse nunquam consummatum fuisse.

Nec aliquid referre dicit quod inter testes aliqui coniugum consanguinei et affines recenseantur. Nam in primis translatitium in iure est, testes formiter examinatus et iuratos plenam probationem conficere cuiuscumque sint conditionis et qualitatis, ut docet Rota, *in Meievitana Separationis thori, 14 Iulii 1817 cor. Serlupi* § *6, et in Romana seu Veliterna, Pecuniaria, 20 Ianuarii 1817, cor. Cesarei et 4 Iulii eiusdem anni cor. Serlupi.* Animadvertit praeterea orator hoc peculiare esse matrimonialibus causis, quod parentes ac consanguinei in actibus clandestine fieri solitis non solum recipi possunt ad testimonium dicendum: verum praeferantur, quia de rebus agitur, quae alioquin resciri nequeant. Atque id prae ceteris valet in causis de nullitate matrimonii,^praesertim ex impotentia vel de inconsummatione. Ita Cosci *op. cit. lib. 2, cap. 8 § 13.*

Itaque, dicitJadvocatus, ex concordibus et iuratis qua-

tuordecim testium depositionibus una cum illis coniugum tale morale argumentum exurgit, quod, etsi alia argumenta deñcerent, omnino sufficeret ad moralem certitudinem iuridice habendam de matrimonii non consummatione, proindeque dispensationem concedendam esse.

Sed, prosequitur, nulla necessitas adest ad testes appellandi, quando physicum virginitatis argumentum ex inspectione corporali mulieris rite peracta luculenter apparet. Siquidem neminem fugit, etiam contradicente viro, mulieris iuramento fidem adhibendam esse, si ipsa per sui corporis aspectum se virginem esse comprobat.

Et sane, ait, duo medici, tres obstetrices ac honesta matrona a Consistorio selecti spondent, se demandato munere religiose functuros. Ad inspectionem rite peragendam iisdem impertitur instructionem matrimonii defensor quae accuratissime observatur.

Obstetrices iuramento autumarunt mulieris integritatem. Iuratum et indubium iudicium obstetricum de virginitate mulieris confirmari, dicit patronus, gemino testimonio medicorum, altero in scriptis redacto statim post muliebrem perlustrationem, altero coram Iudice pandito.

Animadvertit autem orator, quod etsi Varsaviense Consistorium putaverit, haud satis constare de matrimonii nullitate ex impotentia viri, virginitatem tamen mulieris, ac proinde matrimonii inconsummationem absque ulla prorsus haesitatione solemniter declaravit, statuendo omni cum certitudine comprobatum esse « eamdem in ius vocatam esse virginem, nec matrimonium consummasse ». Tres obstetrices igitur ac duo medici mulierem integerrimam virginem conclamarunt, quibus accensenda sententia archiepiscopalis Curiae. Nemini dubium itaque suboriri poterit, arguit patronus, quin univocae absoluteque quinque peritorum et tribunalis sententiae tutissime acquiescendum sit.

Notat insuper, peritos in memorata sententia emittenda innixos fuisse complexui omnium notarum, quas inter, citra controversiam, hymenis integritas, nec non absentia cu-

iuscumque fissurae vel cicatricis praefulgent. Culmen itaque probationum adest in themate, eum praeter alia virginitatis signa obstetrices in Hedvige repererint hymenem integrum, in quo omnes anathomiae et medicinae forensis auctores princeps ac indubium intemerati pudoris argumentum agnoscant.

Necesse non • esse, ait orator, aliquid ulterius afferre, sed ne quid praetermissum appareat, et magis evincatur in apertam contradictionem incidere obstetricem Szyszckowska, asserendo notas omnes integritatis post completam copulam permanere posse, citat Zacchias, *Quaest, med. leg. lib. 4, tit. 2, q. 1, n. 2 et seqq.,* Bartolini*Institut. Anathomiae, lib. 1 cap. 31,* et inter recentiores S. Sutaud, *Manuel de medecine legale, n. 20.*

Quam doctrinam, ait, S. C. C. confirmavit, nam his in casibus medicorum sententiis constanti praxi solet annuere, ac dispensationem a matrimonio rato concedendamesse decernit.

Gradum faciens orator ad alterum caput, nempe dispensandi causas, vult non ordinarias tantum, sed peculiarem ac propriam in casu verificari ; gravissimum nempe dubium impotentiae, si dubium dici potest, quod facti evidentia comprobatur.

Omittens coniugum ac testium septimae manus depositiones, adducit concorde iudicium trium peritorum qui, peracta accuratissima inspectione corporis viri, iurati suas sententias exposuere, evincendo eiusdem viri impotentiam.

Ex quibus medicorum dispositionibus iuxta advocatum patet actoris relativam impotentiam non tantum uti probabilem, sed uti certam retinendam esse.

Verum, sequitur patronus, admissa saltem uti probabili illius impotentia, primum exinde potissimumque dispensationis argumentum procedit. Hoc enim in casu potiusquam proprie dispensatio, dicitur prudentialis administratio iustitiae, declarata nimirum sub nobiliori titulo matrimonii nullitate. Ita tradunt Ursaya, *tom. 3, part. 2, disc. 21, n. 104,* Card. De Luca, *De matrim., disc, 9, n. 8,* Cosci *De separ. thor. lib. 2, cap. 2, n. 387,* aliique plures.

Alteram rationem adducit patronus ex mutuo coniugum assensu in dispensatione petenda, quo in casu Canonistae communiter docent, leviorem quamlibet rationem, dummodo non incongruam, admitti : Cosci *cit. opere, lib. 3, cap. 2, n. 95,* Fagnanus etc. Iamvero etiam mulier dispensationem efflagitat.

Tertiam causam deducit ex animarum aversione, nullaque spe pacis conciliandae, quod ad dispensandum gravissimum profecto censetur, uti docent Card. De Luca, *loc. supra cit.,* Sánchez, *De matrimon., lib. 12, disp. 16, n. 3,* Cosci *op. cit., lib. 1, cap. 16, n. 651.* Porro quod animarum aversio inter coniuges adsit, nullaque conciliationis spes effulgeat, universa processus acta satis ostendunt.

In hac autem rerum conditione, dicit patronus, gravissimum subsequi argumentum dispensandi ex periculo incontinentiae ac timore fornicationis. Ita Sánchez, *loc. cit., disp. 15, n. 19,* Fagnan., *cap. Verum, sub n. 11, De Convers. coniug.,* et Ursaya, *tom. 3, part. 2, n. 92 etc.*

Evidentissime vero patere concludit, timendum maxime fore, quod uterque in fornicationem et adulteria prolapsuri sunt. Agitur enim de viro et muliere aetate non equidem provectis, et robusta valetudine donatis. Hinc ipsemet Archiepiscopus ait, se copiam actorum transmittere « cum humillima instantia pro actore, qui attenta aetate in summo incontinentiae periculo reperitur ».

ANIMADVERSIONES SACRI VINCULI ASSERTORIS. Vinculi defensor e contra matrimonium consummatum existimat ac primum pro sua opinione argumentum invenit in eo quod coniuges plures per annos tacuerint. Si enim res se haberent, sicuti ab ipsis modo enarrantur, certo certius ante annum 1894 iudicium contra matrimonium instituissent.

Neque, iuxta oratorem, argumenta, quibus inconsummatum matrimonium demonstrare pertentant, apodictica sunt; neque constat coniuges laborare impotentia relativa ad coitum. Etenim ad astruendam inconsummationem matrimonii, in medium afferunt testimonium trium obstetricum, quae de

mandato Iudicis corpus Hedwigis recognoverunt. At Iudicis interrogationi : « An pudenda prodant consummatum matri- » monium vel attentatam ad hunc finem copulam ? » obstetrix Szyszkowska reponit : « Non possum decernere, utrum dna Hedwiges consummaverit matrimonium necne ». Cum hac autem obstetrice concinunt aliae duae.

Quae quidem unisona omnium obstetricum responsio, cohaeret apprime factis quae obstetrices in corpore Hedwigis deprehenderunt, urget defensor. Etenim omnes obstetrices deprehenderunt mammas demissas in Hedvige. At vero inter argumenta violatae physicae virginitatis mammas aliquantulum demissas recensent eaedem obstetrices ; et reapse in virginibus teste Zacchia *quaest medie, legal libr. 4, tit. 2, q. 2, n. 16:* « Mammas non diffluentes et laxas, sed in seipsas recollectas esse decet ».

Neque interest oratori adversum medentium iudicium. Novum etenim non est quod medici absque ulla errandi formidine virginibus immerito accenseant feminas, quarum virginitatem vel dubiam vel certo pessundatam iure habent obstetrices. Id contingit, quia exploratio virginitatis, non in abstrusorum medicinae theorematum resolutione consistit, sed in subtili, diligenti atque scrupulosa factorum observatione, qua in re mulieres magis aptae inveniuntur ; et hanc praecipue ob causam, praeter naturalem honestatem, factum est ut in huiusmodi negotiis adhiberentur obstetrices.

Non inficit ligaminis vindex, hymenem inter potissima virginitatis indicia ab archiatris recenseri, at contradictori subscribere non potest, dum contendit hymenem ex se esse certum virginitatis argumentum. Etenim Zacchias in hac re facile princeps docet *lib. 4, tit. 2, q. 1, num. 28 et seqq.:* « Potest virgo defiorari, imo etiam concipere absque eo quod » hymen disrumpatur ». Quod Zacchias fuso calamo duplici modo evenire posse demonstrat. Atque moderni medici mente redarguunt peritos, qui fallacibus genitalium sive hymenis indiciis contenti, feminas virgines aut corruptas pronunciant, ceteris muliebris corporis partibus haud examinatis.

Aliud vero coniugum effugium, decantata nempe coeundi relativa impotentia ob ipsas medicorum relationes facile expeditur, pergit sacramenti tutor. Nam, quaerenti Iudici : « Quam impotentiam a te deprehensam unde orsam censes ? » medicus Zielinski reponit : « Cum exacta scientifica certitudine pronunciare, sitne Vladislaus idoneus ad coitum cum uxore, vel aliis mulieribus, non possum ».

Eduardus Bondy ait quidem : « Opinor Vladislaum obnoxium esse impotentiae relativae psychicae, nec cum hac muliere matrimonium unquam consummare posse » : at, dum praefatam opinionem explanat medicus, manifeste ostendit se ita censere in evidentem factorum errorem ex adverso adductum. Ait enim : « Consociatio huius coniugii sine maritali affectu, disproportionata aetas ac defectus instinctus sexualis erga uxorem procrearunt impotentiam relativam in specie psychica ». Sed respondet orator, ex ipsorum coniugum iurato testimonio constat, ipsos solummodo impellente amore matrimonium contraxisse et eiusdem fere aetatis existere.

Postremo, inquit, Eduardus Bondy relativam impotentiam deprehendit in defectu instinctus sexualis erga uxorem. At Vladislaus iudiciali in examine medicum mendacii convincit. Iurat enim : « initio fere quotidie contendi concumbere cum uxore, deinde rarius. Uxor per aliquot menses non repugnabat attentationibus, posterius demum nonnumquam copiam sui mihi denegabat idque cum se enervatam sentiebat ».

Ex dictis itaque, contendit vinculi defensor, non esse Vladislao fidem adiiciendam, dum inquit : « Pro certo mihi constat me matrimonium non consummasse et idcirco opinor uxorem meam esse virginem ». Atque eiusdem ponderis esse vult Hedwigis confessionem ; quia praeter quod et ipsa confitetur in sui favorem, cum iugale foedus aeque ac Vladislaus rumpi percupiat, prostat in actis momentosa actuarii animadversio: « Hic notatur quod rea (Hedwiges) in primis a iuramento se excusavit et post depositionem iuramenti in

protocollum quoad circumstantias consummandi matrimonii elucidationem dare recusavit ».

Neque testes, quos viri patronus existimat de matrimonii inconsummatione instructus non suspecto tempore, rem certam reddunt.

Denique vinculi tutor credit impune dari posse matrimonium inconsummatum esse. Nam desiderantur causae necessariae nedum ad licite, verum etiam ad valide dispensandum. Profecto relativa coniugum impotentia, qua Vladislai patronus tantopere deliciatur, non solum haud certa, sed nec probabilis est : imo ex supra disputatis, iuxta oratorem, apparet eam a Vladislao excogitatam ad suadendam veri absimilem matrimonii inconsummationem inter fabellas amandandam esse.

Quam ad insinuandam inconsummationem ipsemet Vladislaus primum Hedwigis voluntatem, quae impotentiam excludit, venditavit. Re enim vera Alfridus Czarnomshi, levir Vladislai, refert : « Aliquot circiter mensibus post nuptias Vladislai, cum Varsaviae esset, aiebat mihi aperte, uxorem cum ipso vivere coniugali modo nolle, haecque causa fuit eorum separationis ». Cui testimonio astipulantur Iosephus Glogowski, Maria Czarnomska et Iosephus Izychi.

Quibus praemissis, propositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SS no pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C C . re disceptata sub die 23 Ianuarii 1897, censuit respondere : *Affirmative.*

BERGOMEN.

ULTIMAE VOLUNTATIS

Die 20 Februarii 1897.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Ordinarius Bergomen, retulit : sacerdotem Iulium Natali, suae Dioecesis, anno 1742 instituisse Beneficium Legatum indolis privatae et fideicommissariae, favore descendentem diversarum linearum propriae familiae, quibus cordi esset sequi studia ecclesiastica, disponendo ut reditus istius beneficii erogarentur in hoc opus. Adiecisse autem, quatenus in praefatis lineis non adesset filius, qui vellet aut posset huius frui reditibus beneficii, volo ut haec haereditas, pro tempore illo, administretur a patrefamilias ex duabus primis lineis, quae prius de beneficio frui deberent cum onere recte administrandi et utendi reditibus pro re opportune manutenenda, et litandis missis per totum vacationis tempus.

Anno 1844 alter sacerdos Petrus Natali, haeredes vocabat, filios masculos sui nepotis Andreae, nec non filios masculos sui fratris Bartholomaei, haec addens : seponatur ab haereditate mea vis libellarum 3456, quarum reditus adhibeatur ad hoc ut scholae vacare possit alter ex filiis descendentibus a nepote Andrea, et a fratre Bartholomaeo. Quum non satis esset beneficium institutum a sacerdote Iulio Natali, adieci favore descendentium ex dictis lineis libellas 3456, quarum fructus cedet favore duarum linearum, alternatim incipiendo a meo pronepote Iulio Natali, filio Andreae. Adiectio haec erit tantum pro nostra familia.

Nunc vero quum adsit in familiis, quae ius habent ad fruitionem secundi legati, alter qui studiis incumbit ecclesiasticis, dubium surgit utrum reditus eiusdem legati addi debeant capiti, vel dividi inter familias vocatas ad fruitionem legati Petri Natali, ceu interesse habentes credere inclinant : adducti in hanc sententiam ex testatoris dispo-

sitione ; qui voluit, ut, altera extincta linea, legati patrimonium transeat penes superstites; sic videretur quod etiam in casu quo non sit qui studiis ecclesiasticis incumbat, familiae legatariae frui valeant legati redditibus.

Disceptatio Synoptica

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Heredes Petri Natali vellent impedire quo minus fructus legati sui auctoris cumulentur cum reditibus alterius legati Iulii Natali, quando impendi non possint in causam a testatoribus *taxative* destinatam. - Iamvero Iulius Natali voluntati principaliter expressae substituit *causam piam;* decernens, huiusmodi cumulum redituum deberi administrari « *per impiegarlo primieramente in quei miglioramenti che fossero più opportuni e spendere poi annualmente il sopravanzo nella celebrazione di S. Messe etc.* » Quapropter si in causam *piam* dici debet confectum *legatum,* quod consulere debet congruae institutioni iuvenum Ordini clericali addicendorum, eo magis *pia* dicenda est causa ad quam ordinantur etiam reditus pro celebratione Missarum. - Ait enim Reiffenstuel *in tit. De testamentis n. 137: « Nomine autem causae piae hic veniunt* omnia loca et instituta pia, qualia sunt Ecclesiae, Monasteria, Hospitalia... itemque pauperes omnes non tantum qui carent necessariis vitae et naturae, sed etiam qui necessaria vitae habentes, egent necessariis ad decentem sustentationem iuxta qualitatem et conditionem status. . . . dummodo eisdem principaliter ad honorem Dei et animae salutem haereditas vel legatum relinquantur ». Iamvero legata seu testamenta ad causas pias sunt privilegiata seu lata fruuntur interpretatione et magno iuris favore. - Haec demonstrat Fagnanus *in cap. Cum esses tit. cit. De testament,* et Pirhing *eod. tit. n. 19,* adeo ut in Corpore iuris can. praecipue in has causas in celebri capite *Relatum* et in cap. *Cum esses* h. t. introducta sit nova forma testandi, expedita ab omnibus solemnitatibus iuris Romani. - Quocirca intentioni

heredum Sacerdotis Petri Natali obstat hic favor legati privilegiati quod, m dubio, est intelligendum in commodum causae piae, seu ut reditus non impensi in negotium studiorum, debeant cumulari ad fundum legatum conservandum, et ad curandam Missarum celebrationem, iuxta voluntatem Sacerdotis Iulii. - Legatum vero Petri, habendum esse quasi appendicem testamenti Sacerdotis Iulii, aperte docent illius verba ; nimirum « *Non essendo sufficiente il beneficio già istituito dal Sacerdote Giulio Natali* ».

Sed contra est, quod legatum Sacerdotis Petri videtur augere beneficium alterius Sacerdotis, idem extendendo, per additos reditus, ad *alium* scopum. Re sane vera Sacerdos Iulius disponit « a favore di quei discendenti delle diverse linee di sua famiglia *che avessero avuto intenzione di percorrere gli studii ecclesiastici* » dum Sacerdos Petrus de re magis profana sollicitus est in suo legato, prospiciens « *a mandare a scuola uno dei figli delie* due linee discendenti... cominciando a goderlo il mio pronipote Giulio Natali figlio di Andrea ». Oratores non referunt an hic Iulius, nepos testatoris, studiis ecclesiasticis vacaret ut cooptaretur in clerum ; sed alia verba ipsius testatoris diserte edicunt, ipsum animum habuisse consulendi institutioni nepotum *marium,* sed noluisse hebere delectum inter institutionem ecclesiasticam et secularem. - Addit enim « Se poi una di queste linee si estinguesse succederà *Y* altra, e se nelF ultima che rimane non si trovassero *figli maschi, il legato potrà essere disposto a loro piacere dai componenti della linea, ricordandosi però sempre del benefattore e degli altri defunti della famiglia* ». Quocirca satis perspecta testatoris videtur voluntas *augendi* beneficium ; idem *protrahendo* ad alium scopum ; adeo ut *opera pietatis* tantum commendentur legatariorum grato animo.

Hisce praemissis, quaesitum fuit quid esset proposito dubio respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re perpensa sub die 20 Februarii 1897, censuit respondere: *Legatum Sacerdotis Petri Natali*

seiunctum et independens esse ab altero legato Sacerdotis Iulii Natali, atque reditus, iuxta expressam fundatoris mentem esse ero gando s.

REGIEN.

IURIUM

Die 3 Aprilis i897.

Sess. 24 cap. 12 De reform.

COMPENDIUM FACTI. In civitate Regiensi, antiquitate commendata eminet insignis Ecclesia Collegiata S. Prospero dicata. Urbis et Dioecesis Patrono principi, non semel in pervetustis documentis, Cathedralis titulo donata, cuius capitulares praeclaris honestan tur privilegiis. — Hoc collegium numero etiam praestans, 12 canonicis et 27 sacerdotibus ei addictis, coalescebat sub exitu praeterlapsi saeculi, quum passum est gubernii civilis direptionem, denuoque hisce nuperrimis temporibus expoliatum, nihilo secius adhuc 11 numerat canonicos, eosdemque omnes iure patronatus institutos.

At servitium chorale quod spectat, post constitutionem *diei 19 Sept. 1841* ab Episcopo Cattani probatam, istud habetur diebus tantum festis, neque integrum servatur nisi in diebus solemnioribus, nimirum septies in anno.

Modo, capitulares inter et canonicum parochum, controversia agitatur quoad limites iuribus parochi designandos, quum canonici pressius inhaerere intendant receptis moribus; parochus vero obiectam consuetudinem, vel in dubium revocare, vel saltem aliter interpretari conetur. Ut controversiae ambitus perspectus sit, perlegenda sunt dubiorum capita a parocho proposita et in calce relata.

Disceptatio Synoptica

Ad primum dubium, plura congerunt capitulares documenta ut doceant perantiquam huius collegii originem quod,

sub an ac- 999, derelicta, uti fertur, Monachis antiqua sede extra muros, ad urbanam ecclesiam se transtulit ubi omnibus iuribus et privilegiis servatis exercuit munera parochialia, qua Ecclesia mater et princeps plurium ecclesiarum. — Tunc cura animarum, saltem *habitualis,* uti videtur, residebat penes Capitulum. Quando vero *actuale* munus parochiale demandatum fuerit uni ex capitularibus, certo instrumento probari non potest, sed plura suadent indicia, hoc referendum esse ad tempus evulgati Concilii Tridentini. — At quidquid sit de origine huius constitutionis, hodie munera parochialia in dicto capitulo explentur a Praeposito, qui, dignitatis titulo honestatur, sed revera in capitulum nulla fruitur iurisdictione. — Istius caput est Prior seu canonicus decanus, cui pertinet capitulum convocare, eique praeesse et cetera alia praestare, id genus, munia.

Uti vestigium antea gestae administrationis parochialis, commemorant canonici, sibi reservata habere aliqua ex iuribus parochialibus, uti est *quarta funerum,* et Missas in *obitu* cum relativis absolutionibus, quae cantantur et fiunt nomine Capituli ab altero ex Sacristis, et numquam a Parocho vel eius Cappellano, idque ab *immemorabili.*

Exinde deducunt, Praeposito parocho *unum* tantum altare assignatum fuisse pro functionibus parochialibus, et addunt liquidum esse quod absque oppositione ulla Praepositorum praedecessorum, functiones paroeciales peractae fuerunt ad altare, sive in cappella Sanctissimi Sacramenti; ita ut si alio in loco, aliquando Parochus facere illas voluerit, id fecit praevia permissione, quam a Capitulo obtinuit. Eiusmodi consuetudinem vigere apud Cathedralem, quam sequamur pene per omnia; et talem nunc esse apud Cathedralem Parmensem, etiam quoad *quartam funerum,* et apud Metropolitanas Mutinae et Bononiae, quae in eisdem reperiuntur adiunctis quoad paroecialitatem. Parochus consuetudinem reapse non negat, sed nonnulla opponit antiquiora facta, quae multimodis explicari valent, at factum consuetudinis certe non infirmant.

In quod propositum advertam, S. C. Congregationem iampridem probasse morem constituendi canonicum parochum pro *actuali* animarum cura, nam *die 7 Iulii 1731 in Sarnen,* rescripsit: « *Episcopus omnino procedat ad executionem literarum S. Cong. anni 1646, additis etiam coadiutoribus curae ex canonicis* ». Hae literae diei 5 Maii *i 646* sunt « *Quoad curam animarum ecclesiae cathedralis non probarunt Emi Patres, quod vage capitularibus immineat, sed mandarunt, alicui certae praebendae, de consilio capituli iniungi, vel vicariam inibi erigi perpetuam, ut subiectus populus certum pastorem agnoscat* ».

Disiuncto vero parochiali iure *actuali* ab integro Capitulo, eodemque iure uni ex capitularibus commisso, consecutum est in Ecclesia assignari consuevisse certum locum ad iura parochialia exercenda, ne functiones chori interciperentur parochi functionibus. — Hinc in *Neapolitana diei 6 Augusti 1698 lib. 48 Decret,* refertur hoc decretum Sixti V: « Et insuper curam animarum eidem Ecclesiae *(nempe Collegiatae et parochiali ecclesiae S. Mariae Maioris)* incumbentem per unum ex dictis Hebdomadarius ad vitam eligendum, exercendam statuas, *nec non ad aliquam* ex capellis in ambitu dictae Ecclesiae existentem ab ipsa Congregatione ad ipsius libitum post ipsius Ecclesiae possessionem et quando eidem aptum et commodum fuerit, et placuerit, illius tamen sumptibus exornandam et ad huiusmodi curae exercitium aptandam eadem auctoritate perpetuo transferas ». Dein exorta quaestione in decreti executione et duobus propositis dubiis, nempe « I. *An sit locus translationi curae animarum ecclesiae S. Mariae Maioris ad unam ex capellis in ambitu dictae ecclesiae in casu* »; et « II. *An interim et donec fiat praefata translatio liceat hebdomadario curato eiusdem ecclesiae explicare in Missa Evangelium, diebus Dominicis et festivis* ». S. C. C. respondit « *Affirmative ad utrumque* ».

Ad secundum Praepositi dubium « *An Parochus valeat pro suo arbitrio sacros sermones habere ad populum ex*

suggestu seu pulpito ecclesiae, in casu » haec advertenda videntur. — In una Novariensi *diei 8 Iulii 1724,* haec duo proposita fuerunt dubia: « I. *An denunciationes matrimoniorum et ordinandorum aliaeque similes functiones parochiales faciendae sint in celebratione Missae parochialis, quae celebratur in parochiali et collegiata Burgi Manerii, seu potius liceat Praeposito et Parocho eiusdem collegiatae illas facere iii celebratione Missae conventualis, contradicente Capitulo, in casu* » et « II. *An liceat eidem Praeposito et Parocho habere conciones ad populum in diebus Dominicis et festivis inter celebrationem dictae Missae conventualis absque consensu Capituli, in casu etc.* ». S. C. C. respondendum censuit: « *Ad primum arbitrio Parochi. Ad secundum, affirmative, dummodo fiant ex suggestu et non excedant medietatem horae* ». In folio huius causae sub fine legitur____« *et multo magis cum frequentior sit populi accessus ad conventualem quam ad parochialem; et populi utilitas ea sit quae in re, de qua nunc agitur, potissimum prae oculis haberi debet* ». Haec postrema verba docent rationem decidendi. — Iamvero in themate Capitulares se opponunt intentioni Praepositi Parochi aientes, nullam adesse necessitatem mutandi receptum morem habendi has conciones ad populum ab altari a SS. Sacramento nuncupato; et addunt: Praepositum habere subsidiariam Ecclesiam, Basilicae proximam, et S. Carolo dicatam; in qua quidquid velit, potest facere absque dependentia a Capitulo vel Sodalitio, quod inibi proprias facit functiones, praestando quotannis parvum cerae canonem Praeposito, in signum iuris eiusdem Praepositi super eandem Ecclesiam. In ipsa traditur pueris christiana doctrina et fit catechismus. Qua de re si satis fuit eius antecessoribus, comprehendi nequit quomodo eidem non fiet satis, dum frequentia ad Ecclesiam nunc imminuta sit.

Ad tertium dubium: « *An Parocho integrum sit, coadiutorem muneris parochialis sibi eligere e gremio Capituli, in casui* » mordicus contradicit Capitulum, duo obiiciens potiora difficultatis capita. — Primo advertit, omnino dede-

cere unum ex confratribus Canonicis, alteri, etsi praeposito Parocho, se subiicere ad exercendum munus ad nutum eiusdem; et exinde onus coadiutoris Parochi, in publica existimatione, haberi uti minus nobile, quasi certum indicium pusillae idoneitatis in huius generis administro. — Secundo notant Capitulares, Praepositi intentionem eo spectare ut sibi potiores partes in Capituli deliberationibus obtinere liceat, et hinc potius unum ex Canonicis velle coadiutorem, nempe in omnibus sibi subditum.— Episcopus in uteris commendationis et informationis habet: sese in sententiam ire Capitulo adversam; nescit enim quomodo Canonicorum dignitas in discrimen adducatur, si aliquis ex illis vocetur in auxilium Parochi in cura animarum in tanta cleri penuria. Neque obstaculum parat grave chori servitium, dum neque sit quotidianum.

S. C. C. hac de re sententia attingitur, referendo rescriptum datum in *Sarnen. 7 Iunii 1731,* ita conceptum: « *Episcopus omnino procedat ad executionem literarum S. Congregationis anni 1646, additis etiam coadiutoribus ¿curae ex canonicis* ». In *Mediolanen, diei 2 Aprilis 1732;* ad secundum dubium: « *An et ad quem spectet ius eligendi .coadiutorem in exercitio curae quoties eo opus sit* » S. C. C. respondere censuit: « *Spectare ad Praepositum cum approbatione Ordinarii ».*

Ad quartam quaestionem a Praeposito obiectam, nempe: « *An ad sedes confessionales ecclesiae a Canonicis non occupatas destinare valeat Parochus alios sacerdotes confessarios in casu* »; advertit in primis, Capitulum hanc necessitatem, augendi numerum confessariorum in ecclesia, malo fato, non persentiri; et sufficere duas sedes confessionales Parocho reservatas, et addit: « ex quo Canonicus quilibet valeat, minime excepto Praeposito, proponere confessores Capitulo, ratio sufficiens non adest, qua Parochus sibi vindicet privilegium contrarium iuribus Capitularium super Ecclesia et confessionalibus ».... In *Mediolanen, iam cit. ad dub. 13: « An Canonici valeant sine consensu Praepositi*

•*audire in Ecclesia confessiones et administrare SS. Eucharistiae Sacramentum* ». S. C. C. respondit: « *Affirmative de licentia Emi Archiepiscopi, excepta, tamen communione paschali* ». Ceterum in Ecclesia Collegiata *parochiali* fidelibus sane praesto esse debent, pro modulo necessitatis, sacerdotes ad confessiones excipiendas et aliquando etiam alii Canonici cogi possent, iuxta intentionem rescripti in *Sypontina die 23 Novemb. 1737,* in qua S. C. C. censuit, « Presbyteros capitulares teneri praestare assistentiam morientibus in casu necessitatis, etiamsi cura animarum sit penes solum archipresbyterum ». Sed in huiusmodi negotio a Praeposito videtur nihil esse immutandum, sine expresso Ordinarii consensu.

Ad quintum quaestionis caput « *An pium exercitium, vulgo dictum Mensis Marialis, recenseri debeat inter functiones parochiales in casu* », Capitulum animadvertit, se pati non posse ut pium exercitium peragatur cum solemnitate cantus et concionum, quippe non suppetunt opes ex reditibus Fabricae Ecclesiae; sed certe periucundum habere quod perlegantur in Ecclesia piae meditationes in mense Maio fidelibus propositae a Patre Muzzarelli, et arbitratur hoc facere satis et fidelium votis et animarum profectui spirituali. — Sed, uti patet, quaestio iuris eo spectat ut determinetur huius functionis natura, quae si parochialis definiatur, Parocho competit ab eoque ordinanda erit ; si vero inter functiones non *parochiales* sed *ecclesiasticas* recenseatur, tunc in Ecclesia Collegiata sine consensu Capituli peragi non potest. — Iamvero acris iam efferbuit controversia in definiendis iuribus et functionibus parochialibus: quare sapientissime Romani Pontifices statuerunt rem definire per solemnia decreta *Urbis et Orbis,* quae prodierunt a S. Congregatione SS. Rituum *die 2 Dec. 1703* et publicata fuerunt *die. 12 Ian. 1704,* in quibus haec proposita fuerunt dubia: « V. *An benedictiones et distributiones candelarum, cinerum et palmarum sint de iuribus parochialibus.* - VI. *An benedictiones mulierum post partum, fontis baptismalis,*

ignis, seminis, ovorum, et similium sint de iuribus mere parochialibus. - VII. *An functiones omnes Hebdomadae Sanctae sint de iuribus mere parochialibus.* - X. *An celebratio Missarum solemnium per annum sive pro vivis, sive pro defunctis sit de dictis iuribus parochialibus.* - XI. *An expositio Quadraginta Horarum et benedictio quae fit super populo sit de dictis iuribus mere parochialibus.* - XVI. *An expositio quae fit cum Reliquiis vel sacris Imaginibus et benedictio quae cum eis fit super populo sit de dictis iuribus parochialibus* » ; responsum fuit: - Ad V. *Negative.* Ad VI. *Negative; sed benedictiones mulierum, et fontis baptismalis fieri debere a Parocho.* - Ad VII. *Negative prout iacet.* - Ad X. *Negative prout iacet.* - Ad XI. *Negative.* - Ad XII. *Negative, et quoad benedictiones cum Reliquiis et Imaginibus serventur decreta.* - Benedictus XIV in *Inst. 105 § 6 ad responsiones dubii VI notat:* « Cui sane respondit *Negative,* nempe inter iura parochialia non esse adscribenda: *Sed benedictiones mulierum, etc. fieri debere a Parocho,* eam haec munera solis Parochis conveniant ». Sed hac responsione excluduntur sodalitates, penes quas cura animarum *habitualis* sane non residet, et ad quas directius se referunt citata decreta; non excluduntur vero Canonici Ecclesiae Collegiatae parochialis, uti planum est.

Ad ultimam quaestionem, an attentis temporum adiunctis , administratio bonorum Ecclesiae exclusive pertinere debeat ad Praepositum in casu, notant Capitulares, esse alienam a Capituli constitutione huiusmodi Praepositi petitionem. S. C. C. in *Mediolanen, iam cit. die 26 Apr. 1732* ad dub. III « *An ius administrandi Ecclesiam et omnes res ad eam spectantes competat soli Praeposito vel potius Capitulo comprehendenti etiam Praepositum* » respondit « Ad tertium, *in concernentibus curam animarum competere soli Praeposito, in reliquis vero Capitulo una cum Praeposito* ».

Hisce animadversis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An functiones parochiales Praepositus parochus exercere teneatur tantum ad altare a SS. Sacramento nuncupatum, in casu.*

II. *An Praepositus parochus valeat, pro suo arbitrio, sacras conciones ad populum habere e suggestu seu pulpito Ecclesiae in casu.*

III. *An Praeposito parocho liceat coadiutorem muneris parochialis sibi eligere e gremio Capituli, in casu.*

IV. *An ad sedes confessionales Ecclesiae, a Canonicis non occupatas, destinare valeat Praepositus parochus alios sacerdotes confessarios in casu.*

V. *An pium exercitium vulgo dictum Mensis Marialis recenseri debeat inter functiones parochiales in casu.*

VI. *An attentis temporum adiunctis administratio temporalis Ecclesiae exclusive pertinere debeat Praeposito Parocho in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 3 Aprilis 1897 censuit respondere: Ad I. *Affirmative, excepto casu necessitatis ab Episcopo recognoscendo, et de consensu Capituli.* Ad II. *Prouti proponitur, negative.* Ad III. *Negative, et in casu necessitatis, prudenti arbitrio Episcopi.* Ad IV. *Negative.* Ad V. *Negative.* Ad VI. *Detur responsum uti in Mediolanen, diei 26 Aprilis 1732 ad tertium dubium, id est: An ius administrandi Ecclesiam et omnes res ad eam spectantes competat soli Praeposito vel soli Capitulo comprehenclenti etiam Praepositum?* resp. *In concernentibus curam animarum competere soli Praeposito, in reliquis vero Capitulo una cum Praeposito.*

NBTEN..

ELECTIONIS

Lie 8 Maii 1897.

Sess. 25 cap. 9 De Ref.

COMPENDIUM FACTI. In civitate Palatiolo Acrarum Dioecesis Netensis, Sebastianus de Fide sub anno 1714 per instrumentum legitime rogatum disposuit, ut reditus certi fundi, nuncupati *Pantalica,* inservirent partim ad dotandam capellaniam pro quotidiana Missa celebranda, partim ad constituendum sacrum patrimonium, clerico sacris Ordinibus initiando destinatum. Suae fundationi Sebastianus certam dixit legem, cuius firmam executionem commisit *procuratoribus* parochialis Ecclesiae s. Sebastiani martyris.

Institutor iussit Procuratores eligere Sacerdotem descendentem a Paulo de Fide, fratre suo, vel a Dominico de Fide suo consobrino ; ita ut descendentes a Paulo praeferantur descendentibus a Dominico de Fide. Et quatenus isti deficerent, voluit ut eligerentur descendentes a Doctore di Zocco. De eo quod superesset pro Missae quotidianae eleemosyna, iussit dari, titulo s. patrimonii, descendentibus, ut supra ordine praescripto. Voluit insuper testator, ut quod traditur titulo patrimonii sacri, tradatur in dominium accipientis, uno mense ante Subdiaconatus ordinis receptionem. Iussit quoque, eligendos esse debere fratres s. Sebastiani.

Iamvero die 17 Februarii 1886 procuratores ecclesiae S. Sebastiani capellaniam contulerunt Petro Cappellani 14 annos nato, uti videtur ; eidemque destinar un t sacrum patrimonium, nimirum obtinendum quando sacris ordinibus initiaretur.

Huiusmodi procuratorum deliberatio absque contradictione mansit usque ad annum 1893, quo Petrus Capellani cum ad Subdiaconatus ordinem promovendus foret de sacro patrimonio, iam sibi destinato, rite capessendo negotium agebat. Quo minus hoc patrimonium obtineret habuit contradictorem Vincentium Lombardo, 18 annos natum, qui contendit apud Curiam Neten. procuratorum electionem nullam esse quippe

contrariam fundatoris voluntati ; sibique potius, utpote proximiore gradu cognationis fundatori coniuncto, adiudicandam esse utramque illius liberalitatem, nimirum tum *capellaniam*, tum *sacrum patrimonium.*

Iudex Neten. die 9 Dec. 1893 decrevit *patrimonium sacrum* tribuendum esse Petro Cappellani, quippe iam idoneo et parato Subdiaconatus ordini suscipiendo ; *capellaniae* vero collationi supersedendum esse quousque Vincentius Lombardo Sacerdotali ordine augeatur, quod si non fiat, tunc capellaniam Petro Cappellani adiudicandam esse.

Per appellationem quaestio delata fuit ad Curiam Metropolitanam Syracusanam, quae antea definitis die 24 Dec. 1894 nonnullis quaestionibus praeiudicialibus, postea die 30 Ianuarii 1895 definitiva sententia pronunciavit, nullam esse tum procuratorum deliberationem, tum curiae Neten. sententiam et *capellaniam* atque *sacrum patrimonium* attribuit Vincentio Lombardo.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO VINCENTII LOMBARDO. Advocatus, qui iura tuetur Vincentii Lombardo exorditur advertens, sententiam Curiae Syracusanae esse absque dubio confirmandam, *primo* si attendatur defectus utilis appellationis ex parte Cappellani.

Nam Curia Syracusana antea tulit sententiam *interlocutoriam* qua Concedebat eidem Petro Cappellani *restitutionem iii integrum* contra lapsum fatalium ad effectum recipiendae appellationis a Petro Cappellani interpositae a sententia Curiae Neten., praeterlapsis iam decem diebus. In hac vero sententia interlocutoria Curia Syracusana etiam definivit *meritum* quaestionis, pronuncians nullam esse electionem peractam a procuratoribus ecclesiae s. Sebastiani.

Ab hac sententia Petrus Cappellani provocavit ad S. C. C, asserens, Curiam Syracusanam specie tenus pronunciasse sententiam interlocutoriam, sed reapse sententiam edidisse definitivam vel saltem vim definitivae habentem, et hinc eam-

dem Curiam amplius sententiam hac de controversia dicere non valere.

Ex adverso Vincentius Lombardo institit ut Curia Syracusana definitivam ederet sententiam. Quamobrem Curia Metropolitana Siracusana die 12 Ianuarii 1895 alteram interlocutoriam edidit sententiam, qua reiecit exceptionem incompetentiae et litis finitae, oppositam a Petro Cappellani; et se competentem declaravit atque sententiam protulit definitivam die 30 Ianuarii 1895 adversus Petrum Cappellani contumacem, qui tantum ad tribunal Syracusanum per appari torem transmisit protestationem de nullitate actorum.

Atqui Vincentii Lombardi procurator deducit exinde iam in rem iudicatam pertransiisse adversus Cappellani primam Curiae Syracusanae sententiam, postea confirmatam a definitiva.

Quoad *meritum* causae notat procurator confirmandam esse sententiam, de qua agitur ; quia electio Petri Cappellani inita fuit adversus institutionis tabulas. Revera fundator voluit sacrum patrimonium gentilitium concedi ei qui ordinem subdiaconatus infra mensem suscepturus erat, et capellaniam ei qui iam sacro operatus fuerat. Igitur asserit patronus, Petrus Cappellani annos tantum tresdecim natus eligi non poterat.

Aliud argumentum, instat orator, est clientis magis quam adversarii proximitas fundatori ob cognationem ; et nihil tam naturale est quam in successionibus proximiorem excludere remotio rem.

Ad rem citat advocatus Syracusanam sententiam diei 30 Ianuarii 1895, in qua gradus describuntur utriusque contendentis.

Ad alias conditiones quod attinet, advertit patronus, utrumque con tendentem esse Palatioli civem, atque erga ecclesiam benevolum, non vero in Confraternitatem adscitum, quae nunc ibi non exstat, quamvis donationis tempore fuisse, praesumendum est. Aiunt enim fundationis tabulae, *clericum eligendum esse ecclesiae fratrem.* Itaque ad hanc postremam conditionem explendam, modo impossibilem, nemo tenetur.

Nec tandera obiiciatur, arguit orator, cìientis vitae ratio, qui ex ecclesiastico seminario discessus, disciplinae regularis experimentum fecit, et nunc ad seminarium reversus Moderatoris laudes meritus est, prout ex actis constat.

Quia adversarius confugit ad regulam 36 Cancellariae Apostolicae ad contendendam praescriptionem ob triennii spatium ab electione capellaniae decursum, reponit procurator Vincentii Lombardo, hanc regulam casum respicere *si quis quaecumque beneficia ecclesiastica per triennium pacifice possederit apostolica vel ordinaria collatione, aut electionis huiusmodi confirmatione seu praesentatione et institutione* etc. Iamvero instat advocatus, controversam capellaniam minime inter beneficia recensendam esse, quia nulla adfuit Episcopalis erectio aut tituli institutio et collatio.

DEFENSIO PETRI CAPPELLANI. EX adverso Cappellani procurator in primis instat, sententiam esse infirmandam quia nullam declarat electionem, quae ob praescriptionem amplius impugnari non poterat. Nam iuxta oratorem, huc facit regula 36 Cancellariae, de qua edisserens Berardi *Comm. in Ius Eccl. Univ. De Benef. diss. 5, p. 2, cap. 1,* haec habet: « Posteriore regula, nimirum 36, decernitur, ut si quis, quaecumque beneficia ecclesiastica, qualiacumque sint, absque simoniaco ingressu, ex quovis titulo, apostolica, vel ordinaria collatione, aut electione, aut electionis confirmatione, seu praesentatione et institutione illorum, ad quos pertinet, per triennium pacifice possederit : dummodo in beneficiis huiusmodi, si dispositioni apostolicae ex reservatione generali in corpore iuris clausa reservata fuerit, se non intruserit, super eisdem beneficiis taliter possessis nullam molestiam patiatur: et quaecumque impetratio horum beneficiorum facta sit, in irritum cadat ».

Et prosequitur idem Doctor : « Idipsum operatur haec regula, quod in iure romano usucapió, vel praescriptio : unde duo passim traduntur. Primum est, hanc regulam exemplo usucapionis, vel praescriptionis in bono publico fundamentum habere, ut iura semel quaesita non maneant in incerto:

alterum est, hanc regulam ius tribuere illi, cuius ius non plenum aut integrum foret... Opus iam fuit hac utili regula, quia vel necdum praescriptio in beneficiis inducta fuerat, vel si forte inducta probari posset, necdum certam formam acceperat. Itaque ex regula triennalis possessionis vera praescriptio inducta est et certam formam accepit: unde eadem regula iure interpretationem capit in iis, quae expressa non sunt, ex disciplina generali praescriptionum... regula triennalis verum ius tribuit possessori. Faber in *cod. Uh. 2, tit. 6 de f.* ».

Nec valet adversarii exceptio, instat procurator, Vincentium Lombardo contra electionem appellasse post adeptam maioritatem. Quia si minoritas non impedivit eiusdem Vincentii Lombardo patri concurrere pro filio ad beneficium et patrimonium vacans, et si pater ipse pro filio, in maiori iam aetate constituto, post septem annos electionem impugnavit et apud Curias dioecesanam et metropolitanam causam prosequutus est, ipse pater pro filio bene poterat aliquam saltem exceptionem ponere statim ac electio peracta fuit.

Quod si fas est, prosequitur orator, veram huius morae causam palam facere, dicendum est, quod Vincentius Lombardo, per patrem, electionem Petri Cappellani impugnare coepit quando, demortuo parocho Vincentio G-alleri, qui simul cum aliis omnibus procuratoribus electionem peregerat, electus fuit in parochum Ioannes Lombardo qui, dum electionis tempore uti procurator ecclesiae s. Sebastiani M. una cum aliis votum Petro Cappellani favorabile absque ulla exceptione dederat, parenti deinde favere non erubuit.

Quia adversarius opponit, Sebastiani Cappellani patrem declarationem dedisse diei 17 Februarii 1886, in qua ipse, declarat se paratum esse omnes solvere expensas, quae fieri deberent, si aliquis filii electionem impngnasset, ex qua declaratione adversarius deducit, Procuratores ecclesiae s. Sebastiani quasi animo simoniaco electionem peregisse, Cappellani advocatus negat consequentiam, aiens declarationem illam hoc saltem certo probare 1. quod reapse Procuratores

scientes volentes Petrum Cappellani elegerunt, quod ad thesim nostram tuendam abundantius sufficit: 2. quod Procuratores sciebant de mala adversariorum indole, et hanc compescere non dubitarunt : 3. quod Vincentius Lombardo eo tempore poterat, sed ausus non fuerat validam Petri Cappellani electionem impugnare : quod fecisset si valida haec electio ex omni parte non esset.

Praeterea advocatus contendit fundationis requisita melius verificari in Petro Cappellani quam in Lombardo.

Iuxta procuratorem, fundator ad electionem passivam ad patrimonium sacrum et beneficium, nonnisi postulat quam quod eligendus sit descendens ex Paulo eius fratre, et si non adsit descendens ex Paulo, eligendus sit descendens ex Dominico eius patrueli vel in huius defectu ex Corrado Zocco.

Iamvero Petrus Cappellani descendit septimo gradu ex Paulo de Fide. Ergo habet primum requisitum ad vocem passivam.

Quum Vincentius Lombardo distet a stipite tantum sex gradibus, advertit orator quod Vincentius Lombardo poterat ex hac parte eligi, sed procuratores eum eligere non tenebantur. Quia si fundatori gratiores erant propinquiores etiam inter descendentes ex eadem linea, poterat ipse hoc exprimere, eo modo quo manifestavit et voluit quod descendentes ex Paulo praeferendi essent descendentibus ex Dominico de Fide et ex Conrado Zocco : imo ipse fundator, relictis ipsis descendentibus ex Paulo de Fide, una et altera vice elegit pronepotem et alium descendentem ex Conrado Costa. Et minus attendenda est, pergit orator, haec maior propinquitas, quae potius dici debet minor remotio a stipite : quia bene intelligitur dilectio maior vel minor inter patrem et filium vel nepotem vel etiam pronepotem, sed inter stipitem et descendentem in sexto potiusquam in septimo gradu ne supponi quidem potest.

Procuratores denique iuxta oratorem optime se gesserunt in electione Dñi Petri Cappellani quia inter consanguineos elegerunt digniorem. Licet enim stricte non teneatur patro-

nus eligere digniorem ad beneficia simplicia et etiam parochialia (Barbosa in *cap. 18, sess. 24, Conc. Trid., n. 132,* Fagnanus in *cap. 3, De iurepatronatus, n. 16),* tamen, ut notat *S. R. Rota, p. 10, rec. 262, n. 8,* tutior est etiam beneficia simplicia adiudicare dignioribus. *Cf. cap. 29 De Praebendis.*

Secundum requisitum a fundatore declaratur illis verbis supra citatis « che si voglia fare sacerdote ».

Iamvero, urget orator, Petrus Cappellani, tempore electionis, erat annos natus 14, et iam receptus in dioecesano seminario testimonium obtinuerat a proprio parocho, a Rectore Seminarii, ab Episcopo ; ideoque statui sacerdotali proximior erat et quoad vocationem iam probatus : Vincentius Lombardo vero, qui tempore electionis tantum 11 annos natus erat, nullum testimonium afferre potuit, nec in posterum obtinuit.

Quod autem Procuratores recte iudicarunt, ait orator, de vocatione ad sacerdotium, facta postea comprobaverunt, quia Petrus Cappellani amplissimas testimoniales ab omnibus absque ulla exceptione obtinuit, ita ut ascendere ad ordinem subdiaconatus absque titulo meruit, dum vero Vincentius Lombardo instabilitatem animi et defectus vocationis probavit tum relinquendo religionem PP. Praedicatorum, cui adscriptus erat, tum quia expulsus fuit a Seminario, et licet iterum post annum receptus fuerit in Seminario, ibique tamen moratur in probatione dum iam maturus esse deberet.

Tertium requisitum expressum illis verbis « abitanti in questa città », extra quaestionem est.

Quartum requisitum exprimitur a fundatore hoc modo : « che le sopradette persone nominate per la cappellania e donazione a titolo di Patrimonio presenti e futuri *in perpetuum* debbano essere fratelli della Chiesa di s. Sebastiano... e non essendo tali... s'intendono esclusi da detta donazione e cappellania, perchè così li piace ».

Quaestio mota fuit circa sensum illius particulae «fratello della chiesa di s. Sebastiano», an scilicet per illud

verbum « fratello » intelligatur adscriptus Confraternitati vel potius ille qui benevolentiam seu dilectionem habet erga ecclesiam s. Sebastiani.

Iamvero, iuxta oratorem, illud verbum « fratello » intelligi nequit pro adscripto alicui Confraternitati, quia tempore fundationis De Fide, nulla existebat Confraternitas in ecclesia s. Sebastiani. Insuper Confraternitas SSmi Crucifixi quae paucos post annos erecta fuit, ideo instituta fuit quia simul capella, cui adnexa erat, constructa fuit, tanquam « corpo aggiunto » ecclesiae s. Sebastiani. Fundator praeterea loquitur de personis « presenti e futuri » in perpetuum quae « debbano essere fratelli della chiesa di s. Sebastiano... e non essendo tali s'intendano esclusi di detta donazione e cappellania perchè così gli piace ». Ergo conditio *sine qua non* posita a fundatore debebat esse possibilis pro personis tunc temporis viventibus.

Hinc oratori videtur illud verbum « fratello » sumi debere in alio sensu, seu exprimere dilectionem praecipuam erga ecclesiam s. Sebastiani. Hoc desumit procurator ex consuetudine, quae est optima legum interpres *cap. Cum dilectus de Consuet. et leg. 26 in Dig. De legibus,* quia semper ac praesertim tempore ultimae electionis, 30 Ianuarii 1841, Ioseph Messina et in actu electionis dicitur : « Sulla considerazione che il predetto ch. D. Giuseppe è il più prossimo al Sacro Ordine del suddiaconato, concorrendo sul medesimo la principal qualità di essere affezionato alla predetta Venerabile Chiesa ecc. » et ex actu electionis Petri Cappellani, ubi de Petro Cappellani dicitur : « essere non solo affezionato, ma affezionatissimo, per antica data di famiglia alla chiesa di s. Sebastiano ».

Iamvero, instat orator, ipsa sententia Curiae Metropolitanae fatetur : « Nemo tanta donare ecclesiae poterit, quanta, decursu temporis, qui sunt de familia Cappellani dedere ».

Quia vero adhuc quaestionis esse posset an capellania de qua agitur, revera sit beneficium, advertam, in actis nihil referri vel innui unde deducatur, hanc fundationem Seba-

stiani De Fide *erectam fuisse* in beneficium a competente Episcopi auctoritate, neque ullimode constare aliquam interponi ecclesiasticam *institutionem* praeter electionem procuratorum ecclesiae s. Sebastiani.

Hisce in utramque partem ad causae notitiam relatis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An confirmanda sit sententia Cunae Syracusanae in casu.*

Et quatenus negative :

IL *An sustineatur electio I). Petri Cappellani tum ad capellauiam, tum ad patrimonium sacrum in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. O. re discussa sub die 8 Maii 1897, censuit respondere : *Ad* I. *negative. Ad* II. *sacrum patrimonium concedendum esse Petro Cappiellani; et onera Cappellaniae interim adimplenda esse iuxta tabulas fundationis.*

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL.

Statuta piae Societatis apostolatus Orationis **(1).**

I. Apostolatus Orationis est pia Societas, quae apostolicum munus divinae gloriae et animarum salutis promovendae exercet oratione, sive mentali, sive vocali, et aliis etiam piis operibus, quatenus impetratoria sunt, et Sanctissimum Iesu Cor nobis conciliare possunt ad praedictum finem assequendum. Quare licet Apostolatus Orationis quaedam cum aliis piis Societatibus, ex. gr. SS. Cordis Iesu, et Rosarii viventis, communia habere videatur; tamen ab iis omnibus tum fine, qui maxime universalis est, tum mediis peculiaribus, quibus utitur, prorsus distinguitur.

(1) Damus Statuta haec, ut innotescat discrimen huius piae Societatis, ab associatione *Rosarii viventis.*

II. Tres sunt huius Apostolatus gradus pro operum varietate, quae exercere curat, unde triplex sociorum ordo. Primus gradus (qui essentialis est et omnibus sociis communis) ab iis constituitur, qui quotidie certa quadam formula suas preces omnes, actiones, et aerumnas Deo offerunt una cum Sanctissimo Corde Iesu, et in eos omnes fines, ob quos Dominus Noster assidue interpellat, et se in sacrificium offert pro nobis. Unde amor et devotio erga Sanctissimum Iesu Cor valde propria est sociorum omnium qui Apostolatui Orationis accensentur; siquidem devotio haec, licet non constituat finem Societatis, medium est omnium validissimum et prorsus singulare, unde et socii omnes, exemplo Sanctissimi Iesu Cordis permoti, ad orationis studium impensius excitentur, et oratio ipsa, una cum eodem Sanctissimo Corde peracta, efficacior evadat, et intentum finem gloriae divinae promovendae assequatur.

Est igitur Apostolatus Orationis Societas ab Archiconfraternitate Sanctissimi Cordis Iesu plane distincta, et ideo Societates, Ecclesiae, iique omnes qui sese huic pio Operi adscripsere, minime censeantur in posterum adscripti etiam Archiconfraternitati Sanctissimi Cordis Iesu, Romae erectae in templo S. Mariae de Pace, nisi in eadem Archiconfraternitate ab eius Moderatore rite recepti fuerint.

III. Alter gradus est eorum qui, praeter illa quae primi gradus propria sunt, id est praeter orationem, qua sibi conciliant Sanctissimi Cordis intercessionem apud Patrem ut gloria divina promoveatur, alias etiam preces fundunt ad B. Virginem Mariam, ut potentissimae Matris opem implorent, et eamdem in hoc pium opus salutis animarum procurandae adiutricem sibi adsciscant. Hi scilicet singulis diebus semel precantur *Pater noster* cum decem *Ave Maria,* ad eam intentionem quae initio cuiusque mensis iisdem indicatur, per Romanum Pontificem approbata, quin tamen ideo censeri possint adscripti Pio Operi Rosarii Viventis, neque legibus adstringatur, quibus id regitur, hoc est ut mysterium sorte sibi attributum inter precandum meditentur, et in turmas distribuantur quae quindecim sociis singulae constent.

IV. Tertius gradus iis constituitur qui, opera saltem primi gradus exercentes, impedimenta praeterea removere curant, ne preces nostrae pro salute animarum ad Deum fusae effectu fraudentur. In eum finem singulis mensibus vel hebdomadis,

ad normam Brevis die IO febr. 1882 dati, Communionem Reparatricem peragunt, qua Sanctissimum Iesu Cor peccatis hominum ad iram provocatum placare et precibus nostris propitium reddere contendunt. Quare hi omnes qui tertio huic gradui adscribuntur, et praedictam Communionem secundum regulas pro pio Opere Communionis reparatricis stabilitas peragunt, huius associationis membra constituuntur, eiusdem Indulgentias lucrantur.

V. Pariter quamvis pia Sodalitas, ab « Hora Sancta » nuncupata, diversa sit a « Pia Societate Apostolatus Orationis » ; tamen omnibus sociis Apostolatus Orationis, qui pium exercitium ab « Hora Sancta » dictum rite peragunt ut Sanctissimum Iesu Cor iniuriis hominum lacessitum placent, nostrisque precibus benignum reddant, integrum est gratias omnes spirituales sibi comparare quae illis, hoc pium exercitium peragentibus, conceduntur Rescripto Pii IX, die 13 maii 1875, et Brevi Leonis XIII die 30 martii 1886. Sed alia pia opera Apostolatui adiicere nemini fas erit, integris tamen per stantibus facultatibus, quibus locorum Ordinarii, pro sua quisque Dioecesi gaudent.

VI. Christifideles in piam hanc Societatem adsciti qui, prae ceteris pietati dediti, singulari flagrant animarum studio, adeoque Zelatores et Zelatrices dicuntur, omni ope contendant ut magis in dies divina gloria, animarum salus et cultus Sanctissimi Cordis Iesu secundum Apostolatus statuta, provehantur. Idcirco statis temporibus simul conveniant, ut de iis omnibus statuatur quae ad hunc finem procurandum magis conferre videantur.

VII. Sedes princeps seu Centrum Societatis constitutum est Tolosae. Moderator vero Generalis est ipse Praepositus Generalis pro tempore Societatis Iesu, qui munus suum delegare potest alii a se deligendo, qui Tolosae resideat.

VIII. Praeter Moderatorem generalem, erunt quoque Moderatores Dioecesani et Directores singularum Societatum, Moderatores Dioecesani, qui desigandi sunt ab Ordinariis locorum, intra fines Dioecesis, constituentur vel a Praeposito generali pro tempore Societatis Iesu, vel a Moderatore Generali, quem ipse Praepositus delegaverit Tolosae. Directores autem singularum societatum constituentur, approbante Ordinario, a Moderatore dioecesano. Tum Moderatores dioecesani, tum Directores singularum Societatum Ordinario sufficientur etiam in iis

omnibus quae spectant ad Statuta ab Apostolica Sede approbata.

IX. Ad socios adlegendos satis est, Directores singularum Societatum inscribere eorum nomina in libro indice ecclesiarum vel locorum piorum, ubi Apostolatus institutus est, et tesseras distribuere; quin necesse sit Catalogum Centro principi transmittere.

X. Indulgentiae ceteraeque gratiae praedictis Apostolatus operibus a Summis Pontificibus hucusque concessae, vel extensae, in suo robore maneant.

Sacra Congregatio Eminentissimorum et Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, Statuta, de quibus supra, benigne approbavit et confirmavit.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 11 iulii 1896.

I. CARD. VERGA *Praefectus.*

L. * S .

A. TROMBETTA *Pro-Secretarius.*

EX SECRETARIA BREVIUM

BREVE Sanctissimi D. N. Leonis XIII quo ad dignitatem Archisodalitatis evehitur Sodalitas erecta in Aede ss. Andreae et Claudii Romae, eo fine ut honor et cultus SSmi Sacramenti longe lateque proferatur per solemnem atque perpetuam Eius expositionem et adorationem.

Die 8 Maii 1897.

LEO PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam. — Pias fidelium Sodalitates, quae ad divini nominis gloriam peculiari cultu provehendam aliis exemplo et incitamento sunt, ac magis magisque in dies ubique propagantur, de more institutoque Romanorum Pontificum Apostolicae benevolentiae testimoniis prosequi et exornare libentissime solemus. Loeto igitur ac iucundo accepimus animo Confraternitatem, quam pia Presbyterorum SSmi Sacramenti Congregatio hoc potissimum fine instituit, ut solemni ac perpe-

tua eiusdem Augusti Sacramenti expositione et adoratione Eius honor et cultus longe lateque proferretur, uberiores in dies edere fructus ac plurimos sibi adiicere sodales, et quum hodiernus Praepositus memoratae Congregationis Generalis humiles Nobis preces adhibuerit, ut eamdem Confraternitatem, quae pro sodalium conditione ac pietate in tres classes distribuitur, ac nonnullis (1) iam ab hac Apostolica Sede indulgentiis est locupletata praecipuo titulo ac privilegiis augere de benignitate nostra velimus. Nos, quibus nihil est antiquius, quam ut tanti divini amoris mysterium summa observetur religione, hisce votis censuimus obsecundandum. Quare omnes et singulos, quibus hae Nostrae Litterae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerunt, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, piam huiusmodi Sodalitatem in Aede ss. Andreae et Claudii huius almae Urbis Nostrae existentem, quam Ecclesiam ad hoc primariam declaramus, Auctoritate Apostolica Nostra praesentium tenore in Archisodalitatem, consuetis ditatam privilegiis, perpetuo erigimus atque instituimus. Archisodalitatis autem sic erectae officialibus et sodalibus praesentibus et futuris, ut ipsi alias quascumque sodalitates eiusdem nominis atque instituti ubique terrarum erectas seu in posterum erigendas, servatis tamen forma Constitutionis Clementis Papae VIII Dec. Nostri, aliisque Apostolicis Ordinationibus desuper editis aggregare, illisque omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, ceterasque spirituales gratias ipsi Sodalitati ita in Archisodalitatem a Nobis erectae ab Apostolica Sede concessas et aliis communicabiles, communicare licite possint ac valeant, eadem Auctoritate Nostra harum Litterarum vi perpetuum item in modum concedimus et indulgemus. Decernentes praesentes has Litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectare poterit, in omnibus plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis Auctoritate scienter

(1) Brevia diei 29 Ianuarii, 26 Februarii et 5 Martii 1875.

vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, et quatenus opus sit, praefatae Confraternitatis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque licet speciali et individua mentione ac derogatione dignis, contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VIII Maii MDCCCXCVII Pontificatus Nostri anno vigesimo.

Loc. Sig.

ALOIS. CARD. MACCHI

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

MASSILIEN. Beatificationis et Canonizationis ven. Servi Dei Ioannis Baptistae Gault Episcopi Massiliensis.

Instante Rmo Dno Alberto Battandier, Protonotario Apostolico, et Postulatore Causae ven. Servi Dei Ioannis Baptistae Gault, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi, Episcopus Portuensis et S. Rufinae, eiusdem Causae Relator, in Ordinario Sacrae Rituum Congregationis Coetu Rotali, subsignata die, ad Vaticanum coadunato iuxta peculiares Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII dispositiones annis 1878 et 1895 editas, sequens dubium discutiendum proposuit : « *An constet de validitate et de relevantia Apostolici Processus, constructi super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere praefati Venerabilis Servi Dei, in casu et ad effectum de quo agitur ?* » Sacra porro eadem Congregatio omnibus accurate perpensis auditoque voce et scripto R. P. D. Gustavo Persiani Sanctae Fidei Promotoris munere fungente, rescribendum censuit: «*Affirmative, seu constare*». Die 9 Martii 1897.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis ratam habuit et confirmavit. Die vigesima secunda iisdem mense et anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. S.

DIOMEDES PANICI & *R. C. Secretarius.*

QUEBECEN- Beatificationis et Canonizationis ven. Servae Dei Sor. Mariae ab Incarnatione fundatricis Monasterii Ursulinarum in civitate Quebecensi.

In Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu Rotali, subsignata die, ad Vaticanum coadunato iuxta peculiares Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII dispositiones annis 1878 et 1895 editas, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi, Episcopus Portuensis et S. Rufinae, Causae Ven. Servae Dei Sor. Mariae ab Incarnatione Relator, instante Rmo P. Xaverio Cazenave Procuratore Generali Missionum ad exteros et eiusdem Causae Postulatore, sequens dubium discutiendum proposuit: *«An constet de validitate Processuum tam Apostolica, quam Ordinaria Auctoritate constructorum; testes sint rite et recte examinati et iura producta legitime compulsata in casu et ad effectum de quo agitur?* » Sacra porro Rituum Congregatio, audito etiam voce et scripto R. P. D. Gustavo Persiani Sanctae Fidei Promotoris munere fungente omnibusque accurato examine perpensis, rescribendum censuit: « Praevia sanatione a SSmo impetranda quoad examen testium 17 ex officio et 21 qui non auditi fuerunt in Processu Apostolico, et ad-cautelam, praevia sanatione quoad processiculus, *Affirmative* ». Die 9 Martii 1897.

Facta postmodum de his omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua petitas sanationes benigne concedens, sententiam Sacrae ipsius Congregationis ratam habuit et confirmavit, die vigesima secunda iisdem mense et anno.

C. CARD. ALOISI-MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

DIOMEDES PANICI 5. *R. C. Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

Feria YI, die 2 Iulii 1897.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 2 Iulii 1897 damnavit et damnat, proscriptis proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum refend mandavit et mandat quae sequuntur Opera :

M. Díaz Rodríguez. — Sensaciones de viaje (Aldea lombarda, Venecia, Florencia, Roma, Ñapóles, Alrededor de Ñapóles, Constantinopla) : Paris, Grarnier Hermanos, libreros editores, 6, Eue des Saints-Pères, 1896.

Historia General de la Masonería des de los tiempos mas remotos — hasta nuestra época, por Danton Gr. 18. con un Prólogo por el eminente escritor Don Emilio Castelar — Barcellona-Grracia, D. Jaime Seix *y* Compañía, 1882.

Der Zukunftsstaat. Ein Trostbüchlein von Canonicus Dr. A. Rohling o. ö. Professor der Exegese an der deutschen k. k. Karl-Ferdlnands-Universität in Prag.— St. Pölten 1894. Druck u. Verlag der Pressvereinsdruckerei (Franz Chamra) St. Pölten, Linzerstrasse 7.

Civitas futura. Libellus consolatorias auctore Canonico Doctore A. Rohling ordinario publico Professore Exegeseos in teutonica caesarea regia Pragensi Universitate Carolo-Ferdinandea. S. Hippolyti 1894. Typis et sumptibus typographicae Societatis typographicae (Francisci Chamra) S. Hippolyti in via Linciensi 7.

David L. 0. — *Auctor operis* — Le Clergé Canadien, sa Mission, son Œuvre — *Montreal 1896 — prohib. Decr. S. Off. Fer. IV. 9 Decembris 1896; laudabiliter se subiecit, et opus reprobava.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit In quorum fidem etc.

Datum Romae die 3 Iulii 1897.

ANDREAS CARD. STEINHUBER PRAEFECTUS

Fr. MARCOLINUS CICOGNANI O. P., a Secretis.

Loco Sigilli.

Die 5 Iulii 1897. Ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Vincentius Benaglia *Mag. Cur s.*

SUMMA ACTORUM

QUAE IN HOC VOLUMINE XXIX CONTINENTUR

LITTERAE ET ACTA R. PONTIFICIS

EX S. C. CONCILII

EX S. CONG. RITUUM.

EX INDULGENTIARUM

EX S. G. INDICIS

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

EX S. C. DE PROPAGANDA FIDE

EX S. POENITENTIARIA APOST.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

EX S. CONG. STUDIORUM

EX SECRETARIA BREVIUM

INDEX GENERALIS

CONCLUSIONUM QUAE IN PLERISQUE ACTIS IN HOC VOLUMINE CONTENTIS ADNOTATAE SUNT, QUARUM MATERIA IN SINGULIS ACTIS AMPLE EXPOSITA VEL DECLARATA REPERITUR.

Eae autem conclusiones sub sequentibus verbis comprehenduntur :

Coadiutor

Consuetudo quoad Cultum divinum

Matrimonium

Matrimonium quoad domicilium

Pacta.

Tertiariae Franciscanae.

IMPRIMATUR --.Fr. Albertus Lepidi O. P S, P, Magister.
IMPRIMATUR — Franciscus Casse ti a Patr. Antioch. Vicesg.